



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [1] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [2] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [3] - -

Emendationes possim adscripta sunt ipsius Leibnitii.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [4] - -

MARII NIZOLII
DE
VERIS PRINCIPIIS
ET VERA RATIONE
PHILOSOPHANDI
CONTRA
PSEUDOPHILOSOPHOS.
LIBRI IV.

BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA

Inſcripti
ILLVSTRISSIMO BARONI
A BOINEBVRG.

ab Editore
G. G. L. L. sive Georg. Guil. Leibnitio,

QUI DISSERTATIONEM PRÆLIMINAREM de inſtituto operis atque optima philoſophi dictione, Epiſtolam de Ariſtotele Recentioribus reconciliabili, notasque atque animadverſiones marginales leniendo textui, adjecit.

FRANCOFURTI,
Apud HERMANNUM à SANDE.
M DC LXX.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [5] - -

EXCELLENTISSIMO ATQUE ILLUSTRISSIMO DOMINO

JOHANNI CHRISTIANO,

LIBERO BARONI A BOINEBURG,

Equiti Aurato, &c.

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO.

EDITOR

G. G. L. L.

BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA

DEDI-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [6] - -

DEDICATIO.

ILLUSTRISSIME DOMINE

LEges Romanæ Teſtatorem irridēt, qui domino rem ſuam legat: quid mihi futurum eſt, qui TIBI tuamdedico, nulla re quam panni ad purpuram aſſumento auctiorem? niſi TIBI quidem inter melioratione , quas vocant,atque incrementa referre placeat, quicquid qualitercunque , hortatu tamen Tuo , huic fundo inædificatum eſt. Grandiorem ſanè librum recipis, utinam & meliorem! neceſſarium tamen videbatur , nonnulla aſperius dicta complanare. Alteri, quàm TIBI inſcribi, ne ipſe quidem NIZOLIUS velit,per te è diuturni carceris longo ſqualore erutus,tuo beneficio redivivus, tuo judicio unicè triumphans. Eſt in eo acuminis ſatis, plurimum

eloquentiæ philoſopho dignæ, libertatis nimium, quam & inter repagula aliqua coercuimus. Mihi, ILLUSTRIS NOMINIS Tui præfigendi præter Nizolium qui ſe Tibi totum debet, præter beneficia Tua, quibus levi commemoratione detrahere nolo, ratio potiſſima fuit, admonere poſteritatem exemplo Tuo, non fuiſſe ita ſterile ſeculum noſtrum, quin ſupereſſent magni genere ac geſtis viri, qui præter Reipublicæ curam, bonarum etiam literarum & malis tangerentur, & admirabili uſu pollerent, & his ipſis pudorem incuterent, qui totam vitam iis ſtudiis conſumſerunt. Quod ſupereſt, ILLUSTRISSIME DOMINE, munus hoc chartaceum, læta fronte accipe, fave ferenti, valeque ac bono publico diu vive.

DISSER-

DISSERTATIO PRÆLIMINARIS,

De alienorum operum editione, de Scopo operis, de Philoſophica dictione, de lapſibus Nizolii.

ALiorum Scripta edere, Lector benevole, humile eſt & contemtum, & ingenii per ſe pauperis nota eſſe videtur illis, quorum ſublimis aut mens aut opinio ſupra cæteros ſe attollit, quibus mos eſt, ſua nomina alienis chartis allinentes herbæ parietariæ convicio irridere, quod jam olim in Trajanum, ubique per omnes vetuſtatis ruinas ſui nominis prodigum, jactaverat magnus Conſtantinus. Sed me quidem hæc parum movent, partim clarorum virorum exemplo munitum, partim parum dolentem ſi apud illos Cenſores ingenioſus non habear, cui ſufficit, ſtudii ſaltem ac voluntatis laudem retuliſſe. Exempla egregiorum hominum diu conquirere, copia non patitur, cùm ipſi Theologi cenſeant Scriptores Sanctos priorum memorias & perfeciſſe & edidiſſe, & continuaſſe Joſuam Moſis, Samuelem Joſuæ, Esdram Samuelis & Prophetarum. Apud Græcos magna ingenuitatis laude celebratur Xenophon, quod Thucydidis Hiſtorias in lucem miſit, cum vel ſupprimere, ut ſolus laudaretur, vel ſibi vindicare poſſet; diſpari Ariſtotelis famæ, qui magna apud nonnullos invidia laborat ſuppreſſorum philoſophiæ vetuſtioris monumentorum. Apud Romanos de vita veteribus reddenda mirificè ſolicitus fuit Hadrianus Imperator, qui non tantùm Scripta diligenter conquirebat, ſed & ex ſtatuis, ex picturis vetuſtate vitium facientibus effigies eorum perveſtigabat repertisque, ne aliqua temporis injuria

rursus perirent, sua imagine prætermissa nummos signabat, affectui majestatem posthabens. Unde quæ nunc passim habentur numismata, Cimonis, Miltiadis, Platonis, Aristotelis, aliorumque veterum heroum aut sapientum imaginibus percussa, Hadriano accepta referri debere, constans apud eruditos opinio invaluit. Sed vetera mittamus: superiore ac nostro seculo sepulta refodere inter potissimas eruditorum curas fuit. Nec circa veteres tantùm, in quos præ cæteris incubuere, qui nunc vulgò Critici vocantur, laboratum est, sed & medii ævi scriptoribus cura impensa est, ex quibus Theologos magnam partem in Bibliothecam Patrum conjecit Margarinus de la Bigne, multis supplementis auctus augendusque ex editis à Canisio, Gretsero, Firmondo, Petavio, Combefisio, Allatio, Chiffletio, Possino, Holstenio, Marca, Labbeo, (tum alibi tum in Byzantinis) Cossartio, Dacherio, Surio, Rosweido, Bollando, Henschenio, Papenbrockio, compilatoribus Bibliothecæ Patrum Asceticæ, Benedictinorum cura editæ, aliisque multis. De Jureconsultis medii ævi optimè meritus est, quisquis est, cujus cura tot eorum monumenta in Oceano juris, inque natis ex eo tractatuum voluminibus, vel ut postea appellata sunt, Tractatu Tractatuum, junctim edita visuntur, quæ alioqui fortasse tenues in auras dudum abiissent. Dolendum est profectò qui tot aliis de luce nominis prospexit, seipsum tacuisse; cum tamen grandi illo in tot volumina confecto indice nihil cogitari possit laboriosius, nihil desiderari accuratius. Idem de collectis Repetentium voluminibus dicendum est. Speramus verò, cura viri eruditissimi Erici Mauritii quamprimum edendam digestionem juris feudalis Antonii de Prato veteri, opus illustre imperatorio jussu, delegatione universitatis studii Bononiensis confectum, sed quod nescio quomodo hactenus ex manibus hominum evanuit ac Goldasto & Rigaltio diu ac frustra quæsitum, alium non indignum editorem invenit. In colligendis medii ævi historiis Schardii, Pistorii, Reuberi, Urstisii, Meibomii, Reineccii, Lindebrogiorum, Goldasti,

Frehe-

Freheri, Bongarsii, Tilii, Pithœorum, Puteanorum, Theodori & Dionysii junioris Gothofredorum, Chesniorum, Sammarthanorum, Seldeni, Spelmanni, Dugdali, Rosserii, & quos expectamus Lambecii & Gamansii, curæ, nullo temporum lapsu deterentur. Sed erunt fortasse qui sic occurrent, aliud esse veterum immortalia scripta, aut etiam medii ævi monumenta servare, aliud recentiorum nugas per orbem jam tum satis talibus oneratum dispergere. Hi profectò nimis contemtim de huius ævi ingeniis sentiunt, nec cogitant, fore tempus cui & nostra vetera erunt. Quis ignorat quantam curam Rudolphus Imperator colligendis ac recensendis Theophrasti Paracelsi operibus impenderit? Tychonis Brahei reliquias laudabili instituto olim Joh. Keplerus, nunc Albertus Curtius publico dedere. Trithemii Historica plurima Freherus, Ascetica Busæus luci exposuere, Hubertum Thomam Leodium idem Freherus, Hussitica quædam Otto Brunfelsius atque Cochlæus, Grotiana Edmundus Mercerius, & Isaacus Gruterus, & Graswinkelius, clarissimi utique viri; Isaaci Vossi cura Herberti nonnulla, ejusdem Gruteri verò opera, Verulamii plurima ad nos pervenere. Fratris Pauli Servitæ Historia Marco Antonio de Dominis debetur, Edmundo Albertino in partu latini de Eucharistia operis mortuo, Blondellus & Gronovius, idem Blondellus Dallæi quibusdam, Montacutius, Jacobi Angliæ regis, & Laudi, opusculis, tùm Episcopio Curcellæus ac Pœlenburgius, Pierucio Scioppio, Cassandro Cordesio, aliis alii, obstetricati sunt; reliquiæ qualescunq; Scaligeri, Perronii, Thuani, & quod speramus, aliorum plurium, à Fratribus Puteanis exceptæ, per Isaacum Vossium publico nunc communicantur. Epistolas Casauboni collegere Gronovius & Grævius, Salmasii Clementius, Grotii idem Isaacus Gruterus, variorum Goldastus philologicas, Melanthonis Peucerus, Pezelius, Manlius, Camerarii, Manutii nuper Thomasius; Schlusselburgius, Heinsius, Bertius, Gabbema & Pœlenburgius Theologicas edidere. Infinitum est omnes referre. Erunt tamen rursum haud dubiè, qui sic excipiant: inedita edere fortasse excusari posse, at cramben semel coctam rursus apponere projectæ

prorsus

prorſus operæ videri, nec inanis tantùm ſumtus, ſed & in publicum damnoſum eſſe. Hic poſtremus aries eſt, quem illi movent, hunc ſi repulerimus vindicata ſatis alieni laboris editio erit. Sed nihil magno molimine opus, quando negari non poteſt, impreſſa vel diſtracta ob famam, vel ſuppreſſa ob odium contemtumve ejusdem ſæpe cum manuſcriptis raritatis eſſe. Nizolii certè opus, quod nunc affero, non vereor ne quisquam jam tum in multorum manibus eſſe dicat. Quod non tam ex me habeo, ne à mea rei librariæ notitia, quæ exigua eſt, alios æſtimare videar, quàm ex viris doctiſſimis & in hoc ſtudiorum genere verſatiſſimis, qui aut nunquam, aut rariſſimè conſpectum ſibi faſsi ſunt. Quare non puto prudentem quenquam mihi vitio verſurum quod in cæteris paſsim probatur. Certè eruditi illi Angli qui tot aliorum labores in ſcripturam ſacram uno Bibliorum Criticorum volumine complexi ſunt, omnium plauſum tulere. Johannes Fichardus JCtus Francofurtenſis diligentem operam dabat, ut Jurisconſultos egregios per Italiam Hiſpaniamque editos, & in Germania inventu raros iteratæ editioni maturaret. Laurentius Strauſius Medicus editione theatri Sympathetici, variorumque opuſculis in eo junctim recuſis, operæ certè pretium fecit. Quis Regiam typographiam Pariſienſem, Elzevirios Blaviosque non laudat, qui ſuis vel Notitiis, hiſtoriis, memoriisve, vel Rebuspublicis vel Atlantibus tot præclara monumenta per Bibliothecas alioquin latitantia in luce ponunt. Idem editoribus velleris aurei, artis auriferæ, & theatri Chemici ſcopus fuit, quod illi cum voluptate ſentiunt, qui his ſtudiis dediti, conquirendi, & multa velut arcana deſcribendi, quæ nunc facile parabilia ſunt, moleſtiſsimo onere levantur. Jano Grutero antiquitatis & hiſtoriæ ſtudioſi æternas gratias deberent, etiam ſi nihil de ſuo, ſed collectos tantùm aliorum utiliſſimos labores tùm in face Critica, tùm in Chronico Chronicorum politico (ubi nomen ſuum ſub Gualteri Belgæ nomine non neceſſaria verecundia occuluit) incudi reddidiſſet. Sed à collectione variorum in unum ad certa certorumve autorum

rum ſcripta recenſita veniamus. Blondum Vorburgius recudi fecit, Onuphrium de Comitiis olim Hortlederus edidit, & mox cum ſupplemento edet πολυμαθέστατος Lambecius; Grotius

---Quod Caſſandri veracia Scripta teruntur
Cordeſio grates hæc bona propter agit.

Eraſmica recenſere, emaculare, & defendere, ut & audio, deſtinaverat Mallincrotius. Allatiana & Niciana typis Batavis emiſit Nihuſius; Galilæi ~~Inſtitutiones~~ Gaſſendus, ejusdem circinum Proportionalem Berneggerus, ambo viri non in matheſi magis, quam omni eruditione verſatiſſimi, alter in Germania, alter in Gallia, renovata veſte induerunt. Berneggeri hujus ſynopſin Lipſianæ politicæ doctiſſimus Joh. Andreas Boſius, Clapmarium Schookius, Wovverium à plagii impacto crimine vindicatum ſolidiſſimæ vir eruditionis Jacobus Thomaſius, Seldeni jus naturæ & Gentium (& Æneæ Sylvii Fridericum III. propè diem editurus;) Bœclerus ſuo merito longè celeberrimus, denuò produxere; nec Franciſcus Mercurius Helmontius ingenio ſuo indignum duxit Octavium Piſani notiorem orbi reddere, ~~tum~~ Jacobus quoque Maſenius Brovveri Trevirenſes Annales edidit, & ſub prelo ſunt. Inprimis verò apud Germanos Hermannus Conringius, apud Gallos Gabriel Naudæus, ambo Medici, ambo variè uberrimèque docti, aliorum fœtus propè expoſitos & deſertos ſuſcepere: Naudæus Niphi, Cardani, Campanellæ; Conringius ipſius Naudæi & Scioppii, Machiavelli, Hopperi, Claramontii, Starovolſcii, Caſſandri, Wicelii, Viotti. His tot tantiſque correis vituperium notamque incurrere, equidem parum formidandum Judico.

Nunc, ad autorem ipſum quem edemus, argumentumque quod tractat, accedendum eſt, Marium Nizolium Brixellenſem orbis eruditus pene penitus credo ignoraret, niſi Grammaticis laboribus inclaruiſſet, quibus meritò illud Virgilianum de apibus accomodes, In tenui labor, at tenuis non gloria.

Et ita ſæpe factum eſt ut viri docti iis maximè Scriptis famam impetrent, à quibus minimè ſperabant. Quis enim dubitet Nizolium & majorem ſibi celebritatem à Philoſophiæ Reformatio-

matione quam animo complectebatur , quàm illis,ut ſic dicam, Concordantiis Ciceronianis,pollicitum ? & tamen Index Ciceronianus durat duraturusque eſt quamdiu ipſe Cicero,Philoſophia Nizoliana prope in ipſo partu ſuffocationem ægrè effugit. Non ignoro Maioragii & Grifoli,occaſione litis quam Ciceronis officiis Calcagninus moverat , indignationem ; tùm Henricum Stephanum in Nizolio didaſcalo ſive monitore Ciceronianorum Nizolianorum dialogo,ut inſcripſit, minus æquum Nizolio fuiſſe,& à Criticis eum paſſim alto ſupercilio deſpici,ſed Henricum Stephanum peculiaris cauſa impulit quod parentis ſui Roberti Stephani Theſauro latinæ linguæ multum Nizoliano opere derogari cerneret ; cæteri viri licet doctiſſimi, qui Nizolium faſtidiunt,ſi in Nizoliana tempora incidiſſent,credo aliter ſentirent. Aliud profectò judicavit Cælius Secundus Curio vir longè præſtantiſſimus,qui conſcio ac conſentiente ipſo Nizolio indicis Ciceroniani locupletationem ac recenſionem in ſe ſuſcepit ; eodem incubuere Baſilius Zanchius , Marcellus Squarcialupus, & Jac. Cellarius Auguſtanus. Ad Philoſophicas autem meditationes hac ipſa diligenti Ciceronis lectione veniſſe videtur. Cum enim videret ſubtiliſſimum quemque Philoſophiæ locum de Diis,de fato & divinatione, de rerum finibus , de diſſerendi , inveniendi ac judicandi arte , de omni parte Reipublicæ ac vitæ humanæ officiis à Cicerone accuratè ſimul,& latinè, & luculenter, ne dicam eleganter & ubertim , tractatum eſſe ; Nizolius noſter vir acutus & bonus, non ſolum deſpicere meritò cœpit infelicem Scholaſticorum tractandi rationem,tenebrarum affatim , parum rerum utilium , elegantiæ verò omnino nihil continentem ; ſed & impetum ſumſit mentem hanc ſuam , & ad eam confirmandam meditata , hoc ævo reſtaurandis artibus fatali,publicè exponendi. Et paſſim quidem in ſcriptis ſuis excidere ſibi talia paſſus eſt,& ut credi par eſt, oretenus data occaſione monuit ; ſed ad juſtum opus occupandum hac demum , quæ ſequitur occaſione pertractus videtur. Scripſerat Cælius Calcagninus diſputationes ſive diſquiſitiones Baſil. cæ apud Frobenium anno

anno ſuperioris ſeculi 44. editas, quibus paulò liberius Officia Ciceronis reprehendebat. Continuò id male habuit doctos viros Tullii cultores, ex quibus ſac Gryphol9 Romæ apud Aldum, Marcus Antonius Majoragius Mediolani Ciceronis defenſionem edidere. At ſuperveniens Nizolius, Cælium quod Ciceronem impugnaret, Majoragium, quod Ciceronem & Ariſtotelem ſimul defendi poſſe putaret, perſtringendos ſumſit. Scriptum illud Nizolii tum ſeparatim impreſſum eſt, tum, titulo defenſionum aliquot Ciceronis locorum, editioni Ciceronis officiorum Venetę anno 1554. in folio ſubnexum eſt. Ciceronis etiam partes egere Joach. Camerarius & Hier. wolfius, quemadmodum & nuperrimè Clariſſimus Sam. Rahelius, illuſtrandæ morali Ciceronis Philoſophiæ laudabili conatu incubuit. Verùm Majoragius carpi ſe à Nizolio non laceſſito indignius quàm pro injuriæ parvitate tulit, ſtimulante eum Octaviano Ferrario peripatetico celebri & erudito, qui Nizolii æmulus erat, & libertatem illam de Ariſtotele judicandi concoquere non poterat. Hujus ſubſidiis fretus Majoragius, ſcripſit acerbè ſatis libros duos Reprehenſionum contra Marium Nizolium, quibus acceſſit recuſatio omnium eorum, quæ Nizolius in deciſionibus ejusdem Majoragii tanquam male poſita annotavit. Ita coactus tandem Nizolius re tota ad accuratius Examen revocata edidit hos libros IV. de veris principiis & vera ratione philoſophandi, quibus ſententias ſuas à Ferrario & Majoragio reprehenſas, antequam ſatis editæ eſſent, non publicat tantùm, ſed & data operâ juſtoque Scripto defendit. Majoragii autem ſola præfatione, & libri IV. cap. 6. meminit, ubi pugnat Ethica Nicomachea non Ariſtotelis ad Nicomachum, ſed Nicomachi ipſius eſſe; ſubducens nimirum ſeſe certamini inutili, & ipſi rei potius explicandæ incumbens. Inſcriptio operis hæc eſt in editione, unde novam hanc expreſſimus: *Marii Nizolii Brixellenſis de veris principiis & vera ratione philoſophandi contra Pſeudophiloſophos libri IV. in quibus ſtatuuntur ferme omnia vera verarum artium & Scientiarum principia, refutatis & rejectis propè omnibus dialecticorum & Metaphyſicorum principiis falſis, & præterea refu-*

tantur

tantur ferè omnes Marii Antonii Majoragii objectationes contra eundem Nizolium usque in hunc diem editæ. Parmæ apud Septimum Viottum 1553. in 4to. An aliud quippiam in Philoſophia præſtiterit Nizolius, equidem ignoro: hoc tantum didici, *vertiſſe Galeni explicationem obſoletarum vocum Hippocratis.* Liber ab eo recognitus, excuſus eſt Venetiis à Juntis cum operibus Galeni Anno 1550. Fuit & alius Parmæ Nizolius, fortaſſe noſtro cognatus, poſterior tamen, profeſſione JCtus, cujus allegationes juris de Emphyteuſib9 extant excuſę Parmæ apud Brudon in quarto, 1603. Arq; hæc quidem de autore non admodum curiosè inquirenti, ſe obtulerunt, quem credibile eſt eadem cum Laurentio Vallâ fortunâ uſum, cui Grammatici nomen nocuit, effecitque, ne multum animis hominum movendis poſſet, idem jam ante Petro Abaëlardo, idem Angelo Politiano, Ludovico Viveti, Eraſmo, Andreæ Alciato, atque ipſi Jacobo Cujacio, tùm nuper Salmaſio, Grotio, &c. ab imperitis objectum eſt, & multa hujusmodi peculiari in Grammaticos invectiva congeſſit homo licet ex inſtituto ac profeſſione ſua γραμματικώτατος Maximilianus Sandæus. Quæ quamvis inania deprehendantur, & revera nulli ſint magis Grammatici, quàm qui ſub venerabili Philoſophiæ titulo perpetuas Logomachias ſerunt, vulgi tamen animis ne nunc quidem ſatis eximi poſſunt. Sed & illud obſtitiſſe Nizolii progreſsibus videtur, quod in Italia ſcripſit, in qua etiam nunc Ariſtoteles cum Scholaſticis addictiùs regnat. Quid enim Franciſco Patricio, quid Cardano, quid Galilæo, quid Apologiſtæ eius Campanellæ, quid ipſi Johanni Franciſco Pico evenerit, notius eſt, quàm ut recenſeri mereatur. Acceſsit illius ſeculi ratio in quo veritas incipiebat tantùm velut per ~~rimam~~ rimam ſeſe oſtendere & ſcintillis quibusdam emicare, inſtar facularum ignearum quæ inter maculas ſolares nonnunquam ebulliunt, & favillarum quæ cum fumo ſubvolant. Noſtro tempore largior lux; & vel hoc ſaltem in confeſſo eſt, Ariſtotelem errare poſſe.

Nunc ad argumentum operis accedendum eſt, inſcripſit autem *de veris Principiis & vera ratione Philoſophandi*, titulo, fa-

teor,

teor, magnificentiore quàm par est. Nihil aliud enim toto opere, quàm *Logica quædam reformata & ad puram propriamque loquendi rationem revocata* continetur, quæ quidem me autore vera libri inscriptio esset, sed nolui in alienis immutandis intempestivè ingenioſus esse. In Metaphysicam passim invehitur, nec affert tamen quicquam quod Metaphysicæ principia convellat, nisi quatenus dialecticis cognata sunt, neque uspiam de uno & multo, de toto & parte, de eodem & diverso, de necessario & contingente, de causa & effectu, de mutatione & duratione, atque aliis metaphysicæ locis tractationem suscipit. Rerum naturalium & mathematicarum nulla mentio, civilia vix frigidè attinguntur.

Ut ita tam magnificæ inscriptionis excusationem nullam inveniam, nisi hanc unam: Logicam veram non tantùm instrumentum esse, sed & quodammodo principia ac veram philosophandi rationem continere, quia generales illas regulas tradit, ex quibus vera falsaque dijudicari, adhibitisque solis definitionibus & experimentis omnes conclusiones demonstrari possunt. Sed sunto etiam non philosophiæ, non ipsarum propositionum principia, veritatemque rerum non faciant, sed ostendant; attamen philosophum facient, rectè philosophandi principia erunt, quod Nizolio tuendo satis est. *Ita autem quod reliquum est præfationis partiemur, ut prius de usu eorum quæ rectè Nizolio disputata sunt, deinde de erroribus eius quibusdam & excessibus, differamus.* Usus Nizolianarum meditationum scopum simul editionis hujus iteratæ continet, ut ita ei parti fit paulò diligentius incumbendum. Duo autem mihi potissimum editione dignum Nizolium reddere visa sunt, *dicendi ratio*, & *tempus autoris*, dicendi ratio quia Philosopho digna est; tempus autoris, quia autor nostro dignus est, illo certè tempore quo vixit, meditationes eiusmodi non nisi solidissimis & exquisitissimis ingeniis obtigerunt. Dicendi ratio, quam ille non adhibet tantùm, sed & perpetuò urget, solidissimis viris dudũ digna visa est, quæ paulatim velut postliminio in Scholas reducatur. Dicendi inquam ratio naturalis & propria simplex & perspicua, & ab omni detorsione & fuco libera, & facilis & popularis,

pularis,& è medio ſumta,& congrua rebus,& luce ſua juvans potius memoriam,quàm judicium inani & ~~ſtrepito~~ acumine confundens. Sed nobis ipſis danda hic opera eſt, ne in vitium incidamus quod reprehendimus , grandem nimirum & translatam & ampulloſam dictionem.

Tres in univerſùm *laudes orationis* mihi eſſe videntur: *claritas*, *veritas & elegantia*. Nam *utilitas* ipſarum potius rerum eſt. *Clara* eſt oratio cuius omnium vocabulorum ſignificationes notæ ſunt, tantùm attendenti. *Vera* eſt oratio, quæ ſentiente & medio rectè diſpoſito ſentietur: (nam claritatis menſura intellectus, veritatis ſenſus) quæ unica eſt,& veriſſima veritatis definitio, quicquid etiam hactenus ſit dictum , & ex qua omnes rectè judicandi Canones demonſtrari poſſunt. Sed hoc exponere alterius loci eſt, tantùm exemplo eam declarabimus. Hæc oratio: *Roma ad Tiberim ſita eſt*, ideò vera eſt,quia ut ſentiam quod dicit,nihil aliud requiritur,quàm ut ſentiens & medium rectè ſe habeat; ſentiens nimirum nec ſit cœcus,nec ſurdus,medium ſeu intervallum non ſit nimis grande. His poſitis , ſi ego ſim Romæ aut prope Romam , fiet ut *videam* eodem obtutu urbem & flumen , & ita urbem hanc eſſe ad hoc flumen , *audiam* verò urbem hanc dici Romam , Fluvium Tiberin. Similiter in abſtractis,hæc oratio : *binarius eſt par* vera eſt, quia ſi video (audio, tango , cogito) binarium , video unum & unum , (per definitionem *binarii* ex auditu lectuve perceptam) & nihil ultra; video igitur duas partes binarii totum abſolventes,unum & unum, easque inter ſe æquales, quia unum uni æquale eſt. Numerus autem cujus duæ partes totum abſolventes ſeu integrantes ſunt æquales dicitur *Par* (per definitionem *Paris* lectu audituve perceptam) Ergo qui ſentiet propoſitum numerum eſſe binarium, ſentiet eſſe parem , & ideò propoſitam orationem eſſe veram. *Elegans* eſt Oratio,quæ auditu lectuve jucunda eſt, Cùm autem de Oratione philoſophica , ſtyloque illi debito ſermo ſit nobis, *elegantiam* impræſentiarum prætermittemus, etſi fateamur eam ad attentionem procurandam, ad movendos animos,ad ~~memo~~-

riam

vis memoriæ ubivis in hypothesi o (so
riam fortius, ut sic dicam, imprægnandam, plurimum posse. Sola *Certitudinis* ratio habenda est, quantam materia capit. Certitudo autem, etiamsi rigorosissimus definitor accedat, nihil aliud esse comperietur, quàm *Claritas veritatis*, ut ita vel ex ipsa certitudinis notione sequatur orationis philosophicæ, quippe certitudinem quærentis dotes esse claritatem & veritatem. Et verò manifestum est veritatem propositionis notam esse non posse, nisi significatio vocabulorum sit nota, id est (per definitionem claritatis) nisi sit clara. clara orationis)

Claritas, in oratione est non verborum tantùm, sed & constructionis. Nam si constructio clara non sit, notum erit quidem, quid verba significent simpliciter & per se sumta, sed non quid significent hoc loco ad cætera relata. Sed in obscuritate constructionis oratores potius & poetæ, quàm philosophi nostri peccare solent, nobis igitur est de vocum per se sumtarum potius claritate dicendum. Claritati, seu notitiæ significationis, duo vitia opposita sunt, *obscuritas*, & ut sic dicam nimia claritas seu *ambiguitas*, illic nulla significatio nota est, hic plures simul apparent, sed quæ sit vera incertum est. Porro claritas vocabuli ex duobus oritur, vel ex *voce per se*, vel ex *circumstantiis orationis*. Claritas vocis per se rursus duos habet fontes: *originem* & *usum*. Origo autem vocis tandem in duo resolvitur *usum* radicis, & *analogiam* ex radice factæ derivationis. Usus est significatio vocis communiter nota eadem linguâ utentibus. *Analogia* est significatio flexionis seu derivationis itidem nota eadem linguâ utentibus v. g. Vocis *Fatum*, usus vel significatio nota est necessitas eventuum; ejusdem origo componitur ex usu radicis & analogia: radix est for, vel fari, Radicis usus est: dicere; analogia fati est: *atum*, qua in lingua latina significatur participium perfectum passivum ~~Radicis~~ Verbi, ut ita origine fatum idem sit quod dictum. Plerumque autem usus ex Origine tropo quodam ortus est, quod & in exemplo proposito patet, nam origine fatum idem est quod dictum, usu idem est quod necessariò eventurum; videamus igitur cujus dicta sint necessariò eventura, & manifestum est ad Dei solius dictarem sequi.

sequi. Igitur fatum *origine* est dictum, hinc *antonomasia* seu κατ' ἐξοχὴν dictum Dei, hinc porro per *Synecdochen* dictum Dei de futuris, seu decretum Dei, hinc denique *metonymia* causæ, necessariò eventurum, qui nunc vocis *usus* est. Unde boni Grammatici, atque etiam Philosophi est continuatis Troporum foritis, ut sic loquar, vocis usum ex origine deducere posse. Qua in re artificem inprimis esse video Julium Cæsarem Scaligerum, cujus originum libri non exiguo etiam Philosophiæ detrimento perierunt, nisi quatenus filius iis fortè in notis ad Varronem usus est, qui tamen plerumque ab iis quæ parens jam publicavit, & suis scriptis passim interspersit, dissentit. Sed ut in filii meditationibus plus eruditionis habemus, ita in parentis originationibus plus acuminis & philosophiæ amisimus. Cæterum in vocabulis adhibendis hæc regula tenenda est, ut si origo ab usu dissentit, usum potius quam originem in dicendo sequamur, sed usu vel dubio vel non repugnante origini potius hæreamus. Si multiplex usus est, danda opera est, ut vel abstrahatur animo *formalis* aliqua *significatio* quam vocant, id est ut detur significatio vocis, quæ omnes usitatas in se continet, in quo laborare solent Theologi, inprimis scripturarum Hebraicarum interpretes, quos inter hac sensuum venatione excellebat Samuel Bohlius; vel si illud fieri non potest, saltem constituatur *usus* aliquis, ut sic loquar, *originarius*, id est ex quo sic fluant usus cæteri, quemadmodum ex origine fluxit ipse, nempè per canales Troporum. Danda tamen in usu Originario constituendo opera est, ut sit significatio formalis, saltem plerorumque usuum, quoad eius fieri potest, ex qua cæteri usus deducantur. Sed in utroque, tam usu originario, quàm significatione formali deligendis, illud maximè dispiciendum est, ut ex pluribus se offerentibus eligatur propior origini vocis. Electa autem semel significatio si locus fert redigenda in definitionem (*definitio* enim nihil aliud est, quàm significatio verbis expressa; seu brevius, significatio significata) & auditori lectorive proponenda est. In definiendo non id solùm curandum est, ut definitio sit reciprocè vera, sed &, ut sit clara. Termini igitur Technici cane pejus & angue

angue fugiendi ſunt, & abſtinendum inprimis illis prædicamentorum vocabulis plerumque ab uſu latinæ linguæ remotiſſimis. Conſtitutæ ſemel definitioni *conſtantiſſimè* inſiſtendum eſt, ita ut ubique etiamſi definitionem definito ſubſtitueres nulla locutio abſurda ſequatur; ſed etſi definitionem nullam præmiſeris, debet tamen *uniformis* eſſe vocis uſus, ita ut eadem utrobique definitio ſubſtitui poſſit. *Atque ita patet dato vocabulo quæ adhibenda ſit ſignificatio, videamus, & contra: datæ ſignificationi quod adhibendum ſit vocabulum.* Quâ in re & compendii & claritatis ratio habenda eſt. Claritas autem maxima eſt in Terminis è medio ſumtis, uſu etiam populari retento; obſcuritas ſemper aliqua in Technicis. *Terminum* (liceat enim hoc ſenſu Termini nomine uti, ut ſignificet vocem quatenus ſignificata eſt, niſi *vocabuli* nomen ſubſtituere mavelis, quod me quidem non invito fiet) *popularem* voco cum vox & ſignificatio uſitata eſt; *technicum*, cùm vel vox vel ſignificatio privata (ſeu certo homini vel hominum generi propria) eſt. Si ipſa vox privata eſt, ſequitur ut facta ſit per quandam ὀνοματοποιΐαν, qualia ſunt pleraque vocabula der Rothwelſchen Sprache / cuius Lexicon in compendio habet Geſnerus in Mithridate. Eſt autem in hoc vocabulificio, illud imprimis attendendum, ut non caſu quaſi & arbitrario animi impetu, ſed ratione quadam effermetur, ratio autem quo aptior, hoc laudabilior. Ratio formandi aptitudinem habet tum à Radice, tum à modo formandi, Radix deber eſſe uſitata, & rei quam novo vocabulo deſignare contendimus, quantum fieri poteſt propinqua, Analogia debet eſſe & uſitata & apta, ita ut ex ſignificatione radicis & analogiæ conflari vocabuli novi definitio quam intendimus, poſſit. v.g. *Hacceitas* non habet analogiam uſitatam, melior eſſet: *hoccitas*, (vel hoccimonia) uti *quidditas*, non *quædeitas*. Jam ex Hoccitatis radice & analogia conflari eius definitio poteſt, nam Hoccitatis radix eſt *hoc*; analogia, *itas*. Analogia autem iſta ſeu derivandi ratio ſignificat rationem appellationis in radice, ſeu qualitatem radicis quatenus talis eſt, qualis eſſe dicitur, erit igitur *Hoccitas* ratio cur aliquid dicatur hoc (uti qualitatem definit Ariſtoteles,

à qua dicimur quales) vel qualitas *hujus* quatenus *hoc* est. Nec mirum est abstracta definiri per concreta, quia concreta sunt notiora. Sin verò non vox, sed significatio sit nova, attendendũ est, tum an significatio quodammodo congruat voci, id est ope troporum vel ex usu eius cõmuni, vel saltem ex origine deduci possit; tum an non haberi potuerit vox congruentior. Exemplis omnia illustranda essent, si esset instituti mei persequi magis talia, quàm monere. Porro Terminis Technicis, ut dixi, planè carendum, ab iisq; cavendum est, quoad eius fieri potest, fieri autem semper non potest, prolixitatis causa, quæ oritura esset, si utendũ esset semper vocabulis popularib9. Nam exempli causa: *Quadratum* est quadrilaterum, æquilaterum, rectangulum; sed æquilateri, quadrilateri & rectanguli vox (ut planùm præteream, rursus est technica, resolvatur igitur: *æquilaterum* est cuius omnia latera sunt æqualia, *quadrilaterum* est cuius tantùm quatuor sunt latera: Latus est linea terminans. Rectangulum est, cuius omnes anguli sunt recti, angulus est concursus linearum, rectus est qui utrinque æqualis est. Ergo si terminis technicis abstinendum est, pro Quadrati voce adhibendæ semper essent hæ voces simul: id cuius omnes lineæ terminantes sunt æquales, & cuius tantùm quatuor sunt lineæ terminantes, & omnes concursus lineæ terminantis ad lineam terminantem utrinque æquales. Et tamen, si rigorosius agendum est, etiam, & lineæ, & termini, & concursus, & æqualitatis vocabula essent ulterius resolvenda, nam ut in usu sunt, exactè Geometrarum conceptibus non quadrant, quemadmodum nec vox quadrati, quæ tum origine tum usu communi omni quadrilatero tribui potest, cum Geometræ per antonomasiam soli tribuant æquilatero rectangulo, tanquam perfectissimo, quàm verò molestum, quàm ineptum futurum sit in loquendo & demonstrando pro Quadrati voce tot semper aliis vocibus uti, credo etiam cæcum videre, addi possunt quæ in *arte combinatoria* passim dixi. Quamquam igitur istis resolutionibus terminorum technicorum in merè populares, solidaretur *judicium*, unde etiam in perfecta demonstratione nihil fit aliud, quàm talis in ultima & notissima resolutio, subiecti nimirum & prædicati in definitiones, & terminorum definitionem ingre-

ingredientium rursus in definitiones,(sive omnis ea resolutio fiat uno loco,sive aliis definitionibus aut demonstrationibus nostris,alteriusve scriptoris, cuius usum vocabulorum nostrum facimus, jam facta sit,ad quas remittimus) tamen obrueretur *memoria*; necesse igitur fuit technicos terminos earum rerum excogitare, quibus populus,vel quia non animadvertit,ut Lineam Quadratricem,vel quia rarò utitur,ut Hyperbolâ & Parabolâ,peculiaria nomina non imposuit;sufficere credens,si forte tandem aliquando usus poscceret,circumscriptione designare. Et quidem verissimum est,nullam rem esse,quæ non explicari terminis popularibus,saltem pluribus,possit. Unde rectè Nizolius noster passim urget, id pro nullo , pro commentitio,& inutili,habendum esse, cui non in lingua communi aliqua vox saltem generalis,(id est,ut ego interpretor , quæ cum aliis itidem generalibus juncta speciatim tandem rem exprimere possit) sit imposita. Nam philosophi plebeiis non semper in eo præstant, quod alias res sentiant,sed quod sentiant alio modo , id est oculo mentis,& cum reflexione seu attentione,& rerum cum aliis comparatione; attentio autem hominum ad aliquam rem non potuit melius excitari,quàm certo vocabulo imposito,quod nota esset memoriæ mihi ipsi,signum judicii erga alios. De cætero tantùm abest,ut Philosophi res abstrusiores & nobiliores sentiant , quàm homines cæteri,ut potius contrà,antequam incomparabilis Verulamius,aliique præclari viri philosophiam ex ~~aeris~~ divagationibus aut etiam spatio imaginario,ad terram hanc nostram & usum vitæ revocarunt, sæpe ciniflo aliquis Alchymista solidiores & præclariores de rerum natura comprehensiones habuerit, quàm philosophaster quispiam, (neque enim negamus etiam inter Philosophos, eos præsertim, qui ex Aristotelis & veterum fontibus potius, quàm lacunis scholasticorum sua hauserunt,viros solidè & ad usum doctos complures superfuisse)intra claustra solis sive hæcceitatibus , sive hoccitatibus incumbens. Philosophi igitur sæpe non sentiunt , nisi quæ & alii sensere, sentiunt tamen cum attentione,quæ alii neglexere. Ita Joachimus Jungius Hamburgensis,vir verè philosophus, plurimas insectorum species multis haud dubiè mortalibus visas, sed ab omni-

bus hactenus præteritas & pede calcatas, obſervavit, collegit, digeſſit, comparavit inter ſe, & ex illa comparatione nomina etiam nova impoſuit. Cuius hæc & alia meditata à Clariſſimo Vogelio quam primum ſperamus editum iri. Nonnunquam tamen fateor, & philoſophi ſentiunt corpora aut corporum qualitates, quas alii nunquam ſenſere; ita Chymici ſæpiſſimè nova hactenus ignorata corpora variis mixtionibus reſolutionibusque producunt; idem fit compoſitionibus Medicorum, quibus etiam ſæpe ab autore nomen imponi ſolet, majore ad perennitatem nominis efficacia, quàm ſi ex ſolido adamante ſtatua illi cum elogio collocata eſſet. Qualitates quoque novas, ut ignotos hactenus colores plurimos, haud dubiè vidit, qui primus microſcopio uſus eſt. His igitur caſibus nomina vel nova formanda, vel vetera tropis quibusdam à relatione rei qualitatisve novæ ad veteres, petitis, huc accommodanda ſunt. Illud igitur pro certo habendum eſt, quicquid terminis popularibus explicari non poteſt, niſi immediato ſenſu conſtet (qualia ſunt multa Genera colorum, odorum, ſaporum) eſſe nullum, & à philoſophia velut piaculari quodam carmine arcendum. Unde philoſophis quibusdam ingenioſis mos eſt egregios illos diſputatores dialecticos ad hoc urgere, ut vel omnes terminos ſuos clarè explicent, vel ſi hanc moleſtiam ſubterfugere velint, deſcendant ad linguam aliquam vivam ſeu popularem, ac tententin eâ animi ſenſa exponere; quo facto mirum eſt, quàm vel conſternentur illi, vel ſi rem tentent, à præſentibus viris judicio atque experientia præditis, latinæ tamen linguæ non admodum curioſis, irrideantur. Ego certè eâ ratione factum eſſe arbitror, ut in Anglia Galliâque paulatim nimis ſcholaſtica philoſophandi ratio exoleverit, quia jam dudum illæ gentes philoſophiam ſua lingua excolere cœperunt, ut ipſi plebi quodammodo, atque etiam fœminis aditus de talibus judicandi ſit factus. Idem haud dubiè factum eſſet apud Italos & Hiſpanos, niſi ibi Theologi ſcholaſtici cognatis ſibi philoſophis ſubſidio veniſſent. In Germania inter alias cauſas, ideò fixior eſt ſcholaſtica Philoſophia, quòd ſerò, & ne nunc quidem ſatis, germanicè philoſophari

phari cœptum est. Illud tamen asserere ausim, huic tentamento probatorio atque examini philosophematum per linquam aliquam vivam, nullam esse in Europa linguam Germanicâ aptiorem; quia Germanica in realibus pleniſſima est & perfectiſſima, ad invidiam omnium cæterarum, cùm artes reales & mechanicæ à multis seculis à nulla gente sint diligentius excultæ; usque adeò ut ipsi Turcæ in fodinis Græciæ & Asiæ minoris, vocabulis metallicis Germanorum utantur. Contra ad commentitia exprimenda lingua Germanica est facilè ineptiſſima, longè quidem Gallica Italicaque & cæteris latinæ propaginibus ineptior; quia in Latinæ filiabus, voce Latino-Barbara leviter inflexa statim fit Gallica aut Italica non-barbara, unde & multa philosophiæ Scholasticæ in Gallicum quomodocunq; tamen translata habentur; at in Germania nemo hactenus tale quicquam, nisi omnium sibilis exceptus, tentavit. Sed si terminos Latinos retinere aut detorquere voluisset aliquis, hoc jam erat non germanicè sed latinè philosopharĩ, nec habuisset ullum usum nec intellectum fuisset à quoquam latinitatis imperito, quia Germanica à latinâ toto cœlo distat, quod secus est in Italica Gallicaque. Atque hæc causa fuit philosophiæ apud nos serius vernaculo sermone tractatæ, quia Lingua Germanica non à philosophia quidem, à barbara tamen philosophia abhorruit, cùm verò barbara philosophandi ratio serò sit pulsa, mirum etiam non est tardigradam in philosophando nostram linguam fuisse. Quod de Germanica, idem de Germanicæ filiab9 Suedica, Danica, Anglica, Belgica, dicendum est, nisi quòd Belgicam atque Anglicam in admittendis aliarum linguarum vocabulis ipsa vicinitas audaciores fecit, cùm contra apud Germanos, tametsi Scholasticastri quidam, aut peregrinatorculi meris Latiniſmis, Italiciſmis & Galliciſmis perstrepant, usus tamẽ & virorum gravium, & plebis talia respuat. Slavonicam Linguam huc non affero, quia in realibus ipsis satis plena non est, & plerasque res mechanicas aut importatas germanicis vocabulis nuncupat. Illud verò prætereundum non est hoc loco, quod Thomas Hobbes pro sueto sibi ingenii acumine observavit, apud eas gentes, quibus mos est verbum Substantivum: *Est*, perpetua Ellipsi subintelligere, qua-

les sunt noñullæ Orientales, magnam partem philosophiæ Barbaræ, aut non omnino, aut ægerrimè exprimi posse; cùm tamen eæ gentes non sint minus quàm cæteræ aptæ ad philosophandum, & lingua alioquin in rebus ipsis copiosa cultâque utantur. Sed à digressione in viam regrediendum est. Cùm igitur constet eas res esse nullas, quæ popularibus terminis explicari non possunt, constet etiam tanto clariorem esse orationem, quanto termini sunt populariores, nisi forte nimis multiplicatis ea ratione vocabulis, jam ex alio capite tædium, oblivio, & sic obscuritas nascatur, manifestum est normam ac mensuram adhibendorum terminorum esse debere, *compendiosissimam popularitatem*, vel *populariſſimum compendium*. *Quandocunque igitur termini populares ſuppetunt æquè compendioſi, abſtinendum eſt terminis Technicis.* Est profectò hæc una ex regulis fundamentalibus Styli philosophici, in quam passim impingitur, præsertim à Metaphysicis & Dialecticis; nam res ipsæ Dialecticæ & Metaphysicæ pleræque, creberrimè in sermonibus, scriptis, cogitationibus etiam plebeiis occurrũt, & in omni vita passim teruntur. Hinc factũ est, ut ipsa crebritate admonita gẽs, peculiarib9, usitatis, maximè naturalibus & compendiosis vocabulis talia designaverit; quæ cùm suppetant, peccatũ est novis plerũque etiam incommodioribus confictis (ut de ipsa sæpè in fingendo admissa ineptitudine nihil dicam) res obscurare, se verò imperitis tantùm admirabiles, cæteris ridiculos reddere. Par est ratio in moralibus, civilibus, & juridicis. quæ cum itidem sint omnium intellectui exposita, à novis terminis cõfictis, rarò in illis quicquã præter tenebras sperandũ est; rarò, inquam, nam & illud fateor nullam esse scientiam, in qua non terminis technicis sit opus, tunc nimirum cum plebs rem aut non sensit, aut sine attentione rursus dimisit. In Mathematicis autem, Physicis & Mechanicis maximè novis Terminis aut novè sumtis opus est, quæ, in his disciplinis tractantur, pleraque non sunt statim sensui obvia, aut in usu communi crebrò versantia. Producuntur enim eæ res, aut deteguntur qualitates, variis rerum in partes divisionibus, mutationibus, motibus, additionibus, detractionibus, translocationibus, commixtionibus, & omnino experimentorum industriis, quæ vulgus nisi necessitate coactum,

coactum, facere non solet, artifici cuiusvis scientiæ talia relinquens. Sed etsi termini technici parùm sint popularibus compendiosiores, notabile tamen tædii aut memoriæ levamentum hinc non oriatur, manifestum est itidem technicis in philosophando utilius abstineri. Est tamen inter philosophandi modos discrimen ingens, alius enim est, ut sic dicam Acroamaticus, alius Exotericus. *Acroamaticus* est in quo omnia demonstrantur, *Exotericus* in quo quædam sine demonstratione dicuntur, confirmantur tamen congruentiis quibusdam & rationibus topicis, vel etiam demonstratoriis, sed non nisi topicè propositis; illustrantur exemplis & similitudinib9, tale dicẽdi genus dogmaticum quidem seu philosophicum est, acroamaticum tamen non est, id est, non rigorosissimum, non exactissimum. Atque ista differentia etiam apud Mathematicos observatur distinguunt enim à Demonstrationibus Scholia, demomonstrationes rigorosissimè & acroamaticè, Scholia paulo familiarius atque exoterica quadam ratione tractantur, quod vel ex solo Proclo in Euclidem patet, qui in Scholiis historica quædam & quicquid rei illustrandæ facit, inspergere non dubitat. Gemina huic distinctioni distinstio est inter præcepta & commentaria, quam Bartholomæo Keckermanno, & Johanni Henrico Alstedio utiliter placuisse video, & tenuit quoque vir summæ doctrinæ Gerhardus Johannes Vossius in suis artium liberaliũ ac populariũ partitionibus. Usus huius discriminis est, ut non interrupto definitionum, divisionum & demonstrationũ cursu interseri ere tamen nonnulla scitu digna aut etiam profutura liceat. Quæcunque igitur de styli philosophici ratione dicta sunt, de parte Acroamatica dicta sunto. In Exoterica parũ luxuriari liceat, ut si certitudini aliquid, claritati tamen nihil aut parum decedat. Acroamatica autẽ pars constat ut dixi, Definitionib9, Divisionibus & Destrationibus, quanquam divisionibus supersederi possit, quemadmodum Euclides illis caruit, utiliter tamẽ adhibẽtur, saltem ad definitiones inter se ordinatè connectendas, propositiones enim non divisionibus. sed demonstrationibus connecti debent. Quicunque igitur accuratè definire aptè dividere, & demonstrare seu ~~certam~~ quandam propositionem reddere profitetur, rigorosissimè se gere-

re, nec

re, nec vocem nisi definitam, aut propositionem nisi demonstratam aut immediato sensu certam in demonstrando adhibere debet. De cætero liceat fortasse acutas nonnunquam allusiones, similitudines, metaphoras, exempla, argutias, historias, inspergere & lectoris fessi animum jucunditatis interstitio recreare, sic tamen ut tunc quoque omnis obscuritas, omnis translationum nimietas vitetur.

Illud quoque hoc loco admonitu dignum visum est, quia vulgò contra sentiunt; *inter accuratè philosophandum concretis tantum utendū esse*; idque ipsum Aristotelem plerumque feciſſe video; ποσὸν, ποιὸν, τὰ πρός τι potius ipsi in ore sunt, quam ποσότης, ποιότης, ἕξις seu si sic loqui fas esset, προς-τιότης; id vulgò sectatores excusant, quasi pinguius factum, ac se si diis placet, acutiores somniant, cum omnia abstractis complent; cùm contra pro certo compertum sit istam abstracta vocabula excogitandi libidinem pene totam nobis philosophiam obscurasse, quibus tamen careri in philosophando prorsus potest. Nam concreta verè res sunt, abstracta non sunt res, sed rerum modi, modi autem nihil aliud sunt quàm relationes rei ad intellectum, seu apparendi facultates. Et verò datur modorum in infinitum replicatio, & qualitatum qualitates & numeri numerorum, quæ si omnia res sunt non infinitas tantùm, sed & contradictio oritur. Nam si Entitas Ens est, si Realitas res est, si aliquidditas aliquid est, idem erit forma sui ipsius seu pars conceptus sui quod implicat. Si quis igitur aliquando Elementa Philosophiæ perfectè constituturus est, eum abstractis propè penitus abstinere necesse est, Recordor quidem acutissimum Hobbesium abstractis aliquam utilitatem tribuere, idque eo potissimum argumento quod exempli causa aliud sit duplicare calida, aliud duplicare calorem. Verùm hæc ipsa caloris duplicatio terminis concretis efferri potest, nam si dicam eandem rem duplo calidiorem esse factam, jam intelligetur non calida, sed calorem duplicatum esse. Terminorum igitur abstractorum nunquam ego, ut verum fatear, ullum in philosophandi rigoroso genere usum magnopere comperi, abusus verò multos & magnos, & valde pernicioſos. At in exoterica dicendi ratione credo abstracta adhibita tempestivè, usu suo non carere, acuere enim inprimis

mis ſententias,& figere quaſi attentionem lectoris , ac de cæteris cogitationibus impræſentiarum dimittendis admonere; more ſecundarum notionum,quibus cur abſtracta æquiparem cauſas habeo multas & graves. Nam in univerſum ita ſentio, ſubſtituere abſtracta concretis,& pro hac propoſitione: *homo eſt rationalis*,ſubſtituere illam: *homo habet rationalitatem*, aut: *cui ineſt Humanitas*, *illi ineſt rationalitas*, aut: *humanitate rationalitas continetur*, eſſe non tantum tropicum , ſed & ſuperfluum; ac perinde eſſe ac ſi quis loco ejusdem propoſitionis,diceret: *certum eſt*,*verum eſt*,*non eſt dubitandum*; *quisquis attendet*,*ſentiet* , *idea hominis menti meæ per ſenſum impreſſa confirmat*,*hominem eſſe rationalem*;quæ variandi genera rei nihil addẽtia præter relationem ad mentem,ad illuſtrandum inculcandumque poſſunt aliquid,ad accutatè philoſophandum, ad definiendum, dividendum & demonſtrandum nihil. Hactenus oſtenſum eſt terminis Technicis abſtinendum eſſe,quoad eius fieri poteſt; nunc illud attendendum eſt,ſive popularibus,ſive Technicis utamur,*tropos* tamen *aut nullos aut exiguos aptosque eſſe debere*. Quod à Scholaſticis parum eſt obſervatum,nam quod quis miretur eorum oratio tropis ſcatet. Quid enim aliud quàm tropica ſunt dependere, inhærere,emanare, *influere*. Cujus poſtremi vocabuli inventione mirè ſe effert Suarez.Cum enim Scholaſtici ante eum dudum in generali cauſæ notione venanda,ſudaſſent,nec verba illis commoda ſuccurrerent, Suarez non quidem ingenioſior,tamen audacior fuit, & adhibito callidè influxus vocabulo, cauſam definivit: *quod influit eſſe in aliud*, barbarè ſatis & obſcurè; nam & inepta conſtructio eſt, qua influere ex neutro fit activum; & metaphoricum eſt iſtud influere, & obſcurius ipſo definito : faciliore enim negotio cauſæ quàm influxus vocem tam monſtrosè acceptam definire ſperarim. Illud denique obſervandum quod & jam tum paſſim monuimus *origini vocis*,*præſertim cum certa eſt* , *qua pote*,*inſiſtendum*. Sanè verum eſt omnem originariam vocis ſignificationem eſſe propriam , neque enim video qui per tropum ex alio translatus dici poſſit; ſed tamen illud fateor quandam ſignificationem eſſe propriam, quæ non ſit originaria,quod & rectè obſervavit Clmus Brunſmannus in iis quæ de

propria & translata ſignificatione nuper peculiari opera commentatus eſt. Quibus ejus cogitatis tamen illud adjicio: omnẽ ſignificationem non originariam aliquando fuiſſe translatã, eo nimirũ tempore quo primum vox à primigenia ſignificatione ad alias troporũ adminiculo promota eſt; factam verò tandem propriam, cum primũ ita vulgaris facta eſt, ut æquè ſit nota, aut notior etiam nativa; & jam homines non propter flexiones à nativa factam, cuius ſæpe ne recordantur quidem, ſed per ſe voce ſic utantur. Interea ſi quis deſtinato conſilio ſibi proponeret, vocib9 quarum certa originatio eſt, perpetuo inter philoſophandum non aliter uti, quàm origo poſtulat, eius conſuetudo res illaudabilis nec aſpernãda foret, etſi difficile cenſeã hoc conſtanter exequi. Ita ſatis, opinor, fusè, pro inſtituti ratione de Claritate vocabuli per ſe dictum eſt. *Claritas* verò *quæ ex Circumſtantiis* ſumitur, ſumitur vel ex ipſa oratione, vel extrinſecus. Si ex ipſius Orationis circumſtantiis ſumitur, erit Claritas ſi non vocabuli per ſe, tamen orationis per ſe. Quod fit, cùm ex ipſa oratione apparet materia ſubiecta de qua agitur, & cum materia ſubiecta tollit ambiguitatem, nam ſi de Urſa, plauſtro, cane, lyra, loquitur, is cuius reliqua oratio in aſtronomicis conſumitur facile tollitur ambiguitas. Item ſi præmiſſa eſt definitio vocabuli, eo ipſo obſcuritas ſublata eſt. Sed ſi per multas demum coniecturas, licet ex ipſa oratione ſumtas, ſignificatio venanda eſt, longè infra claritatis laudem ſubſidit. Si verò ex ipſis extrinſecis circumſtantiis colligendus demum ſenſus eſt lectori & auditori, jam per ſe obſcura eſt oratio. Obſcura autem oratio fortaſſe alicui prophetæ, aut ebucci-
natori miraculorum Alchymiſtæ, aut oraculo Delphico, aut etiam theologo myſtico aut ænigmatographo Poetæ convenerit, à philoſopho nihil poteſt eſſe alienius. Equidem non ignoro & philoſophos Ægyptiorum veteres, & Sinenſium, qui ~~Ægyptiorum colonia eſſe videntur~~, hodiernos; & omnino orientales, &, qui eos ſecutus eſt Pythagoram apud Græcos; apud Latinos autem & Arabas, Chemicos; ænigmatibus ſua occuluiſſe. Quod eorum conſilium non poteſt uſquequaque improbari, neque enim omnia omnibus proſtituenda ſunt, & qui poſtea philoſophi artium, medicæ imprimis & mathema-

mathematicæ myſteria in vulgus exire paſſi ſunt rem à prudentia civili alienam fecerunt; poterant enim his velut inſtrumentis uti ad liberandas à tyrannide patrias & conſtituendas Ariſtocratias: & nemo prudens Lazarum Riverium, vel Antonium Mariam Rheitam Schyrlæum Cappucinum culpaverit obſcuritatis, quòd ille certam quandam compoſitionem medicam, hic tuborum opticorum magis magisque perficiendorum compendium à ſe repertum ænigmatis nube ſepiverunt. In philoſophando tamen accuratè, id eſt in definiendo, dividendo & demonſtrando, diſpellendas eſſe omnes illas nebulas, non eſt dubitandum. Licebat Philoſophis vel lingua quadam peculiari, quod de Ægyptiis & Hetruſcis ſacerdotibus fertur; vel ſcriptura ſaltem, qud nunc faciunt Sinenſes, ſua occulere, dummodo in hac ipſa lingua, in hac ipſa Scriptura, ipſi ſaltem inter ſe, clarè accurateque philoſophati eſſent, nec nunc intromiſſis in adyta, appareret vaſta rebus utilibus & egena ſolitudo quodque de templo Hieroſolymitano Tacitus ait inania arcana, quod de orientalium philoſophia verum eſſe magis magisque detegitur, ita explicata eſt una laudum Orationis Philoſophicæ: *Claritas*. Elegantiam aliorſum ablegavimus. Lege ſis interim Quærengum de Eloquentia Philoſophi. Sola Veritas reſidua eſt, ſed de hujus comparandæ ac confirmandæ ratione, deque omni inveniendi & judicandi artificio præcepta tradere ad Logicum pertinet, qui tamen ~~illa~~ accurata Claritate verborum inquirendi ac morosè cuncta discutiendi neceſſario alioquin onere, mirificè levatur. Nam ſi nulla vox adhibetur, niſi clara & certæ definitæque ſignificationis, omnis æquivocatio exulet neceſſe eſt, qua ſemel pulſa ingens ſophiſmatum agmen ſimul evaneſcet; nec quicquam ferè ad ſolidè judicandum ſupererit, quàm ut ~~ſenſus~~ ab erroribus, ſenſorio ac medio rectè conſtitutis, intellectus verò obſervatis ~~ſolis~~ conſequentiarum ~~regulis~~, præſerventur. Quæ cum ita ſint, parum abeſt, quin credam, uti Rhetoricæ duæ ſunt partes, una de verbis eleganter, ornatè & efficaciter ſtruendis, altera de movendis affectibus; ita ſimiliter Logicæ duas eſſe partes, unam verbalem, alteram realem; unam de claro diſtincto & proprio verborum uſu ſeu de ſtylo philoſophico;

alteram de regendis cogitationibus. Nam Grammatica ut loquamur purè & ex usu gentis, nos docet; Rhetorica ut aptè ad movendos affectus; Logica ut aptè ad movendam ~~mentem~~ intellectum dicamus. Quemadmodum igitur illi non probantur, qui Oratoriam à Rhetorica divellunt, oratoriam de movendis affectibus, Rhetoricam de elegantia dictionis præcipere jubent; quod faciunt Ramistæ quidam aut Semi-Ramistæ, viri cætera doctissimi, Keckermannus, Alstedius, Conr. Ditericus, Caspar. Bartholinus; quemadmodum, inquam illi non probantur, cùm ita implexus sit verbis omnis cogitandi volendique actus, ut vix unquam nisi tacito intra nos verborum usu fiat; cùm verba sint proximum cogitandi instrumentum; docendi autem cogitata nostra propè unicum; cum denique iisdem regulis simul & movendorum affectuum, regendarumq; cogitationum ratio, &, quibus propè solis id fit, verborum ad hoc aptè collocandorum præcepta contineantur; ita non improbandum arbitror, qui simul & de cogitandi præceptis, & genere dicendi ad docendum apto tractare ad Logici partes pertinere tuebitur. Quare nec Nizolius peccavit, quod in Logica tractatione dicendi rationem exactam passim urget, nec fortasse, qui ante Nizolium eo de argumento tam in omni Encyclopædiæ parte necessario, paulo fusius præfati sumus. Inprimis cum eo potissimum fine Nizolium ediderimus, ut, vel alieno labore contribueremus aliquid ad philosophiæ solidioris instaurationem, quæ nunc tot ubique sumis ingeniis connitentibus tam pulcrè procedit, adjuvandam. Speramus enim à lectione huius Nizolianæ commentationis non mediocrem fructum in rem philosophicam redundare posse, vel ideò, ut homines sobrio illi, ac proprio & nativo, ac verè philosophico dicendi generi magis magisque assuefiant; præsertim cum nemo mihi quidem scriptor notus sit, qui pari zelo, diligentia, atque etiam, si attentè legatur efficacia, in eam rem incubuerit, ut omnes illæ verborum spinæ ex agro philosophico funditus evellantur. Quod quidem in parte Logica atque ipso philosophiæ vestibulo sic satis præstitisse mihi videtur, dummodo existant, quod fore non desperamus in hac florentium passim egregiorum ingeniorum ubertate, qui cœptum

semel

ſemel laborem perſequantur, ac reliquas philoſophiæ partes metaphyſicam, phyſicam generalem, philoſophiam civilem ac veram jurisprudentiam à terminorum implexis ſentibus eadem ratione purgent; polliceremur de nobis aliquid, niſi partim aliis ſtudiis diſtraheremur, partim timeremus materiam aliis præripere, aptius omnia præſtituris. Cæterum quod Nizolium dixi præ cæteris aliquid in hoc genere præſtitiſſe, id tueri non vereor. Nam illuſtres illi philoſophiæ inſtauratores hodierni in eo potius occupantur, ut ſua ſibi inventa & cogitata præclarè conſtituant atque exornent, quàm ut vetera & in ſcholis recepta Ariſtotelis ac ſcholaſticorum tradita, poliant, ac purgent. Cùm tamen non ſit è re philoſophiæ vetera prorſus abjicere, ſed emendare potius, & quod egregium eſt, qualia certè ſunt innumera, ea præſertim quæ ipſo Ariſtotelis textu continentur, ~~tolerare~~ conſervare. Deinde fateor de dictione philoſophorum vulgarium barbara abolenda, monuiſſe, conſuluiſſe, declamaſſe multos, rem ipſam verò, quod fecit Nizolius, aggreſſos eſſe paucos, quia facilius ſcilicet eſt, carpere quàm emendare. Sanè cum primum literæ reſtaurari cœptæ ſunt, eruditi in philoſophos ſcholaſticos intonuere; contra Scholaſtici ſe reales vocabant, illos poetarum & grammaticorum titulo ab interiore rerum cognitione arcebant. Et memini videre aliquando ſcriptum cuiusdam ex illo grege theologi: hoc titulo: *Iohannis Seici Apologia quòd Theologia non ſit fundata ſuper Poeſi*, quaſi ſcilicet quiſquam hoc ſomniaſſet. Sed interea dum iſti fulminant, eruditi aulas magnatum paulatim occuparunt. Laurentium certè Vallam ſolus favor regius ab hæreſeos ~~commendatione~~ improperatione defendit, ut de Leonis X. & Franciſci I. Galliæ Regis in literatos propenſione nihil dicam, quæ profligandæ barbariæ multum potuit. Jam ante Vallam, princeps Dantes Aligerius Florentinus meliores literas velut ab inferis revocavit, huius diſcipulus Franciſcus Petrarcha primum in philoſophia civili quippe capaciore ~~elegantiam~~ elegantiam expertus eſt, qua in re Franciſcum Philephum, Poggium Florentinum, Leonardum Aretinum, aliosque ſuccenturiatos habuit. Aut Valla maiore vir ingenio ſpinas ſcholaſticorum primus calcare aggreſſus eſt, ac dialecticam conſcripſit ingenio ſuo dignam,

JCtos etiam libello de insignibus & armis, contra Bartolum, Theologos libello de libero arbitrio contra Boethium lacessere ausus. Tunc verò philosophiæ simul & eloquentiæ exquisitiori è Græcia subsidio venere Theodorus Gaza, Georgius Trapezuntius, Emanuel Chrysoloras,& Bessario postea Cardinalis. Et licet Gaza & Trapezuntius Aristotelem græcum resuscitantes, pugnarent inter se, Bessario autem Platonicus cum utroque; in Barbaros tamen æquali animi impetu itum est. Ab his instructi Johannes Picus de Mirandula, sui ævi phœnix, Astrologorum hostis, Hermolaus Barbarus ἐντελεχείας interpres, Nicolaus Leonicenus Patavinus, cuius & Nizolius noster lib. 4. cap. 8. meminit, cuius opera, ut Erasmus ait, Medicina iterum loqui cœpit, Marsilius Ficinus Bessarionis in affectu erga Platonem hæres, certamen pro vera sapientum eloquentia contra corruptores utriusque susceptum, acriore impetu, & recentibus armis continuarunt. Tandem Angelus Politianus, Joh. Franciscus Picus de Mirandula Rudolphus Agricola, Joh. Reuchlinus, Hadrianus Cardinalis, Erasmus Roterodamus, Paulus Cortesius, Joh. Ludovicus Vives, Philippus Melanchthon, Joachimus Camerarius, & multi consimiles, perrupere hostiles ordines, & latè stragem dedere. Hos, qui toto orbe secuti sunt philosophi eloquentissimi, tam multi sunt, ut brevibus chartis non capiantur. Barbarum porro dicendi genus peculiaribus scriptis multi oppugnarunt. Et exstant Epistolæ amœbææ Johannis Pici Mirandulani & Hermolai Barbari, quorum hic acerrimè in Scholasticos invehitur, ille mollire eorum vitia ac tegere magis quàm defendere, non improbabili pietate conatur. Tanti fecit eas Epistolas Philippus Melanchthon, ut addita dispositione edi in Germania curaverit. Addi potest Quærengus de Eloquentia Philosophi, Franciscus Floridus Sabinus, scripto quod pro latina lingua eiusque Scriptoribus edidit, Ubertus Folieta de Latinæ Linguæ usu & præstantia, Germonius, Corradus, Taubmannus, Barthius, de Latina Lingua, Susii Lima Ciceroniana, Andr. Schotti Tullianæ quæstiones, Alberti de Albertis actio in corruptores eloquentiæ, Melch. Inchofer de sacra latinitate, Erasmi Apologeticus adversus Martinum Dorpium, Joachimus

Vagetius

Vagetius de ſtylo , Chriſtoph. à Capite fontium de neceſſaria correctione Theologiæ Scholaſticæ, Ludovicus Carbajalus Bæthicus libro uno de Reſtituta Theologia , in quo , ut inſeruit titulo ipſe, Lector viſurus ſit Theologiam à Sophiſtica & barbarie magna induſtria repurgatam. Erycius Puteanus diatriba de Barbaris ad Barbarinos, Chriſtianus Becmannus , & Iſaacus Clauderus de barbarie ſuperiorum temporum, Friſchlinus Priſciano vapulante, Joh. Conradus Dietericus de infelicitate ſeculi ſuperioris in græcarum literarum ignoratione , Antibarbarus Sixti Amamæ & Petri Molinæi, Gerhardus Johannes Voſſius de vitiis ſermonis & gloſſematis latino-barbaris, Joh. Nieſſ. de ortu & occaſu linguæ latinæ eiusque inſtaurandæ ratione, Petrus à valle clauſa de immunitate Cyriacorum, qui omnes data opera in dictionem illam pſeudophiloſopicam invehuntur. His addi poſſunt , qui ex Cicerone & Quintiliano & Boethio, Philoſophati ſunt: Freigius, Buſcherus, Jaſon Denores, Ramusque & Ramei aut Philippo-Ramei propè omnes ; Adrianus item Cardinalis libris 4. de vera philoſophia ex 4. Eccleſiæ doctoribus: Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, & Gregorio Magno. De cætero ut Theologiam Scholaſticam Melchior Canus in locis , & Paulus Corteſius in libros ſententiarum, (nuper Petavius, opere dogmatum Theol.) ita Dialecticam Valla, Rudolphus Agricola, Polichius, Melanchthon, Cæſarius, Hunnæus, Cornelius Valerius, Perionius, Cœlius Secundus Curio, Ioan. Sturmius, Hottomañus; Metaphyſicã Vives, Niphus, Javellus (etiam Nizolio noſtro laudatus lib. 2. cap. 10.) Fonſeca, Brunus, Monlorius; Phyſicam Hermolaus Barbarus, Cornelius Valerius, Franciſcus Vicomercatus , Hieron. Fracaſtorius, Hieron. Cardanus, Jul. Cæſar Scaliger, Scipio Capucius, Titelmannus, & nuper Gaſſendus , dictionis elegantia illuſtrare cœperunt, Qui tamen terminos in Scholis receptos ſic ad vivum in cæteris philoſophiæ partibus reſecuerit, ut fecit in Logica Nizolius noſter, nondum comperi. Nizolium igitur , quo hactenus fuit ignoratior, hoc magis dignum putavi, qui *in exemplum dictionis philoſophicæ reformatæ* proponatur.

Altera Editionis Ratio fuit: Tempus Autoris. Acceſſit enim

ad

ad edendum hic quoque ſtimulus, quod apparet ex Nizolio eſſe quasdam ſententiarum periodos,& *quæ noſtro tempore velut nova producuntur, jam olim plurima à doctis viris magna cum contentione agitata eſſe.* Ita detexit Teleſcopium viam lacteam eſſe conſeriem inſenſibilium ſtellarum,idem dudum conjecerat Democritus. Ejusdem Democriti Vaticinatio erat,Nili incremēta eſſe à pluviis Æthiopiæ, quæ ſententia à coævis & propinquis ſcriptoribus irriſa, nunc peregrinationibus vera deprehenſa eſt; Epicuri & Lucretii Atomi,quàm magna nunc contentione refodiuntur? Hypotheſis terreni motus Pythagoræ fuiſſe dicitur,& illuc inclinaſſe Archimedem non obſcura ſunt veſtigia in libello de Numero arenæ. Illuſtris Digbæi pulverem ſympatheticum Antonius Deuſingius & Joh. Frid. Helvetius contendunt veterem eſſe. Circulationem ſanguinis per totum corpus non ab Harvæo primum obſervatam, ſed dudum deprehenſam legi in manuſcriptis ~~cuiusdam religioſi~~ Pauli Sarpi, quæ nunc quoq; Venetiis monſtrentur,refert in abſolutiſſimo Inſtitutionum Anatomicarum opere Thomas Bartolinus. Habeo ex narratione doctiſſimorum virorum,ipſum illum magnum Carteſium non mediocriter confuſum fuiſſe, cum eſſet ei monſtratum, complura eius philoſophemata, quæ noviter inventa ~~putabat~~ tenebat, in Platone & Ariſtotele, quorum tamen ille contemtum præferebat,tum in naturalibus,tum in civilibus clarè tradita,contineri; Keckermannus oſtendit ex collatione verborum paralleliſmo quodam ~~ſibi~~ oppoſitorum, pleraque Petri Rami dogmata dudum vidiſſe Ludovicum Vivem. Addo ego,quę nunc noſtro tempore à ſcriptoribꝰ præclaris,Hobbeſio,Carteſio,Iungio,Claubergio, Raeo,Antonio Arnoldo Theologo, quem Gallicæ Logicæ,libelli ſanè elegantiſſimi autorem ferunt, acerrimè urgetur *terminorum technicorum ad populares reductio*, eam jam tum Nizolio noſtro in votis ac ſcopo unicè fuiſſe. Longè meliore,quàm Rami conſilio, qui Ariſtoteleis ſubverſis alios terminos technicos ſubſtituit,multiplicavitque non ſcientiam, ſed laborem.

Reſtat nunc,ut *Errores* quoq; & *Vitia* Nizolii noſtri ne diſſimulemus. Et ex vitiis potiſſimum mihi vituperationem mereri videtur *maledicentia*, qua in Ariſtotelem,in Platonem ipſum,in Galenum,

num, in veteres Aristotelis interpretes Græcos, in Scholasticos sine discrimine (nam Thomam Aquinatem, cum mollissimè tractatum cupit, appellat monoculum inter cæcos lib. 4. cap. 7.) invehitur, qua etiam consentientes sibi in plerisque Vallam, Vivem, Rudolphum Agricolam ob leviſſima quædam sententiarum discrimina proscindit. Optassem deleta è libro talia ne lectores vel cum puritate dictionis simul procacitatem discerent, vel saltem in percurrendo offenderentur, non sum ausus tamen in alieno opere quicquam immutare. *Errores* in Nizolio & multi sunt, & magni, quorum plures in breviculis notis quas minutiori typo insertas adjeci, sunt tacti, aliquorum verò extantiorum etiam hic mentio facienda est. Nimirum ille palmarius est, quòd Scholasticorum vitia Aristoteli imputat, & modestiores se viros, Johannem Picum, Leonicenum, Rudolphum Agricolam, Vivem, etiam conviciis lacessit, & adulationis insimulat, quod eximere Aristotelem conentur; cùm tamen nostro seculo post tot in Aristotelem doctissimorum & prioris barbariei dissimillimorum interpretum curas nihil sit compertius, quàm Aristotelem omnis illius ineptiæ purum & insontem esse, quæ scholastici passim inquinantur. Errores eius quicunque sunt, tales tamen sunt, ut facilè internoscas lapsus viri magni & in rerum luce versati, à vertiginosis deceptionibus imperiti alicuius claustralis. Hoc demonstratum satis dedere primum superiore seculo Itali interpretes: Augustinus Niphus, Angelus Mercenarius, Alexander & Franciscus Piccolominæi, Cæsar Cremoninus, M. Antonius Zeinata, Simon Simonius, Jacobus Zabarella, Franciscus Vicomercatus, & tot alii. Hoc verò seculo illustrati Aristotelis Germanis maximè laus debetur. Nam partem de demonstratione, quæ vulgò Aristotelis adversariis pro mendacio est, Cornelius Martini, & Jungius & Joh. à Felden non mediocriter illustrarunt, quanquam enim Feldeni in Topicis & Analyticis Aristotelis ad usum transferendis eruditissimæ albiq; lapidis calculo dignissimæ meditationes nondũ sint editæ, speramus tamen quamprimum eas ab ipso autore editum iri; ad Metaphysicam Aristotelis solidè comprehendendam plurimum contribuere Sonerus & Dreierus, ille in Academia Altorfina, hic in Regiomontana professor; Soneri institutiones non ita du-

dum,autore jam olim mortuo,prodiere, Dreieri Sapientia universalis seu prima philosophia ex Græcorum potissimum interpretum sententiis ad præclaram harmoniam concinnata est,ex qua intelligi satis potest,quàm gravi consilio sua aggressus sit Aristoteles,quàm præclaro ordine collocaverit,quàm denique magnificè sit executus. Philosophia Aristotelis naturalis generalis (nam quæ particularis est,eius realitas per se lucet) ad usum maximè & solidas de rerum natura notiones traducta est à solidissimo Viro Abdia Trew Mathematicarum scientiarum professore Altorfino,qui Physicam Aristotelis generalem ad morem mathematicum traditam scripsit. Et certè Aristotelem à surdis illis & nullum intellectum patientibus dogmatibusque ei publica superiorum temporum ignorantia affinxit longissimè afuisse,illas tot formalitatum realitates prorsus ignorasse,notiones tantùm generalissimas tradidisse,satis ostendunt,quicunque nunc in Aristotele cum Recentioribus conciliando operam ponunt,quod partim acutissimus Thomas Anglus ad mentem tamen illustris Digbæi,partim Clarissimus Raëus ostendere,in se suscepérunt. Quod consilium cum sit optimum , & rei literariæ necessarium,ne utilia cum vanis aboleantur, & nonnullorum somnia de abiiciendo prorsus Aristotele in animis incautæ juventutis invalescant ; *visus est hic locus opportunus,cui excerpta quædam mea ex prolixa aliqua Epistola non ita dudum ad celeberrimum peripateticum Germanum,Virum præter accuratissimam philosophiæ cognitionem (aliquot jam præclaris speciminibus orbi declaratam & quod opto,multo pluribus, quorum illi ingens copia suppetit,declarandam) in omni eruditione exquisitissimum data; adjiciantur : quæ proinde præfationi huic nostræ statim subnectemus,* nihil veriti,ne post præfationem jam tum prolixam, patientia lectoris abutamur. Qui si æquus est in re tam necessaria etiam prolixiores nos facilè feret; sin iniquus,sciat nihil ad nos judicia sua pertinere. In Morali ac Civili philosophia Aristotelem profundius ~~affecuti~~ sunt præ cæteris πολυμαθέστατος Conringius,Joh. à Felden JCtus notis in Grotium & Elementis Jurisprudentiæ universalis & Analysi politicorum Aristotelis celebris, ac denique Clarissimus Vir Jacobus Thomasius,cum in multis varii argumenti diatribis

tribis, tum inprimis in Tabulis philoſophiæ practicæ exquiſitiſſimis ac planè à cæterarũ inanitate alienis, ut de *Heinſii paraphraſi* nihil dicam. Cuius etiam in phyſica Ariſtotelica tum præclara introductio, tum de Origine formarum diſquiſitio, tum de laudibus Ariſtotelis oratio inſignis extat; libros Ariſtotelis politicos diſjectos & hiatibus deformes, in alium longè ordinem redegit, eumque ipſius Ariſtotelis fuiſſe multis argumentis acutiſſimis oſtendit, ut de cæteris eius in illa philoſophiæ parte ſcriptis limatiſſimis nihil dicam. Hos jam quos dixi interpretes, qui adhibebit, ſine fidiculis, credo, fatebitur, longè alium Ariſtotelem eſſe, quàm qui vulgò depingitur, nec cum Valla, Nizolio, Baſſone, aliisque Ariſtotelo-maſtigibus, refundi in autorem textus debere, quæ interpretum vel imperitia, vel ſi tempora ſpectemus, quibus vixere, infelicitas peccavit. Nam nec illud prætereundum eſt, iniquos eſſe, qui illorum temporum lapſus tam acerbè perſtringunt; tu ſi illic ſis, aliter ſentias. Cum hiſtoria & civilis & philoſophica deliteſceret, cùm ſcriptores optimi non niſi peſſimè translati haberentur, cum typographiæ beneficio deſtitutis aut ſumtuoſiſſimè omnia aut moleſtiſſimè transſcribenda eſſent, & unius inventa ad cæterorum notitiã rarò nec niſi tarde pervenirent (unde fit ut nunc ſæpe ex collatione ſcriptorũ deprehendantur, quæ etiã coævi ignorarunt) non mirum fuit graviter & ſæpe labi, miraculi poti9 inſtar fuit vel mediocriter aliquid in literis & vera philoſophia præſtare. quare etiam, ſicubi mihi aliquid durius hic currẽte calamo excidit, id de temporum magis miſerabili fato, quàm hominum ignavia intellectum volo. Illi potius culpandi ſunt qui nunc quoque inventa fruge glandibus veſci malunt, & pertinacia potius quàm ignorantia peccant. Nec vereor dicere Scholaſticos vetuſtiores nonnullis hodiernis & acumine, & ſoliditate, & modeſtia, & ab inutilibus quæſtionibus circumſpectiore abſtinentia longe præſtare: hodierni enim nonnulli cum vix quicquam dignum typis addere veteribus poſſint, hoc unum faciunt, ut allegata opinionum cumulent, & innumeras frivolas quæſtiones excogitent, & unum argumentum in multa partiantur, & mutent methodum, & terminos fingantque atque refingant: Ita illis tot tamque grandes libri

naſcuntur. Quàm verò longè ſint acumine inferiores ſuperioribus ſuperioris & huius ſeculi Scholaſtici, documento eſſe poteſt ſecta nominalium, omnium inter Scholaſticas profundiſſima, & hodiernæ reformatæ philoſophandi rationi congruentiſſima; quæ cum olim maximè floreret, nunc, apud ſcholaſticos quidem, extincta eſt. Unde conjicias decrementa potius quàm augmenta acuminis. Cùm autem ipſe Nizolius noſter ſe *Nominalem* exſertè profiteri non dubitet propè finem capitis ſexti, libri primi; & verò in realitate formalitatum & univerſalium evertenda nervus diſputationis eius omnis potiſſimum contineatur, pauca quædam de Nominalibus ſubiicere operæ pretium duxi. Nominales ſunt qui omnia putant eſſe nuda nomina præter ſubſtantias ſingulares, abſtractorum igitur & univerſalium realitatem prorſus tollunt. Primum autem nominalium aiunt fuiſſe neſcio quem Rucelinum Britonem, cujus occaſione cruenta certamina in Academia Pariſienſi fuerunt excitata. Refert in eum eiusmodi Epigramma Aventinus:

Quas *Ruceline* doces, odit Dialectica voces,
Jamque dolens de ſe, non vult in vocibus eſſe;
Res amat, in rebus cunctis vult eſſe diebus.
Voce retractetur, res ſit, quod voce docetur;
Plorat Ariſtoteles nugas tradendo ſeniles,
Res ſibi ſubtractas per voces intitulatas;
Porphyriusque gemit, quia res ſibi lector ademit;
Qui res abrodit, *Ruceline*, Boetius edit.
Non argumentis, nulloque Sophiſmate ſentis
Res exiſtentes in vocibus eſſe manentes.

Diu autem jacuit in tenebris ſecta Nominalium, donec maximi vir ingenii, & eruditionis pro illo ævo ſummæ, Wilhelmus Occam Anglus, Scoti diſcipulus, ſed mox oppugnator maximus, de improviſo eam reſuſcitavit; conſenſere Gregorius Ariminenſis, Gabriel Biel, & plerique ordinis Auguſtinianorum, unde & in Martini Lutheri ſcriptis prioribus amor Nominalium ſatis elucet, donec procedente tempore erga omnes Monachos æqualiter affectus eſſe cœpit. Generalis autem Regula eſt, qua Nominales paſsim utuntur:

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26:ZEN Leibn. Marg. 26, [40] - -

tur; *Entia non esse multiplicanda præter necessitatem.* Hæc regula ab aliis passim oppugnatur, quasi injuria in Divinam ubertatem, liberalem potius quàm parcam, & varietate ac copia rerum gaudentem. Sed, qui sic objiciunt, non satis mihi nominalium mentem cepisse videntur, quæ etsi obscurius proposita huc redit: *Hypothesin eo esse meliorem, quò simpliciorem,* & in causis eorum quæ apparent reddendis eum optimè se gerere, qui quam pauciſsima gratis supponat. Nam qui aliter agit, eo ipso naturam, aut potius autorem eius Deum ineptæ superfluitatis accusat. Si quis Astronomus rationem phænomenorum cœlestium reddere potest paucis suppositis, meris nimirum motibus simplicibus ~~circularibus~~, eius certè hypothesis eius hypothesi præferenda erit, qui multis orbibus variè implexis ad explicanda cœlestia indiget. Ex hac iam regula Nominales deduxerunt, omnia in rerum natura explicari posse, etsi universalibus & formalitatibus realibus prorsus careatur? qua sententia nihil verius, nihil nostri temporis philosopho dignius, usque adeo, ut credam ipsum Ockamum non fuisse *Nominaliorem,* quàm nunc est Thomas Hobbes, qui, ut verùm fatear, mihi, plusquam nominalis videtur. Non contentus enim cum nominalibus universalia ad nomina reducere, ipsam rerum veritatem ait in nominibus consistere, ac, quod maius est, pendere ab arbitrio humano, quia veritas pendeat à definitionibus terminorum, definitiones autem terminorum ab arbitrio humano. Hæc est sententia viri inter profundissimos seculi censendi, qua, ut dixi, nihil potest esse nominalius. Idem dicendum est de nostri temporis philosophiæ Reformatoribus eos si non plusquam nominales tamen Nominales esse ferè omnes. Tanto igitur aptior his temporibus Nizolius erit. Nunc ad Nizolii errores redeundum est, ex quibus, post Aristotelem interpretibus confusum, palmarius est, omnimoda illa Dialecticæ & Metaphysicæ abolitio, cùm tamen & Nominales iisdem licet principiis nixi retinuerint. Et verò quis neget, esse quædam præcepta tum artis cogitandi seu scientiæ de mente, tum pietatis naturalis, seu scientiæ de summa rerum, id est Metaphysicæ; nam etsi illam ad Oratoriam seu artem dicendi, hanc ad physicam seu scientiam naturæ pertinere velit, eo argumento quòd & veteres tantùm

tres fecerint Encyclopœdiæ partes Logicam, Phyſicam & Ethicam; quo facilè effecerit, ne Mathematicas quidem ſcientias peculiares eſſe; nihil tamen prohibet accuratius partes ſubdiſtinguere, & dialecticæ ſeparatam à Rhetorica, (ut & grammaticæ) ~~datur~~; Metaphyſicæ ſeu Theologiæ ſeparatum à Phyſica, (ut & Matheſi) ~~dantur~~, locum aſſignare. Illud quoq; minimè ferendum eſt, quòd Demonſtrationem qualem deſcripſit Ariſtoteles prorſus è natura rerum tollit, levibus certè argumentis, ex quibus potiſſimum eſt: quod Univerſalia non ſint in rerum natura, (cùm tamen ſufficiat ad demonſtrandum: nomina eſſe univerſalia;) deinde quòd exemplum eius hactenus interpretes magno conatu fruſtra quæſiverint. Ego verò contra arbitror, paſſim in libris Ariſtotelis, imò & ipſius Nizolii, occurrere accuratas & perfectas demonſtrationes. Quod ipſum demonſtrare, & à non intelligentium obiectionibus nobiliſſimam artē demonſtrandi vindicare, peculiari operæ ſervo. Quòd item contendit genuina Ariſtotelis opera nunc non haberi, idque locis potiſsimum Ciceronis, mihi nunquam perſuaſerit. Nam quid mirum eſt hominem politicum & infinitis curis obrutum, qualis erat Cicero, nonnunquam ſubtiliſsimi cuiusdam Philoſophi ſententias, fugiente oculo lectas, non ſatis aſſequi? qui credit Ariſtotelem in veris ſuis operibus Deum appellaſſe Καῦμα ὑρανῦ ardorem cœli, næ is Ariſtotelem fatuum putat; & cum ſapientem & ingenioſum habeamus per vim nobis ineptum & ſtultum obtrudit. Novum hoc Criticæ artis genus eſt, in dignoſcendis ſcriptis autoris omnium confeſſione ingenioſi, quædā pro ſuppoſititiis habere, quia ſtultum aliquid autori à conviciatoribus impoſitum (nam nec Cicero niſi alia ſibi perſona Ariſtoteli iniqua impoſita hæc loquitur) in iis non reperitur. Mihi genuitatem operum Ariſtoteleorum, quicquid dicant Joh. Franciſcus Picus in Examine Vanitatis doctrinæ gentium, quicquid Nizolius, quicquid Petrus Ramus, quicquid Patricius, quicquid in Apologia magnorum virorum Magiæ ſuſpectorum, ubi & hunc Nizolius librum citat, Naudæus; ſatis ſuperque perſuadet perſpecta hypotheſium inter ſe Harmonia, & æqualis ubique methodus velociſsimæ ſubtilitatis. Ultimo loco gravis aliquis error

Nizo-

Nizolii circa universalium naturam dissimulari non debet, potest enim lectorem non satis cautum à vero philosophandi tramite penitus abducere. Persuadere conatur nobis universale, nihil aliud esse quam omnia singularia collectivè simul sumta; & cum dico: omnis homo est animal, sensum esse: omnes homines sunt animalia. Hoc quidem verè, sed hinc non sequitur: universalia esse totum collectivum- At probat Nizolius: Omne totum est aut continuum aut discretum. Universale autem est totum, non continuum verò, discretum igitur. Totum autem discretum est collectivum, & eadem est ratio *generis hominum*, quæ *gregis*. Et par est ratio huius propositionis omnis homo (seu totum genus humanum) est rationalis, quæ huius: omnes pecudes quæ hic pascuntur sunt albæ, vel totus grex est albus. At erras Nizoli, datur enim aliud totius discreti genus præter collectivum, nimirum: *distributivum*. Cùm igitur dicimus: *omnis homo est animal*, seu *omnes homines sunt animalia*, sensus est distributivus: sive illum, (Titium) sive hunc (Cajum) &c. sumseris, reperies, esse animal, seu sentire. Et si Nizoliano more omnis homo, seu omnes homines sunt totum collectivum, & idem quod totum genus humanum, sequetur absurda locutio. Nam si eadem sunt, age in propositione ista: omnis homo est animal, vel omnes homines sunt animalia, substituamus totum genus humanum, orietur hæc propositio plus quàm inepta: *totum genus humanum est animal*, similiter de grege est propositio: (omnes pecudes quæ hic pascuntur, ~~seu universale ab iis~~ abstractum, idem est cum toto ex iis collecto, grege, ut vult Nizolius, vera erit hæc propositio: *totus grex est ovis*, ~~vel saltem si succurrere ei velis: totus grex est oves~~, ~~quod ipsum tamen satis verè non dicitur~~. Sed & aliud exemplum minus postremo effugio commodum videamus, JCti veteres quos Nizolius opinor non negavit latinè simul & accuratè locutos, *genus* legatum ajunt, si quis sic leget: Titio equum meum do lego. Jam Nizolii sensu, cum genus sit totum ex singularibus collectum, erit idem ac si dixisset: Titio omnes equos meos do lego. Egregio, si diis placet, jurisprudentiæ specimine. Contra, substituto toto distributivo, plana res est, sensus enim erit: *Titio illum aut illum equum do lego.*

do lego. Addamus hoc quoque : cum dico omnis *homo eſt animal,* ſi genus de ſpecie dicitur, & genꝰ eſt univerſale, univerſale totũ genus ex ſingularibus collectum, ſubſtituamus voci *animalis,* omnia animalia ſimul ſumta; Orietur hæc propoſitio : *Homo eſt omnia animalia ſimul ſumta.* Cùm ſufficiat homini eſſe quoddam animal, ſeu aliquod ex univerſo animalium genere. Nec verò error hic Nizolii levis eſt, habet enim magnum aliquid in receſſu. Nam ſi univerſalia nihil aliud ſunt quàm ſingularium collectiones, ſequetur, ſcientiam nullam haberi per demonſtrationem (quod & infra colligit Nizolius,) ſed collectionem ſingularium, ſeu inductionem. Sed ea ratione prorſus evertuntur ſcientiæ, & Sceptici vicere. Nam nunquam conſtitui poſſunt ea ratione propoſitiones perfectè univerſales; quia inductione nunquam certus es, omnia individua à te tentata eſſe; ſed ſemper intra hanc propoſitionem ſubſiſtes, omnia illa quæ expertus ſum ſunt talia; cum verò non poſſit eſſe ulla ratio univerſalis; ſemper manebit poſſibile, innumera quæ tu non ſis expertus, eſſe diverſa. At, inquies, ignem (id eſt corpus quoddam lucidum, ~~tremulum, tenue~~ flavum, tenue) ex lignis ~~ordinario~~ modo ſuſcitatum urere, dicimus univerſaliter, etiamſi nemo ſit omnes tales ignes expertus, ſed quia in iis quos experti ſumus, res comperta eſt. Ita eſt: hinc coniicimus, & morali etiam certitudine credimus : omnes ignes, eiusmodi urere, & uſturos te ſi manum admoveas. Sed hæc moralis certitudo non fundata eſt in ſola inductione, ex ea enim nullis eam fidiculis collegeris ; ſed ex additione ſeu adminiculo harum propoſitionum univerſalium non ab inductione ſingularium, ſed idea univerſali ſeu definitione terminorum pendentium : (1) *Si eadem vel per omnia ſimilis eſt cauſa, idem vel per omnia ſimilis eſt effectus.* Et hujus (2) *exiſtentia rei, quæ non ſentitur, non præſumitur* ; & deniq; hujus (3) *Quicquid non præſumitur, in praxi habendum eſt pro nullo, antequam probatur.* Ex his conficitur certitudo practica vel moralis huius propoſitionis, *quòd omnis ille ignis uret.* Nam eſto ignis ille talis quicunque qui mihi nunc offeratur ; aio eſſe per omnia (quantum ad rem pertinet) ſimilem prioribus quia, *per hypotheſin,* non ſentio diſſimilitudinem ad rem facientem, jam quod non ſentitur

titur,non præſumitur,*per adminiculum* 2. Quod non præſumitur, eſt in praxi tenendum*per adminiculum* 3. Ergo per omnia ſimilem eſſe,(quantum ad rem pertinet,eſt in praxi tenendum. Jam per omnia ſimilis cauſæ,erit per omnia ſimilis effectus , *per adminiculum* 1. nimirum uſtio, *per hypotheſin*, Ergo ignem talem quemcunque oblatum,ſeu *omnem illum ignem uſturum* , *eſt in praxi tenendum.* Quod erat demonſtrandum. Hinc jam patet inductionem per ſe nihil producere,ne certitudinem quidem moralem,ſine adminiculo propoſitionum non ab inductione,ſed ratione univerſali pendentium; nam ſi eſſent & adminicula ab inductione , indigerent novis adminiculis nec haberetur certitudo moralis in infinitum. Sed certitudo perfecta ab inductione ſperari planè non poteſt , additis quibuscunque adminiculis, & propoſitionem hanc : *totum majus eſſe ſua parte*, ſola inductione nunquam perfectè ſciemus. Mox enim prodibit,qui negabit ob peculiarem quandam rationem in aliis nondum tentatis veram eſſe,quemadmodum ex facto ſcimus Gregorium à S. Vincentio negaſſe *totum eſſe majus ſua parte,in angulis ſaltem contactus*; alios *in infinito*; & Thomam Hobbes, (at quem virum?)cœpiſſe dubitare de propoſitione illa Geometrica à Pythagora demonſtrata , & hecatombæ ſacrificio digna habita; quod ego non ſine ſtupore legi. Atque hi ſunt potiſsimi Nizolii noſtri errores , alios partim notulis inſperſis tetigimus , partim tales eſſe judicavimus, ut ab attento lectore , qui hæc noſtra præmittere dignatus ſit,deprehendi non magno negotio poſſint. Nunc igitur loquaciſſimæ,ſed,ni fallor,neceſſariæ, præfationi finis imponendus eſt. Si quis metuit, ne domus porta elabatur,cogitet aditum noſtrum tam vaſtum,domum tam paruam eſſe,quia cœpta eſt tantùm; ſi poſt Logicam,cæterarum quoque partium ſimilis repurgatio acceſſerit, tum faxo ut in juſtam omnia ſymmetriam redeant , nec quisquam amplius de magnitudine atrii , parvitate areæ conqueratur. Quod ſupereſt , vale lector benevole,& ſtudium tuis commodis conſulendi,boni conſule.

EPISTOLA AD EXQUISITISSIMÆ DOCTRInæ virum de Aristotele recentioribus reconciliabili.

Jacobum Thomasium

VIR CLARISSIME.

TVum illud historiæ Philosophicæ γεῦμα dici non potest, quàm omnibus salivam moverit, apparet enim, quantum inter nudas nominum recensiones & profundas illas de sententiarum connexionibus rationes intersit. Et certe quotquot rerum intelligentes de specimine tuo loqui audio (scis me nihil auribus dare) ii unanimiter asseverant, à nemine uno integrum historiæ philosophicæ corpus potius expectari posse. Plerique alii antiquitatis magis quàm artis periti, vitas potius quàm sententias nobis dederunt. Tu non Philosophorum, sed philosophiæ historiam dabis. Narrant in Anglia sub prelo esse Iosephi Glanvilli Historiam crescentium inde ab Aristotele scientiarum. Sed illum arbitror ferè Mathematices, & Mechanices, & Physices illius curiosioris tantùm periodos secuturum, ita tibi, opinor, præripuit nihil. Vtinam vero ad recentiorem hanc ætatem stylum filumque producas, & admoneas inconsultam juventutem nostram neque omnia neque nihil novatoribus tribuenda esse. Sunt Patricii, Telesii, Campanellæ, Bodini, Nizolii, Fracastorii, Cardani, Galilæi, Verulamii, Gassendi, Hobbii, Carteſii, Bassones, Digbæi, Sennerti, Sperlingii, Derodones, Deusingii, & multa alia nomina, in quæ philosophiæ pallium distrahitur. De his admonere orbem, tibi ludus, publico fructus erit. Iudicio tuo de sententia, Deum primam rerum materiam fingente, quis non assentiatur? Nulla in Hypothesibus eius concinnitas, nulla rationum connexio, sententia prorsus monstrosæ, nisi aliqua in physica speciali observatu utilia auctor habet, rectius silebit. Cæterum mihi videntur illius parentes esse Scaliger, Sennertus & Sperlingius (nam & huius discipulum se profitetur) enim statuunt formas, educi non è potentia

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26:ZEN Leibn. Marg. 26, [46] - -

tentia materiæ passiva, sed è potentia efficientis activa. Quare consequens est, ut Deum potius ex sua potentia activa, quam ex nihili potentia objectiva, & quasi passiva creaturas producere credant. Deus igitur res ex se producet & ideo prima quodammodo rerum materia erit. Sed de eo tu rectius arbitraberis. De Cartesio & Claubergio prorsus tecum sentio discipulum Magistro lucidiorem esse. Illud tamen rursus dicere ausim raro fere & Cartesianos inventis magistri quicquam addidisse. Certè Claubergius, ~~Spinoza~~, Heerboord, Tobias Andreæ, Henricus Regius, nihil aliud quam Ducis sui paraphrastas, eruditos tamen, egerunt. Cartesianos verò eos tantùm appello, qui Cartesij principia sequuntur, ex quo numero magni illi viri ~~Verulamius~~, Gassendus, Hobbius, Digbæus, ~~Cornelius ab Hoghelande~~ & c. prorsus eximi debent, quos vulgus Cartesianis, confundit, cùm tamen vel Cartesio æquales vel etiam superiores ætate & ingenio fuerint; me fateor nihil minus quam Cartesianum esse. Regulam illam omnibus istis philosophiæ Restauratoribus communẽ teneo, nihil explicandum in corporibus, nisi per magnitudinem, figuram & motum. In Cartesio ejus methodi tantum propositũ amo; nam cum in rem præsentem ventum est, ab illa severitate prorsus remisit, & ad Hypotheses quasdam miras ex abrupto delapsus, est, quod rectè etiam reprehendit in eo Vossius in Libro de Luce. Quare dicere non vereor plura me probare in libris Aristotelis quam in meditationibus Cartesii; tantum abest, ut Cartesianus sim. Imo ausim addere totos illos Libros 8. Aristotelis salva philosophia reformata ferri posse. Qua ratione illis ipso facto occurretur, quæ de Aristotele irreconciliabili nunc etiam à doctis viris disputantur. Quæ Aristoteles enim de materia, forma, privatione, natura, loco, infinito, tempore, motu, ratiocinatur, pleraque certa & demonstrata sunt, ~~hoc uno ferè dempto, quæ de impossibilitate vacui, & motus in vacuo asserit. Mihi enim neque vacuum neque plenum necessarium esse, utroque modo rerum natura explicari posse videtur. De cætero reliqua pleraque Aristotelis Disputata nemo ferè sanus in dubium vocabit.~~ Formam quoque substantialem nempe, id quo substantia corporis unius a substantia alterius corporis differt, quis non admittat? Materia prima nihil verius. Hoc unum in quæstione est, an quæ Aristoteles de materia, forma, & mutatione abstractè disputaverit, ea explicanda sint per magnitudinem, figuram, & motum. Id Scholastici

 negant,

negant, Reformatores affirmant. Reformatorum sententia mihi non solum verior, sed & Aristoteli magis consentanea videtur, de utroque breviter dicam. Ac primum de Aristotele. Nam Scholasticos eius sensum mirè depravasse cui magis est cognitum, quam Tibi, vir Clarissime, qui bonam partem huius generis errorum primus produxisti? Id cum tecum in Metaphysicis Sonerus & Dreierus, in Logicis Viottus, Zabarella, Iungius; in Civilibus Iason Denores, Piccartus, Conringius, Feldenus, Durrius, multiq; alii fateantur; cur obsecro non eadē aut deteriora, in physicis suspicabimur, cujus scientiæ præsidia à sensu & experientia & Mathesi petenda sunt, quibus instrumētis scholastici Monachalibus claustris cohibiti, ferè prorsus caruerunt. Satis igitur probabile est in physicis eos deceptos esse quid si hoc amplius nimis id certum esse, ostendam? Qua in re duplici rursus ratione versari licet. Nam vel ostenditur Philosophiam Reformatam Aristotelicæ conciliari posse, & adversam non esse; vel ulteriq; ostenditur alteram per alteram explicari non solum posse, sed & debere, imo ex Aristotelicis principiis fluere ea ipsa quæ à recentioribus tanta pompa iactantur. Priore via possibilitas, posteriore necessitas conciliationis conficitur, quamquam eo ipso si possibilis cōciliatio ostenditur, confecta res est. Nam etsi utraq; explicatio & scholasticorum & recentiorum esset possibilis, ex duabus tamen possibilibus Hypothesibus semper eligenda est clarior & intelligibilior, qualis haud dubie est hypothesis recentiorum, qua nulla entia incorporalia in mediis corporibq; sibi fingit, sed præter magnitudinem, figuram & motum assumit nihil. Nam possibilitatem Conciliationis non possum melius ostendere, quam si petam dari mihi aliquod principium Aristotelis quod non per magnitudinem, figuram, & motum explicari possit. Materia prima est ipsa Massa in qua nihil aliud quam extensio & ἀντιτυπία, seu impenetrabilitas; extensionem à spatio habet, quod replet; natura ipsa materiæ in eo consistit quod crassum quiddā est, & impenetrabile, & per consequens alio occurrente (dum alterum cedere debet) mobile. Hæc iam massa continua mundum replens, dum omnes eius partes quiescunt, materia prima est, ex qua omnia per motum fiunt, & in quem per quietem resolvuntur, est enim in ea in se spectata nulla diversitas, mera homogeneitas nisi per motum. Hinc jam omnes Scholasticorum nodi solvuntur. Primum de actu ejus entitativo ante omnē formam quærunt. Et respondendum est esse eam ens ante omnem formam, cum habeat existentiam suam. Illud omne

enim

enim existit, quod in aliquo spatio est, quod de massa illa omni licet motu & discontinuitate carente negari non potest. Essentia autem materiæ seu ipsa forma, corporeitatis consistit in ἀντιτυπίᾳ seu impenetrabilitate; quantitatem quoque habet materia, sed interminatam, ut vocant Anenoistæ, seu indefinitam, dum enim continua est, in partes sectam non est, ergo nec termini in ea actu dantur, (non de intrinsecis enim mundi seu totius massæ, sed intrinsecis partium terminis loquor) extensio tamen seu quantitas in ea datur. A materia transeamus ad formam, per dispositiones. Hic si formam supponamns nihil aliud esse quàm figuram, rursus omnia mire concinent. Nam cum figura sit terminus corporis; ad figuras materiæ inducendas, opus erit termino. Vt igitur varii in materia termini oriantur, opus est discontinuitate partium. Eo ipso enim dum discontinuæ sunt partes, habet qualibet terminos separatos (nam continua definit Aristoteles ὧντα ἔχατα ἕν,) discontinuitas autem in massa illa prius continua duplici modo induci potest, uno modo ut tollatur etiam simul contiguitas, quod fit, quando ita divelluntur a se, ut relinquatur vacuum; vel sic ut maneat contiguitas, quod fit, quando quæ sibi immediata manent, tamen in diversa moventur, verbi g. duæ sphæræ quarum una alteram includit possunt in diversa moveri, & tamen maneant contiguæ, licet desinant esse continuæ. Ex his patet siquidem ab initio massa discontinua seu vacuitatibus interrupta creata sit, formas aliquas statim materiæ concreatas esse; sui verò ab initio continua est, necesse esse ut formæ oriantur per motũ (Nam de annihilatione certarum partium ad vacuitates in materia procurandas, quia supra naturam est, non loquor) quia a motu divisio, a divisione termini partium; à terminis partium, figuræ earum, à figuris formæ, ergo à motu formæ. Ex quo patet omnem dispotionem ad formam esse motum, patet quoque solutio vexatæ de origine formarum controversiæ. Cui vir Cl. Herm. Conringius peculiari dissertatione non aliter occurrit, quam concedendo formas ex nihilo oriri, sed meditationes istæ compendiosiorem viam monstrant, ut illuc confugere necesse non sit. Dicimus enim formas oriri ex potentia materiæ, non aliquid novum producendo, sed tantum vetus tollendo, & per divisionem partium terminos ~~caufando~~ producendo, quemadmodum qui columnam facit, nihil aliud facit, ~~quam~~ quod inutilia tollit, residuum ceteris sublatis eo ipso eam figuram nanciscitur, quam vocamus columnam.

~~lamnam~~, scilicet omnes figuræ seu formæ in ipsa massa continentur, indigent tantum determinatione, & actuali ab aliis adhærentibus separatione. Hac explicatione admissa ludus & jocus sunt quæcunque contra originem formarum ex potentia materiæ monentur. Restat nunc ut ad mutationes veniamus. Mutationes enumerantur vulgò & recte : generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio & mutatio localis seu motus. Has omnes putant recentiores per motum localem solum explicari posse. Et primum de augmentatione & diminutione manifesta res est ; mutatio enim quantitatis in toto fit, dum pars locum mutat, & vel accedit vel decedit. Restat ut Generationem & corruptionem & alterationem explicemus per motum, & prænoto eandem numero mutationem esse simul generationem & alterationem, diversorum, nam exempli causa verum est, putredinem consistere in vermibus illis nudo visu insensibilibus, erit infectio aliqua putrida alteratio hominis, generatio vermis. Similiter Hookius in micrographia ostendit rubiginem in ferro esse subtilem sylvulam enatam ; ~~rubiginem fieri~~ igitur erit alteratio ferri, generatio parvorum fruticum. Cæterum tam generatio & corruptio, quam alteratio explicari per subtilem partium motum potest, v.g. cum album sit quod lucem plurimam reflectit, nigrum, quod parvam, erunt ea alba, quorũ superficies multa parva specula continet ; hæc ratio est cur aqua spumescens sit alba, quia innumeris bullulis constat, quot autem bullulæ, tot specula : cum ante tota fere aqua non nisi unum speculum fuerit ; quemadmodum speculo vitreo fracto quot partes tot specula fiunt : quæ etiam causa est, cur vitrum contusum sit albius integro. Similiter igitur aqua per bullulas in distincta velut specula fracta albedo oritur, quæ ratio etiam est, cur nix sit albior glacie, & glacies aqua. Falsum enim est nivem esse aquam condensatam, cum sit rarefacta potiꝰ unde & levior aqua est & plus spatii occupat. Qua ratione sophisma Anaxagoræ de nive nigra diluitur. Et hinc jam patet sola figuræ & situs in superficie mutatione colores oriri, Idem de luce calore & omnibus qualitatibus si locus pateretur, facile explicari posset. Iam verò, si qualitates per solum motum mutantur eo ipso & substantia mutabitur ; mutatis enim omnibus, imò & quibusdam, requisitis, res ipsa tollitur : v.g. si vel lucem vel calorem, sustuleris ignem sustuleris ; utrumque motu inhibito effecerit, quæ ratio est cur ignis clausus pabulo aeris deficiente moriatur, ut taceam essentiam

sentiam à qualitatibus suis non nisi relatione ad sensum differre. Uti enim eadem Civitas aliam sui faciem offert, si a turri in media urbe despicias (in Grund gelegt) *quod perinde est, ac si essentiam ipsam intueare; aliter apparet si extrinsecus accedas, quod perinde est ac si corporis qualitates percipias; & ut ipse civitatis externus aspectus variat, prout à latere orientali vel occidentali, Sud accedis, ita similiter pro varietate organorum variant qualitates. Ex his jam facile patet omnes mutationes per motum explicari posse. Nec obstat quod generatio fit in instanti motus est successivus, nam generatio non est motus, sed finis motus, jam motus finis est in instanti, nam figura aliqua ultimo demum instanti motus producitur seu generatur, uti circulus extremo demum momento circumgyrationis ~~producitur~~ produci. Ex his etiam patet cur forma substantialis consistat in indivisibili nec recipiat majus aut minus. Nam & figura non recipit majus aut minus. Etsi enim circulus sit circulo major, non tamen est circulus altero magis circulus, nam circuli essentia consistit in aequalitate linearum à Centro ad circumferentiam ductarum, jam aequitas consistit in indivisibili, nec recipit majus aut minus. Nec verò objici debet figuram aut magnitudinem esse accidentia, neque enim semper sunt accidentia, nam etsi v. g. fluxus sit accidens plumbi, fluit enim non nisi in igne; est tamen de essentia Hydrargyri; jam causa fluxus est haud dubie partium curvilineitas libera sine globis sive cylindris, sive ovalibus sive aliis sphaeroeidesi constet: curvilineitas igitur subtilium partium est accidens plumbi, Hydrargyro vero essentialis. Ratio quia omnia metalla oriuntur ex hydrargyro per salia fixo, saliũ autem natura consistit in figuris rectilineis ad quietem aptis, hinc si salia in aqua soluta, sponte recongelascere sinamus, alia uti chymicis notum est, tetraedrica, alia hexaedrica, octaedrica &c. nulla rotunda aut curvilinea appareant: Hinc salia sunt causa fixitatis; salia igitur illa acida in terra visceribus hydrargyro quasi per minima mixta impediunt curvilineorum libertatem interfertione, & constituunt metallum. In igne verò metallum redit ad naturam Hydrargyri, ignis enim se interferens subtilibus partibus, partes curvilineas hydrargyrinas à plani-lateris salinis liberat, hinc in igne fluxus. Ita patet vix quicquam in physica Aristotelica esse, quod ex reformata non commode explicetur & illustretur. Et haec quidem exempla mihi ~~de meo~~ interscribendum succurrerunt, innumera alia ab*

aliis

aliis per totam philoſophiam naturalem congeruntur. Huc ivit Clariſſimus Raeus in Clavi philo. naturalis, ut Ariſtotelem recentioribus conciliaret, qui tamen ad manus non fuit. Neque Raeus conciliatorum inter Ariſtotelem & recentiores primus ſolusque eſt, ut quidam ei objiciunt. Princeps Scaliger mihi viam ſtraviſſe videtur; noſtris temporibus Kenelmus Digbæus & ejus aſſecla Thomas Anglus, ille in de animæ immortalitate, hic in inſtitutionibus peripateticis, idem ex profeſſo egere. Nec abludunt tum Abdias Trevv, tum inprimis Erhardus VVeigelius. Hactenus poſſe tantum conciliari oſtenſum eſt, ſupereſt ut monſtremus & debere. ſcilicet: Ariſtoteles in 8. phyſ. Auditus libris, quid aliud tractat quàm figuram, magnitudinem, motum, locum, tempus? ſi ergo corporis in genere natura his abſolvitur. Corporis in ſpecie natura tali figura, tali magnitudine &c. abſolvetur. Et verò ait ipſe lib. 3. text. 24. phyſ. Ariſt. omnem naturalem ſcientiam eſſe circa magnitudinem (cui ſcilicet connexa figura) motum & tempus. Idem Ariſtoteles paſſim ait, Ens mobile phyſicæ ſubjectum eſſe, naturalem ſcientiam agere materia & motu: Ipſe quoque omnium quæ in ſublunaribus fiunt cauſam facit cœlum. Iam cœlum, ait, non agere in inferiora niſi per motum. Motus autem non producit niſi motum aut terminos motus, nempe magnitudinem & figuram, & ex his reſultantem ſitum, diſtantiam, &c. Ex his igitur omnia explicari debent in naturalibus, Idem Ariſtoteles paſſim ait, (in lib. 1. de phyſ. aud. text. 69.) eam eſſe rationem æris ad ſtatuæ figuram, quæ materiæ ad formam. Cæterum figuram eſſe ſubſtantiam, aut potius ſpatium eſſe ſubſtantiam, figuram eſſe quiddam ſubſtantiale, probaveram, quia omnis ſcientia ſit de ſubſtantia, Geometria autem quin ſcientia ſit negari non poſſit. Fuere qui reſponderent citius locum afferri à ſe poſſe, quo Ariſt. Geometriam eſſe ſcientiam negaverit, quam ego producturus ſim quo dixerit, Ego verò non dubito, eſſe aliqua loca Ariſtotelis quæ huc trahi torquerive poſſint, ſed tamen ea infinitis aliis ejus confeſſionibus obrui puto. Quid enim omnibus Analyticorum libris Geometrarum Exemplis frequentius ut videatur demonſtrationes Geometricas velut menſuram cæterarum eſſe voluiſſe. Iam ineptè ignobilius nobilioris menſura conſtituitur. Et verò tam abjectè de Mathematicis ſcholaſtici primum ſenſerunt, omni conatu id agentes ut ex perfectarum ſcientiarum numero Matheſin excluderent. Contra manifeſtum

festum textum Aristotelis in libro 1. *posteriorum, text.* 31. figurarum maximè scientialis est prima, quia Mathematicæ ea faciunt demonstrationem, ut Arithmetica, Geometria & perspectiva & omnes quæ ipsius propter quid demonstrationem faciunt. *Utuntur eo præcipuè argumento quod non semper ex causis demonstret. Sed si rem cogitemus curatius, apparebit demonstrare eam ex causis. Demonstrant enim figura ex motu, v. g. ex motu puncti oritur linea, ex motu lineæ superficies, ex motu superficiei corpus. Ex motu rectæ super rectam oritur rectilineum. Ex motu rectæ circa punctum immotum oritur circulus, &c. Constructiones figurarum sunt motus; jam ex constructionibus affectiones de figuris demonstrantur. Ergo ex motu, & per consequens à priori, & ex causa. Geometria igitur vera scientia est. Ergo non invito Aristotele objectum ejus, nempe spatium, substantia erit. Neque vero adeò absurdum est*, Geometriam agere de forma substantiali corporum. *Ecce enim locum Aristotelis* 13. *Met. text.* 3. *quo expressè dicit, Geometras abstrahere à materia, fine & efficiente; quo supposito sequitur ut vel de forma substantiali vel accidentali agat. Sed non agit de accidentali, quia forma accidentalis in sua definitione reali involuit subiectum in quo est, seu materiam, cum tamen Aristoteles dicat Geometriam à materia abstrahere. Ergo Geometria agit de forma substantiali. Hinc mihi hæc scribenti sub manibus nascitur pulchra quædam scientiarum harmonia, nempè re exactè perpensa:* Theologia seu Metaphysica *agit de rerum* Efficiente, *nempe* mente, Philosophia moralis *(seu practica vel civilis, nam, ut a Te didici, una eademque scientia est) agit de rerum* Fine, *nempe* Bono; Mathesis *(puram intelligo, nam reliqua physicæ pars est) agit de rerum* forma, *nempe* figura; *Physica agit de rerum* Materia, *& ex eis tum cæteris causis complexu resultante unica affectione nempe* Motu. Mens *enim ut* Bonum, *gratamque sibi rerum* figuram *& statum obtineat*, materiæ motum *præbet. Nam Materia per se motus expers est. Motus omnis principium, Mens, quod & Aristoteli recte visum.*

Nam, ut huc quoque veniam, nullibi Aristoteles formas quasdam substantiales ejusmodi sibi imaginatus videtur, quæ per se sint causa motus in corporibus quemadmodum Scholastici capiunt, definit quidem naturam principium motus & quietis, & formam materiamque vocat naturam,

 formam

formam autem magis quàm materiam, sed hinc quod scholastici volunt non sequitur, formam esse quddam incorporale, brutum tamen in corporibus, quod ipsum sua sponte sine externæ rei consensu motum corpori verbi gratia lapidi deorsum præbeat. Nam forma quidem est causa & principium motus, sed non primum. Neque enim Corpus movetur, nisi ab extrinseco moveatur, ut rectè Aristoteles non dicit tantùm, sed & demonstrat, verbi gratia, sit globus in plano, is si semel quiescat per se in æternum non movebitur, nisi accedente extrinseco impulsore, verbi gratia, alio corpore. Eo jam allabente, alterum corpus principium motus impressi est, figura verò, nempè globositas, est principium motus susceptι, nam si globositas afuisset, fortè pro re nata, corpus alteri corpori tam facilè non cessisset. Ex hoc patet conceptum formæ scholasticum ex definitione naturæ Aristotelica non sequi. Forma igitur est principium motus in suo corpore & corpus ipsum est principium motus in alio corpore fateor; sed primum principium motus est prima & realiter a materia abstracta forma, (quæ simul est efficiens) nempe Mens. Hinc in solas mentes cadit libertas & spontaneum. Absurdum ergo non est (etsi mirentur quidam solam ex animabus formisque substantialibus activis relinqui a recentioribus animam rationalem) unicam ex formis substantialibus mentem principium motus primum dici, cæteras a Mente motum habere. Et Aristoteles ut dicti pro certo habet corpus nullum in se solo principium motus habere, & hoc unico argumento defendit ad primum motorem. Huic obiectioni dupliciter aliqui respondérunt, primum ~~argumentum hoc~~ nihil apud eum posse hoc argumentum, nisi ei prædemonstretur hoc ipsum, absurdum & impossibile esse, quod habeat motum a seipso. ~~Et~~ jam tum Cicero ni fallor in libris de natura Deorum fecit, eleganter Epicurum irridens quod quiddam sine causa & ratione in suis Hypothesibus hoc modo introducat. Nam in rerum natura nihil esse deorsum, sed quoad nos, neque igitur causam cur corpus aliquod in hanc potius quam illam plagam moveatur. Epicuro igitur neganti quicquid movetur ab alio extra se moveri facile occurremus & laborantem existentiæ DEI certitudinem vindicabimus. Alterum objiciunt: Aristotelem videri non tam ex

hoc

hoc axiomate, quod omnis motus principium sit extra corpus motum, *quam ex alio:* non dari processum in infinitum, *ratiocinatum esse, at vero quaeso, vir Amplissime, te hujus controversiæ Iudicem appello petoque attentè cogites, an non utriusque conjunctione opus sit. Nam nisi admittatur* quod movetur ab extraneo *moveri, planè ad nullum processum deveniemus, nedum ad infinitum; nam adversarius statim ab initio resistet, & datum aliquod corpus sibi ipsi ad motum producendum per formam suam substantialem sufficere, nullo igitur motore nedum primo, opus esse, respondebit. Concidet ergo scala illa primo statim gradu & velut fundamento subtracto. Deindè etiam Epicurus processum in infinitum admittebat, ergo non tam quid Epicurus admittit vel non admittat, quàm quid demonstrari certò possit videndum est.*

Et hactenus igitur mihi satis videor Aristotelicam Philosophiam Reformatæ conciliasse, verum ipsius philosophiæ Reformatiæ manifesta veritas breviter attingenda est. Probandum autem est : nulla dari entia in mundo : *præter* Mentem, Spatium, Materiam, Motum; mentem *voco ens cogitans.* Spatium *est Ens primo extensum, seu corpus Mathematicum, quod scilicet nihil aliud continet quam tres dimensiones, estque locus ille universalis omnium rerum.* Materia *est ens secundò-extensum, seu quod præter extensionem vel Corpus Mathematicum habet & corpus physicum, id est resistentiam,* ἀντιτυπίαν, *crassitiem, spatii repletivitatem, impenetrabilitatem, quæ consistit in eo, ut alio tali ente adveniente cedere, aut quiescere alterutrum cogatur; à qua igitur impenetrabilitatis natura fluit motus.* Materia *igitur est ens quod est in spatio, seu Ens spatio coextensum.* Motus *est Mutatio spatii. Figura autem, magnitudo, situs, numerus &c. non sunt entia à spatio, materia, & motu realiter distincta, sed tantum habitudines inter spatium, materiam, motum & earum partes à mente superveniente factæ.* Figuram *autem definio terminum extensi.* Magnitudinem *numerum partium in extenso.* Numerum *definio unum, & unum, & unum, &c. seu unitates.* Situs *ad figuram reducitur, est enim plurium configuratio,* Tempus *nihil aliud est quam magnitudo motus. Cumque omnis magnitudo sit nu-*

numerus partium quid mirum Aristotelem definisse Tempus numerum motus? Sed ita termini tantum explicati sunt, expositumque, quo sensu iis utamur, nihil probatum; Nunc ostendendum est nullis aliis rebus ad explicanda Mundi phænomena & causas eorum possibiles reddendas opus esse, imò nec alias res esse posse; quanquam si ostendimus aliis rebus præter Mentem, materiam, spatium & motum opus non esse, eo ipso satis confectum erit Hypotheses recentiorum, qui his solis rebus ad reddenda phænomena utuntur, esse meliores. Vitium *enim* Hypotheseos est non necessaria assumere. *Iam verò explicari omnes totius Mundi res ex his solis posse, satis lectio recentiorum philosophorum docet, & ex his patet quæ paulò ante posui, cum possibilitatem conciliationis Aristotelicæ ostenderem. Deinde quoque notandum est eas* Hypotheses esse meliores quæ sunt clariores. *Iam verò mens humana nihil aliud imaginari potest, quam* mentem *(quando scilicet cogitat seipsam)* spatium, materiam, motum, *& quæ ex his inter se comparatis resultant, quidquid superaddideris, verba sunt tantùm, quæ nominari & inter se variè combinari possunt, explicari & intelligi non possunt. Quis enim imaginari sibi potest Ens quod neque extensionis neque cogitationis sit particeps? quid opus igitur animas brutorum, plantarum incorporeas, formas Elementorum Metallorum substantiales extensionis & cognitionis expertes, ponere? Rectius* Campanella *in libro de sensu rerum & magia, &* Marcus Marci *in Ideis operatricibus, falsò quidem, congruenter tamen suis Hypothesibus formis istis substantialibus rerum inanimatarum sensum, scientiam, imaginationem, voluntatem tribuere. Nec abludit Agrippæ occulta Philosophia Angelum cuilibet rei à scribentis quasi obstetricatorem nec quæ Scaliger* περὶ δυνάμεως πλαστικῆς *ejusque sapientia disseruit. Ita reditur ad tot deunculos, quot formas substantiales, & Gentilem tandem polytheismum. Et certè omnes qui de substantiis illis incorporalibus corporum loquuntur, non possunt mentem suam explicare nisi translatione à Mentibus sumta. Hinc enim tributus illis* appetitus *vel instinctus ille* naturalis *ex quo & sequitur cognitio naturalis, hinc illud Axioma: Natura nihil facit frustra, omnis res fugit sui destructionem, natura appetit continuitatem, similia similibus gaudent; materia appetit formam nobiliorem; & alia id genus. Cum tamen revera in natura nulla sit sapientia, nullus appeti-*

tus,

tus, Ordo vero pulcher, ex eo oriatur, quia est horologium Dei. Ex his patet hypotheses philosophiæ reformatæ Hypothesibus Scholasticis eo prævalere, quod non superfluæ contra tamen claræ sunt.

Restat ut subtiliore ratiocinio probetur, ne posse quidem alia Entia assumi in explicanda corporum natura, quam quæ dixi: Id sic fiet: Corpus *omnes id vocant, quod aliqua sensibili qualitate præditum est, porro ex sensibilibus qualitatibus pleræque corpori adimi possunt, ita ut tamen maneat corpus. Nam etsi aliquod corpus omni colore, odore, sapore careat tamen dicitur esse Corpus. Concedunt enim aerem v.g. esse corpus, etsi sit perspicuus, & careat sæpe colore, odore, sapore; similiter aer est corpus, etiam quando caret sono. Rejiciantur igitur qualitates visibiles, audibiles, gustabiles, odorabiles, tanquam minime constitutivæ naturæ corporis. Ad tactiles ergo res omnis rediit. Et quidem primæ illæ: Calor, humiditas, siccitas, frigus, singulæ abesse possunt, calor potest abesse ab aqua, humiditas à terra, siccitas ab aere, frigus ab igne, & tamen quodlibet horum potest esse corpus, Cæteræ qualitates tactiles v.g. glabrities, levitas, tenacitas &c. non esse naturæ corporis constitutivæ etiam vulgò agnoscuntur, eo ipso quia secundæ appellantur, & ita ortæ ex aliis quæ potius sunt constitutivæ, & præterea quia nulla earum est, quæ non abesse possit à corpore. Restat igitur indaganda aliqua qualitas sensibilis, quæ omnibus & solis corporibus competat, & ex qua velut signo homines corpus à non corpore dignoscant. Ea nimirum est* Crassities seu ἀντιτυπία *cum extensione sumta. Quidquid nimirum homines sentiunt extensum esse seu* vident *tantùm (quamquam revera semper sit corpus & habeat* ἀντιτυπίαν, *licet nobis insensibilem, perceptibilem tamen intellectu:) id non statim vocant corpus, putant enim nonnunquam esse meram speciem &* φάντασμα. *Quicquid verò non vident tantum, sed & tangunt, id est in quo* ἀντιτυπίαν *reperiunt, id vocant corpus, quidquid vero* ἀντιτυπία *caret, id negant esse corpus. In duobus igitur homines tam sapientes quam Idiotæ naturam corporis collocant in extensione &* ἀντιτυπία *simul sumtis, illam sumimus à visu, hanc à tactu, unde ex conjunctione utriusque sensus certificari de rebus solent, quod non sint phantasmata.* Extensum *autem esse nihil aliud est quam esse in spatio;* ἀντιτυπία *est, non posse cum alio esse in eodem spatio, sed alterutrum moveri aut quiescere debere. Ex his patet* naturam Corporis constitui per

Extenſionem & Antitypiam, *cumque nihil ſit in rebus ſine cauſa, nihil etiam poni debet in Corporibus, cujus Cauſa reddi non poſſit ex* primis *eorum* conſtitutivis. *Iam cauſa ex iis reddi non poteſt, niſi per eorum* definitiones. *Nihil igitur ponendum eſt in Corporibus quod ex definitione Extenſionis & Antitypiæ fluat. Fluunt autem tantum ex ea, Magnitudo, figura, ſitus, Numerus, mobilitas &c. (Motus ipſe ex iis non fluit, unde nec corpora motum habent niſi ab incorporeis) Ex his jam patet omnium qualitatum & mutationum explicationem ex magnitudine, figura, motu &c. ſumendam. Et calorem, colorem, &c. non niſi ſubtiles motus & figuras eſſe. Quod ſupereſt illud confirmari auſim: Atheis, Socinianis, Naturaliſtis, Scepticis, nunquam niſi conſtituta hac philoſophia ſolidè occurſum iri: quam ego profectò munus Dei credo ſenectæ mundi datum velut unicam tabulam, quaſe viri pii ac prudentes in incumbentis nunc Atheiſmi naufragio ſervaturi ſunt. Diſſerui hac de re in extemporanea quadam ſchedula, quam in ſuas manus delatam V. CL. Theoph. Spizelius nihil merentem licet, Epiſtolæ ſuæ ad Clariſſimum Reuſerum de Atheiſmo eradicando nuper editæ, velut pannum lacerum purpuræ aſſuit, hoc titulo:* Confeſſio Naturæ contra Atheiſtas.

Quod ſupereſt, Vir Clariſſime ideò de toto hoc negotio fuſius ad Te diſſerui, quod ludicem harum rerum & ſcientiorem & æquiorem nullum haberem. Quando & omnes veterum receſſus luſtraſti, & recentiorum inventa, quando merentur, non aſpernaris; atque illos illuſtrare, hos examinare, unus omnium optimè potes. Recte enim judicas, &ſi novæ ſententiæ *proferantur, earumque veritas evidentiſſime oſtendatur, à* receptis *tamen publice* vocibus *vix unquam eſſe abeundum, quod ſi feciſſent Scholaſtici, non laboraremus. Vale, patriæ decus, & tuapræclare cogitata non abſolve (pleraque enim & cœpta ſimul & perfecta ſunt rara ingenii felicitate,) ſed ede.*

Excerpta

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26:ZEN Leibn. Marg. 26, [58] - -

Excerpta ex Literis

V. CL. JAC. THOMASII, MAGNI inter paucos horum ſtudiorum per Germaniam Ornamenti ad EDITOREM.

DE *Marii Nizolii* libro Te amo: fac ut non illum tantùm, ſed & *præfationem* Tuam videamus, quæ quanto eſt futura prolixior, tanto plures nobis ab eximio ingenio tuo gazas ſpondebit. Excuſſi ſubitò Bibliothecam meam, ſed in ea parùm deprehendi illorum quæ ad illam ſuper *officiis Ciceronianis* à *Calcagnino* motam controverſiam pertinet. Habeo tamen *Majoragii* Reprehenſionum libros duos contra Nizolium impreſſos Mediolani 1549. in quarto, illos videlicet, qui Nizolio illos de vera ratione philoſophandi expreſſerunt. Ex his porrò Majoragii reprehenſionibus, quæ mihi quidem, tametſi autor urbanum ſe potius haberi poſtulat, quàm mordacem, multo felle illitæ videtur, intelligo poſt Majoragium Ciceronis defenſionem quoque à *Iacobo Grifolo* ſuſceptam fuiſſe, locus eſt p. 215. 216. Et ecce Grifoli quoque has diſputationes invenio. Adjunctæ ſunt illæ Hieronymi Ferrarii Emendationibus in philippicas Ciceronis, editis Lugduni (Gallorum) Anno 1562, in octavo. Ac video illas ipſas quoque Calcagnini diſquiſitiones αὐτολεξεὶ inſertas eſſe: præfationem Majoragii in Deciſiones ſuas, quibus Tullium à Calcagnini criminationibus liberat, habes ultimo loco inter præfationes Majoragii orationibus eius adiectas. Deciſionum ipſarum mentio in orationibus eiusdem pag. m. 200. & in præfationibus pag. 616. 658. editionis Lipſienſis Anno 1628. Hæc ea ſunt, quæ loculos excutiendi meos hac de controverſia ſe obtulerunt. In eadem cum Nizolio ſententia *Ra-*

mum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [59] - -

mum eiusque asseclas fuisse opinor. Certè quantum teneo memoria, malunt illi cum Cicerone, quam cum scholis loqui. Ego nec Technica scholarum, nec à vulgi usu repetita Ciceronis asperner, dummodo Lector, quid dicatur intelligat. Intelligi autem fortasse potest, æquè utrovis modo loquaris, dummodo prius assueverit, si non adsueverit, nec intelligi.

Sed nolo Tibi præjudicare.

ILLU-

ILLUSTRISS. ET EXCELLENTISS. FRATRIBUS FARNESIIS, ALEXANDRO S.R.E. Cardinali digniſſ. & OCTAVIO Parmenſium Placentinorumque Duci Secundo, Dominis ſuis,

Marius Nizolius Brixellenſis S.P.D.

NIHIL neque vobis Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Fratres Farneſii, neque cuiquam alteri mirum videatur, ſi ego cum librum hunc meum, de veris principiis & vera ratione philoſophandi contra Pſeudophiloſophos eſſem editurus, non uni eum tantummodo, ut plerique faciunt, nec mediocri cuipiam aut imperito homini, ſed duobus atque etiam pluribus ſi fieri potuiſſet, iisque maximis doctiſſimisque viris committendum commendandumque putavi. Non enim ad id agendum motus fui parva aliqua aut levi de cauſa, ſed juſtiſſima graviſſimaque ratione: nam cum ſcriberem contra falſos Philoſophos pro vera Philoſophia, hoc eſt contra multitudinem hominum non ſolum penè innumerabilem, ſed etiam obſtinatiſſimam atque in diſputando invictam, non quidem veris rationibus & argumentis, ſed magnis clamoribus & fallaciis, exiſtimavi ad obſiſtendum tam numeroſæ tamque procaci turbæ, non unum tantum nec qualemcunque hominem, ſed plures ſimul & eos eruditiſſimos potentiſſimosque principes, quales Vos eſtis, patronos mihi & defenſores eſſe adoptandos, ut potè à quibus ſcripta noſtra & propter ſingularem eruditionem facile intelligi, & propter ſummam poteſtatem fortiter defendi poſſent. Itaque Vos potiſſimum duos delegi ex omni numero non modo literatiſſimorum virorum, ſed etiam maximorum Heroum, quibus meos hos labores ac vigilias, tot imperitorum atque invidorum homines calumniis obnoxias tanquam Numinibus & Diis quibusdam terreſtribus dedicatas conſecratasque eſſe volui: nihil neque timens neque dubitans, ne aut propter ignorationem & inſcientiam, res eas, quas tracto, intelligere non poſſetis, aut

propter imbecillitatem virium ad ea quæ intelligeretis tuenda non essetis idonei. Quam ob rem Vos etiam atque etiam oro & obsecro Principes benignissimi atque optimi, quando iam à nobis veræ Philosophiæ patroni estis constituti, ut prosolita humanitate ac benignitate vestra, ne recusetis, sed libenter suscipiatis patrocinium ac defensionem, primo Philosophiæ ipsius, quæ à nobis in toto hoc libro calamis atque atramento defensa & à falsitate vindicata, nunc etiam a Vobis extra librum viva voce atque oratione defendi postulat: deinde meam ipsius, qui vestræ præstantissimæ virtuti, illustrissimæque domui, cum semper antea fui, tum nunc maxime sum addictissimus, deditissimusque, postea quam accersitus in hanc urbem vestram publice magno cum honore ac præmio literas græcas & latinas docere, & sub justissimo imperio clementissimaque ditione vestra felix vivere cœpi. Postremo etiam libri hujus mei Vobis consecrati, qui natus & editus est sub fortissimo & validissimo Farnesiorum imperio, & eo potissimum tempore, cum hæc fidelissima & devotissima urbs vestra Parma à Pontificiis & Cæsareis exercitibus gravissime obsidebatur. Nam dum vos quotidie extra muros & portas urbis acerrime ac strenuissime pugnando, hostes vestros à mœnibus urbis vestræ procul arcebatis, ego interea intra urbem & in cubiculo aliud quasi bellum gerebam contra Pseudophilosophos, & eos non segniter, ut opinor, nec iniuste dejiciebam de possessione Philosophiæ ac sapientiæ, quam per annos, ut arbitror, plus mille & sexcentos iniquissime occupatam tenuerant. Qua quidem in re quantum laboris exhauserim, & quantum vigiliarum sustinuerim, non facile verbis possem explicare, sed tamen Diis benefaventibus, non frustra, ut spero, laboravi. Nam quemadmodum vos tandem aliquando liberata urbe vestra, simul & de hostibus vestris gloriosam retulistis victoriam, & Parmenses vestros divino quodam affecistis beneficio, sic ego quoque vindicata à Pseudophilosophorum quasi tyrannide Philosophia, simul & non ignobile, ut puto, facinus feciße, & de sapientiæ studiosis non pessime, ut spero, meritus existimabor. Quod si hæc omnia quæ diximus, vobis ac fidei vestræ commissa, hoc est, & Philosophiam, quæ vestram implorat opem, & nos ipsos vobis addictissimos deditissimosq;, & librum nostrum, vel potius jam vestrum, quia vobis consecratus est, tueri ac defendere non recusabitis: & si præterea quandoque cum per gravissimas occupationes vestras vobis licebit, non gravabimini paulisper attente legere

disputa-

disputationes has nostras pro vera Philosophia contra Pseudophilosophos, atque ita legendis scriptis nostris Philosophiæ operam dare, & quasi nobiscum una philosophari, non quidem paucis, ut Neoptolemus ille apud Ennium inquit, sed potius ut Platoni placet, multis. Si inquam hæc omnia studiose facietis, ut certe facietis, scitote vos ex eis has omnes sive laudes, sive utilitates, sive voluptates consecuturos. Ex defensione veritatis a falsitate, ut quemadmodum nunc ab omnibus jure prædicamini, tanquam & hostium vestrorum ultores, & civitatum obsessarum liberatores, sic etiam impostorum tanquam & falsitatis pseudophilosophicæ oppugnatores, & veræ Philosophiæ veræque sapientiæ assertores merito celebremini. Ex lectione scriptorum nostrorum ut perdiscatis quibus rationibus & argumentis ea omnia quæ fidei vestræ commissa sunt tueri, ac defendere possitis, atque omnino quomodo respondendum sit omnibus, qui veram Philosophiam vobis præsentibus atque audientibus oppugnare audebunt. Ex utroque vero, hoc est, tam ex defendenda veritate, quam ex philosophando multis ut dixi, ut quod aliis multis & præclaris actionibus vestris jam antea sæpe numero declarastis, id etiam hac in re confirmetis esse verissimum, nempe ut recte scribit Plato in libris de Republica, Beatas tum fore Respublicas, cum aut Philosophi regnarent, aut Reges philosopharentur. Est enim vere beata nunc & felix hæc civitas vestra Parma, quod vos tam sapientes, tam benignos, tam clementes, tam justos, tam denique omni virtute præditos sortita est Principes & dominos, vel ut rectius loquar, parentes ac patronos. Qui non metu, non avaritia, non crudelitate, non iniuriis, sed benevolentia, liberalitate, clementia, justitia populos vobis subiectos regere ac gubernare didicistis. Et vos vicissim fortunatissimos felicissimosque Principes, quibus contigit subiectam vobis habere Civitatem tam vestri amantissimam, tam fidelissimam, tam devotissimam, & planè tam vobiscum omnibus officiis ac studiis certantem, ut valde dubium sit, vosne feliciores sitis, qui talem gubernetis civitatem, an illa fortunatior, quæ a talibus Principibus regatur.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [63] - -

NIZOLIUS AD LECTORES CONTRA MAJORAGIUM.

QUæcunque à M. Antonio Majoragio in totis duobus ſuis libellis benè loquacibus & longis, quos usq; in hunc diem in me edidit, fuere ſcripta aut alio quovis modo dicta, Lectores veritatis amantiſſimi, iis ego nunc omnibus partim ad vitam & mores, partim ad doctrinam & eruditionem pertinentibus, his duabus & brevibus paginis reſpondere conſtitui. Non enim libet mihi adverſus hominem omnium, qui aut nunc ſunt aut unquam fuerunt, maledicentiſſimum ſcribenti, totidem verbis, convitia, & maledicta retorquere, ne quod vulgo dici ſolet, maximum & peſtilentiſſimum contra me ſcorpionem & crabronem excitans, negotium mihi ipſe faciam, & nullam unquam nec contendendi nec altercandi finem reperiam. Ergo quæ Majoragius de Grammatica, de Dialectica, de Rhetorica, de Philoſophia, & de aliis quibuscunq; rebus ad doctrinam & eruditionem pertinentibus contra me ſcripſit, his omnibus, ne ſingula recenſere cogar, ſemel reſpondeo, ut dictum diſputatum probatumque eſt à nobis in quatuor hiſce voluminibus de veris principiis & vera ratione philoſophandi. Quibus ſi quando aut Majoragius ipſe, qui licet de magnis & obſcuris Philoſophiæ rebus loqui conetur, tamen vere eſt ἄσοφος, & tantum ſcit de Philoſophia, quantum aſinus de Muſica, vel Octavianus Ferrarius, qui Majoragio de Philoſophia ſcribenti omnia ſuppeditat, & tanquam non infanti, ſed viro vere edentulo quaſi præmanſum in os cibum inſerit, aut alius quiſpiam è maximo Phſeudophiloſophorum numero recte unquam poterit reſpondere, & defendere ſecundas ſubſtantias, ſecundas intentiones, genera, & ſpecies dialecticas, univerſalia realia, prædicabilia, univoca, æquivoca, abſtractiones, demonſtrationes, ſcientias, ſapientias, & denique Dialecticam Metaphyſicamque ipſam, cæteraque huiusmodi

modi Dialecticorum & Metaphysicorum barbara & monstrosa figmenta, à nobis in toto hoc opere refutata & explosa? si quis inquam unquam hæc omnia aut aliquod unum horum rectè poterit defendere, nihil causæ dicimus neque recusamus, quin illi & sint & habeantur quamlibet Dialectici, magni Metaphysici, magni Philosophi, magni docti, magni sapientes. Nos vero contra & simus & prædicemur ab omnibus planè imperiti & ignari non solum Dialecticæ, Metaphysicæ & Philosophiæ, sed etiam Grammaticæ, omnium bonarum artium & scientiarum, & denique prorsus ἀμαθεῖς καὶ ἄσοφοι. Atq; hæc omnia nos & Majoragio & Ferrario & aliis omnibus Pseudophilosophis, qui contra nostram qualemcunq; doctrinam & eruditionem aliquid secus aut locuti sunt aut loquuntur, breviter responsa volumꝰ. Quæ vero idē Majoragius non solū calamis & chartis venenatissimis, sed etiā putrido & fœtenti illo ore suo contra vitā & mores nostros usq; in hunc diē deblateravit & deblaterat, iis quoque nihil aliud respondeo, nisi quantū in nostris utriusq; libellis scriptum est. Ex eis enim tāquā ex certissimis & locupletissimis testibus nonsolū de doctrina sed etiam de moribꝰ nostris iudicium fieri volo: & præterea ex eo, quod ille prior nulla dum à me lacessitus iniuria, sed tantum ut amicus ab amico, iunior à seniore admonitus de quibusdam erratis suis, statim nulla nec amicitiæ nec ætatis ratione habita contra me scripsit Apologiam quandam omnibus convitiis & maledictis refertam. Ex iis inquam rursus volo iudicari de vita & moribus utriusque nostrum, & qui prior alterum verè læserit, is omnium, quæ inter nos orta sunt, odiorum ac simultatum culpam sustineat. Quod autē & ille & alii quidam magni Pseudophilosophi clamitant & tantum non vociferantur magnum quoddam & inauditum scelus à nobis admitti, quod Philosophiam ab Aristotele propè duobus ante millibus annorum bene constitutam & fundatam & à tot tantisque viris doctissimis per tot secula receptam & approbatam, nunc demum homunculi ignobiles ac obscuri, ac ne matellam quidem illis porrigere digni, in dubium revocare, perturbare, pervertere audeamus, nec pertimescamus reprehendere Platonem, Aristotelem, Galenum, Porphyrium, omnes interpretes Aristotelis Græcos, Latinos,

tinos, Arabas & totam penè antiquitatem: Idque rationibus, ut ipsi per contemtum appellant, grammaticalibus, rhetoricalibus, vulgaribus & vanis, & denique quod indignissimum arbitrantur, sine ullo pudore aut reverentia antiquitatis: his quoque omnibus breviter respondeo, Philosophiam ab Aristotele fundatam super generibus & speciebus dialecticis, & secundis substantiis & universalibus realibus, quæ omnia à nobis in toto hoc opere nostro falsa fuerũt demonstrata, non posse non esse falsam. Et qui Philosophiã Arist. defendere voluerit, non pessimè esse fundatã, eum ante omnia necesse habiturũ defendere universalia realia, quibus non stantibus, nihil eorum, quæ supra diximus, stare potest. Multitudo vero eorum qui istam Philosophiam per tot secula receperunt & approbaverunt, non ullũ veritatis philosophiæ argumentum est, sed multitudinis imperitorum & diuturnitatis imperitiæ eorum. Oportet enim non philosophiam ex hominum multitudine & diuturnitate, sed hominum multitudinem & diuturnitatem ex philosophiæ veritate æstimari ac judicari. De rationibus autem nostris & de antiquis viris, & de reverentia in illis reprehendendis servanda, breviter quoque hoc respondeo, si antiqui illi tanquam falsissima & absurdissima dicentes, recte à nobis fuerunt reprehensi, & si rationes nostræ ita ut sunt Grammaticales, Rhetoricales, vulgares & vanæ multo sunt meliores & firmiores quàm logicales, Metaphysicales, monstrosæ & barbaræ, nullo pacto nos, quamvis humiles & abjectos, ob antiquorum reprehensionem, etiam quamlibet inverecundiusculam esse vituperandos.

INDEX CAPITUM TOTIUS OPERIS.

PRIMI LIBRI.

Cap. 1. *Summatim quænam sint principia generalia veritatis investiganda, rectèque philosophandi.*

2. *Item in summa quænam sint principia generalia Pseudophilosophorum, & perverse philosophandi.*

3. *De generali omnium nominum divisione in substantiva, adjectiva, propria & appellativa, deq; eorum proprietatibus & differentiis, nunquam satis usque in hunc diem ab ullo traditis aut cognitis, contra Pseudophilosophos.*

4. *De nominibus propriis & appellativis, tam collectivis quàm simplicibus & non collectivis, ac de eorum proprietatibus & differentiis, contra Philosophastros.*

5. *De*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26:ZEN Leibn. Marg. 26, [66] - -

5. De nominibus substantivis & adiectivis, & de eorum proprietatibus ac differentiis, contra Pseudophilosopos.

6. De generali omnium rerum divisione oratoria vera, & de illa Pseudophilosophorum falsa. simulque de voce universi & universalis, & in summa de falsitate Vniversalium realium, ut vocant.

7. Vniversalia realia nec propter scientias artesque tradendas, nec propter syllogismos & cateras argumentationes formandas, nec propter praedicationes superiorum de inferioribus faciendas, necessario esse ponenda: contra Pseudophilosophos.

8. Vniversalia realia vere in rerum natura esse non posse, & propterea non esse, ut rectissime dicunt Nominales: contra stultam illam Realium opinionem de Vniversalibus realibus, quorum rationes omnes plusquam inanes labefactantur.

9. Vniversalia realia etiam si vera esse concedantur, tamen non fuisse facienda quinque numero, sed vel unum tantum, hoc est, genus, vel plura quam quinque hoc est, septem vel octo, adiecto communi, simili, contrario, atque substantia: & simul de falsa universalium sufficientia, quam vocant.

10. De totis, & eorum divisionibus, compositionibusque vere, contra falsissimam Dialecticorum de his omnibus doctrinam.

SECUNDI LIBRI.

Cap. 1. De vere philosophico & oratorio genere, & de vera eius definitione: contra falsum genus dialecticum, & falsam eius definitionem.

2. De vera specie oratoria & vera ejus definitione, contra falsam speciem dialecticam & falsam illius definitionem.

3. De vera differentia & vero proprio philosophicis & oratoriis & simul de eisdem Adversariorum vel falsis vel inutilibus.

4. De accidente vero quidem sed inconstanter definito, & simul pauca quaedam de falsis universalibus, & eorum vanis quaestionibus in universum.

5. De praeceptis dividendi & definiendi oratoriis veris, & Dialecticis falsis.

6. De homonymis & synonymis Grammaticorum veris quid vere sint, & quis verus eorum usus, contra stulta illa aequivoca & analoga Dialecticorum.

7. De denominativis & reliquis capitibus Antepraedicamentorũ, vel supervacaneis vel (falsis.

8. Esse tantummodo unum & summum & verum & generalissimum genus oratorium, quod est, genus rerum sex autem illa transcendentia Dialecticorum, & decem praedicamenta Aristotelis, & tria Laurentii Vallae esse falsa.

9. Quam ob levem causam Aristoteles categorias sive praedicamenta decem ponenda existimaverit, & quam non recte tria tantum Vallae statuerit, & simul quo pacto nos arborem genericam à Porphyriana longe diversam, faciendam arbitramur.

10. Genus rerum vere in duas tantum species dividi, in substantias & qualitates, & omnia alia accidentium dialecticorum praedicamenta sub qualitate generali tanquam veras eius species vere contineri.

11. De

11. *De qualitate generali & omnibus eius tam comparatæ quam absolutæ speciebus, præsertimque de qualitate speciali, quantum differant à speciebus accidentium dialecticorum, & singillatim quæ ratio & causa diversitatis.*

TERTII LIBRI.

Cap. 1. De nominibus scientiæ & artis quid apud Latinos communiter ac propriè significent, & quot modis utrumque eorum accipiatur, & denique quibus differentiis artes & scientiæ inter se distinguantur, contra falsas scientias & artes Pseudophilosophorum.

2. *Quæ & quot sint ea, quæ requiruntur in scientiis & artibus, ex quibus pendet ac fit omnis eorum divisio, definitio & distinctio, contra falsam de eisdem rebus Pseudophilosophorum doctrinam.* (falsa.

3. *De generali scientiarum & artium divisione nostra vera, & Pseudophilosophorum*

4. *De erratis Peripateticorum in generali Philosophiæ divisione admissis.*

5. *Dialecticam inter scientias & artes nec ut universalem nec ut particularem ullum omnino locum habere posse, sed tanquam non modo falsam sed etiam inutilem & supervacuam ex omni artium & scientiarum numero ejiciendam.*

6. *Metaphysicam inter scientias & artes nec ut universalem nec ut particularem ullum omnino locum habere posse, sed tanquam partim falsam, partim inutilem, partim supervacuam ab omni artium & scientiarum numero removendam.*

7. *De comprehensione universorum singularium vere philosophica & oratoria, & simul de abstractione universalium pseudophilosophica & barbara contra falsam Aristotelis doctrinam falso dicentis, abstrahentium non esse mendacium.*

8. *Oratoriam esse facultatem vere generalem, & Grammaticam sub se primo, deinde reliquas omnes artes & scientias vere continentem, tum partes ejus majores breviter exponuntur omnes, & eidem, quæ à Pseudophilosopho iniquè fuerunt ablata, restituuntur.*

9. *De definitionibus nominis & verbi & orationis Grammaticorum veris & Pseudophilosophorum falsis, & de aliis, quæ ab Aristotele falso vel inutiliter in libro* Περὶ ἑρμηνείας *traduntur.*

QUARTI LIBRI.

Cap. 1. De utilibus & veris argumentis, deque utili & vero eorum tam tradendorum, quam usurpandorum modo, contra partim falsam partim inutilem ipsorum doctrinam ab Aristotele traditam in libro Topicorum.

2. *De utilibus & veris argumentationibus, deque utili & vero earum usu, contra inutilem & vanam Aristotelis de eisdem rebus doctrinam traditam in libris Analyticorum.*

3. *De falsa demonstratione & falsa scientia & falsa sapientia Pseudophilosophorum & simul de inutili falsoque Posteriorum Analyticorum libro.*

4. *De sophisticis Elenchis ab Aristotele in Rhetoricam non rectè introductis, & de libro sophisticorum elenchorum quid sentiendum.*

5. *De vanitate eorum quæ à recentioribus Dialecticis appellantur Parva Logicalia.*

6. *Libros qui hodie sub Aristot. nomine legumtur plerosque non vere esse Aristotelicos, sed subditicios & adulterinos, contra communem Pseudophilosophorum opinionem*

7. *De Platone, Aristotele, Galeno, Porphyrio, & de omnibus Aristotelis Interpretibus Græcis, Latinis, & Arabibus breviter quid sentiendum recte philosophaturis.*

8 *De vatione philosophandi, & de corrigendis instaurandisq; Philosophiæ studiis, quæ nunc maxima ex parte perversa & corrupta sunt.* FINIS. MARII

MARII NIZOLII BRIXELLENSIS

De veris Principiis, & vera ratione Philoſophandi, contra Pſeudophiloſophos, & ſimul de falſis eorum principiis.

LIBER PRIMUS.

PROOEMIUM.

QUONIAM principium eſt, ut recte inquit Cajus Juriſconſultus, cujuſque rei potiſſima pars, ut autem Plato ſcribit, & vetus proverbium confirmat, dimidium totius: neque ſolum dimidium, ſed etiam plus dimidio, ut teſtatur Ariſtoteles: atque adeo quoque, ut quidam affirmare non dubitaverunt, ipſum ſolidum totum. Idcirco cum in omnibus aliis rebus agendis, tum maxime in philoſophando & veritate rerum inveſtiganda, diligentiſſime conſiderandum eſt, quæ & qualia principia ſtatuantur: principiis enim quaſi fundamentis quibuſdam recte conſtitutis cætera omnia, quæ ſuperſtruuntur, firma permanere & perpetuo durare poſſunt. Contra vero ſi principia non recte ſtatuas, quicquid ſuperponitur, tanquam ædificium male fundatum deficientibus aliquando fundamentis, in terram concidat neceſſe eſt. Id quod cum ex aliis quamplurimis rebus, quæ quotidie accidunt, verum eſſe licet intelligere, tum maxime ex iis, quæ tradita fuerunt à Pſeudophiloſophis, hoc eſt, à Dialecticis ſive Logicis & Metaphyſicis, ut vocant, cæterisque Philoſophaſtris: quorum principia uſque adeo falſa ſunt & inania, & ſuper eis tanta moles errorum congeſta, ut neque hæc neque illa amplius jam ſtare poſſint: & quod tandiu ſteterunt tot jam præteritis ſeculis, id ipſis contigerit, non ſua ipſorum firmitate & ſtabilitate, ſed partim temporum ruditate, partim hominum ignorantia: qui quæ à quibuſdam antiquis & Græcis Scriptoribus, ne dicam rugatoribus, invenerunt tradita & literis conſignata, ea omnia prorſus temere & ſine ulla conſideratione receperunt, receptaque approbaverunt: perinde ac ſi eſſent

oracula quædam delphica, aut arcana divinitus revelata, quæ nullo pacto falsa esse possent. Neq; hoc contenti fuerunt, sed etiam, si dijs placet, imposuerunt illis nomen partim organi & instrumenti, partim artis & scientiæ: existimantes inter alia plusquam falsissima, neminem ad perfectam veritatis cognitionem ullo pacto pervenire posse, nisi qui primo per Dialecticam sive Logicam Aristotelis, tanquam per januam ingrediens: deinde per Physicam & Metaphysicam ejusdem quasi per scalas ascendens, tandem quandoque ad supremum evaderet sapientiæ fastigium. Quæ omnia nos in toto hoc opere usque adeo falsa & à veritate aliena esse sumus ostensuri, ut contra potius, qui per omnia in veritate investiganda, sequatur præcepta Pseudophilosophorum, & Aristoteli soli ejusq; doctrinæ in philosophando sit addictus, is nunquam nec recte philosophari, nec perfecte veritatem invenire possit. Id quod ego & longa jam librorum Aristotelis lectione, & diuturna cum Philosophastris disputatione doctus, pro certo comperi, nullam aliam ob causam evenire, nisi propter falsitatem & vanitatem principiorum scientiæ illius. Nec mirum, quis enim falsitate duce ad veritatem perveniat? Sed de falsitate eorum, quæ super istis principijs tanquam super fundamentis fuerunt extructa, & multo quam principia ipsa, magis falsa magisque absurda sunt, postea disputaturi sumus aliquando, si vita longior suppetet, & ea omnia validissimis argumentis rationibusque eversuri. Nunc miserati conditionem ac sortem infelicium Adolescentum; qui falsâ opinione decepti, in perversissima illa studiorum Philosophicorũ institutione, non modo tantum pecuniarum, tantum laborum, tantũ vigiliarum, sed quod etiã peius est, potiorem ætatis partem & meliores annos in perdiscendis Dialecticorum & Metaphysicorum nugis inaniter consumunt: decrevimus quàm verissime & quàm brevissime poterimus de veris simul & falsis Philosophiæ principijs scribere: & in fine etiam aliquid de vera philosophandi ratione, deq; corrigendis & instaurandis Philosophiæ studijs addere, & in hac parte studiosis Philosophiæ candidatis, quantum facultas nostra tulerit, prodesse. Sed quoniam principia non modo Dialecticorum, sed etiam Metaphysicorum, quæ Dialecticis sunt quàm similllima, quamvis falsissima, tamen propter errorem humanum tot jam seculis confirmatum, non solum ab ipsismet Dialecticis & Metaphysicis, sed etiam, ut video, penè ac omnibus putantur esse ita vera firmaq; ut contra ea dicere ac disputare omnino fas non sit: idcirco existimavi necessario mihi faciendum esse, ut inter confirmationem nostrorum, simul etiam occurreremus hic falsæ opinioni erroriq; cõmuni: & breviter ostenderemus dictum illud, quod à Dialecticis & cæteris Pseudophilosophis, identidem usurpari solet, contra negantes principia non

esse

esse disputandum: non de principiis illorum, sed de principiis veritatis esse intelligendum. Principia enim Pseudophilosophorum maxima ex parte principiis veritatis sunt contraria, & cum eis ex diametro, ut dicitur, tanquam ignis cum aqua pugnãt. Quod ut statim verum esse apparere incipiat, in primis duobus Capitibus generaliter & sumatim exponamus principia utriusque partis, hoc est, quænam sint principia veritatis, & quæ Pseudophilosophorum: ut antequam docere ac disputare aggrediamur, omnes intelligant, & quibus quasi armis Adversarios nostros oppugnaturi, & quænam illorum principia potissimum eversuri sumus. Deinde in sequentibus capitibus quasi ab alio quodam principio orsi, rursus utraque particulatim & singulatim proponentes, & propositis rationes argumentaque subjicientes, simul & nostra vera, & illa Adversariorum falsa esse demonstrabimus. Per ea autem quæ nostra dicimus potissimum intelligimus ea, quæ in Grammatica & Rhetorica traduntur, quæ demonstraturi sumus non solum esse vera, sed etiam utilia & necessaria, & ad has ipsas, in quibus traduntur, artes pertinentia: per illa vero Adversariorum præcipue intelligi volumus Dialecticam & Metaphysicam, in quarum utraq; quæ continentur, maxima ex parte probare intendimus esse aut falsa, aut si non falsa, sed vera sint, tamen non utilia, sed inutilia: & si etiam utilia concedantur, tamen non necessaria, sed supervacua: & si postremo quoque necessaria condonentur, tamen talia, quæ nec ad Dialecticam, nec ad Metaphysicam, sed aut ad Grammaticam, aut ad Rhetoricam, aut ad aliam quampiam artem, cujus propria sint, pertinere convincantur. Postremo vero quoniam plerique adduci non possunt, ut credant, Porphyrium, & ante Porphyrium Aristotelem, & unà cum Aristotele tot Interpretes Græcos, Latinos, & Arabas tantopere in constituendis Dialecticæ & Metaphysicæ principijs errasse: Idcirco in ultima parte operis etiam videbimus, his omnibus eorumque libris ac scriptis, quantum fidei atq; authoritatis sit tribuendum. Nam cum in superioribus partibus detecta fuerint, & demonstrata tot ac tam fœdissima, non modo Interpretum, sed etiam Aristotelis ipsius errata, nemo opinor tam erit cæcus ut non videat, tam obstinatus ut non fateatur, tantam doctrinæ falsitatem, nulla alia ex causa natam, nisi ex falsitate principiorum illius: & tantum fidei tantumque authoritatis, tam falsæ tamque mendacis disciplinæ Authoribus, non nisi ab imperitissimis, & immeritissimo fuisse tributum. Quæ omnia nisi quem admodum nunc dico, sic etiam in sequentibus vera esse probabo, hoc est, nisi primum ostendam longe veriorem ac justiorem mihi causã dicendi ac disputandi contra Dialecticos, Metaphysicos, cæteroſq; Pseudophilosophos fuisse, quàm Joanni Pico Mirãdulæ cõponendi duodecim illa adversus

Astrologos divinatores præclara volumina, evertendiq; totam Astrologiam vaticinatoriam: quâ nihil neque magis falsum, neq; magis vanum excogitari potest, præter magnam quandam Dialecticæ & Metaphysicæ partem. Et nisi patefaciam quicunque de hoc Aristotele, quem nunc habemus, & de magna librorum illius parte, ab hinc mille annorum & amplius judicium fecerunt, & cum tot ac tantis laudibus sine ulla exceptione in cælum tulerunt: omnes prorsus defeciſſe recto judicio, & fuisse homines parum eruditos, ne dicam rudes & indoctos. Et postremo nisi omnibus modo non prorsus imperitis & omni ratione carentibus constare faciam, propter dialecticas & metaphysicas traditiones, magna ex parte supra quam dici potest, monstrose falsas, & plusquam temere creditas, in plerisq; Philosophastris usq; adeo perversum ac penè corruptum fuisse totum naturalem hominis sensum: ut nihil omnino postea recte sentire potuisse, & omni prorsus humano judicio caruisse videantur. Nisi inquam hæc omnia, quæ dixi, luce clarius vera esse probavero ijs, qui cupiunt & possunt intelligere veritatem, nihil causæ dico neq; recuso, quin me omnes docti, & qui nunc sunt, & qui post hac futuri sunt: atq; adeo quin omnis posteritas penitus insanuisse, & omni prorsus sensu ac judicio captum fuisse dicat. Sed jam omisso longiore procœmio, incipiemus ostendere ac persolvere, quæ polliciti sumus, & à principijs nostris, ut propositum est, ordiemur. Si prius tamen oraverimus Lectores, ut nobis ignoscant, nec vitio vertant, si quando inter refutandum barbaros, barbaris aut parum latinis vocabulis utemur, qualia sunt exempli gratia, ens, essentia, essẽtialis, entitas, quiditas, accidentalis, potentialis, potentialitas, prædicare, prædicatum, prædicamentum, prædicamentalis, univocum, æquivocum, univocũ univocans, univocum univocatum, æquivocum æquivocans, æquivocum æquivocatum, realis, substantialis, intentionalis, principale, principaliter, secundario, Metaphysica, metaphysicalis, Logica, logicalis, mentalis, sermocinalis, orationalis, logice, metaphysice, realiter, intentionaliter, consequenter, infinitare, universalizare, & alia quam plurima hujusmodi plusquam barbara, à Pseudophilosophis prorsus inaniter inventa, & temere in Philosophiam introducta. Sicq; omnes, qui hæc nostra lecturi sunt, oramus, ne offendantur interdum legentes ista & alia similia vocabula, cum ad refutandum barbaros, necesse sit barbaris interdum verbis uti, & cum balbis, ut dicitur, balbe loqui: quo melius clariusque & ipsi nos intelligant, & nos cum ab ipsis, tum etiam ab alijs facilius intelligi valeamus, aliter enim refutari non possunt.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

Summatim quænam sint principia generalia veritatis investigandæ, rectèque philosophandi.

PRincipia generalia veritatis investigandæ rectèque philosophandi, hoc quidem tempore atque in his regionibus, in summa, ut nos arbitramur, cum multa alia sunt, quæ prætermittimus, quia sunt leviora: tum hæc in primis, quæ nunc exponere incipiemus, si prius breviter admonuerimus Lectores, per principia veritatis nihil aliud à nobis intelligi, nisi præcepta quædam, sive dogmata, sive documenta, sive monita, sive quomodocunq; aliter appellare placet, ad rectè philosophandum veritatemq; investigandam pertinentia, & plane contraria illis, quæ à Pseudophilosophis intelliguntur, cum identidem inter disputandum clamitant, contra negantes principia non esse disputandum: hoc est, ut ipsi dicere volunt, contra negantes principia Aristotelis & sua ipsorum, exempli gratia: Illi ad discernendū omnibus in rebus verum à falso, & ad omnem artem scientiamq; percipiendam, & omnino ad perfectam philosophiam perfectamq. sapientiam consequendam, putant in primis necessariam esse Dialecticam, deinde Metaphysicam, postremo totam Aristotelis doctrinam, eam quæ nunc in libris Aristoteli inscriptis legitur, & in publicis privatisq; Gymnasiis fere ubique traditur. Hæc inquam omnia illi percallere & credere & maxime persuasa habere, putant esse primū & generalissimum rectè philosophandi fundamentum. At nos contra nō modo negamus hæc omnia esse vera, sed insuper etiā illud addimus: ad facienda ea omnia, quæ illi dicunt, magis damnosas & noxias esse Dialecticam & Metaphysicam, quàm utiles & necessarias, ut infra probaturi sumus. Quod autem pertinet ad totam doctrinam Aristotelis, plane dicimus & affirmamus prope totum contrarium ejus, quod scribit Abenrhois Arabs in præfatione super libris Physicorum Aristotelis: ille enim eo in loco asserit & affirmat, in scriptis Aristotelicis, per annos mille & quingentos, nullū unquam errorem alicujus momenti fuisse inventum, ex quo putat illum digniorem esse qui divinus quā qui humanus appelletur. Nos verò contra ex altera parte, tametsi non diffitemur quamplurima ab Aristotele, & vera & præclara monumentis literarum fuisse prodita, ut in Ethicis, Politicis, Oeconomicis, in libris de Animalibus, in Rhetoricis, atque etiam in multis rerum naturalium libris: tamen affirmamus & contendimus non multo pauciora vel falsa, vel inutilia, vel etiam ridi-

cula ab eodem ſcripta reperiri, ut in majori parte librorum Naturalium, ac pene in totis Dialectic is,& non pauciſſimis Metaphyſicis: ut quod à quibuſdam quaſi tritum jam vetuſtate proverbium dici ſolet, id de Ariſtotele & ejus ſcriptis jure optimo dici poſſe videatur, Ubi bene nihil melius, ubi male nihil pejus. Atq; ideo inter cætera, de quibus admonituri ſumus recte philoſophari cupientes, hoc quoque vel in primis monitum eſſe volumus, Ariſtotelis ſcripta quidem frequenter legenda eſſe atq; verſanda, ſed cum diligenti conſideratione atque judicio, ne non tam proſint legentibus, quæ vere ab illo prodita ſunt, quam quæ idem falſa ſcripſit, temere credita atque approbata obſint. Sed nihil eorum, quę hucuſq; diximus, aut poſthac dicemus in toto hoc opere credi nobis volumus, niſi ea validiſſimis ac certiſſimis rationibus argumẽtiſq; infra probaverimus eſſe vera. Ergo his præmonitis, ut ad propoſitum noſtrum redeamus; *primum generale principium veritatis rectęque philoſophandi*, ut

(Hæc omnia ſunt loquendi potius quam ſentiendi, principia.)

nos putamus, *eſt cognitio atque notitia linguarum græcæ & latinæ*, in quibus tradita & ſcripta ſunt: cum omnia alia fere, quæ ſunt ſcitu cognituque digniſſima: tum maxime ea quæ ad Philoſophiæ diſciplinam pertinent, præſertim Ariſtotelicæ. His enim duabus linguis, vel prorſus ignoratis, vel non recte perceptis, nemo quiſquam hoc tempore recte philoſophari, aut de majore ulla re judicium ferre poteſt: nam cum pene omnes nunc & in publicis gymnaſiis, & ubique ſequantur Philoſophiam Ariſtotelis græcam, & eam non græco, ſed latino ſermone utentes communiter exerceant: neceſſe eſt, quicunque has linguas vel prorſus ignoret vel certe non bene didicerit, eundem nec ſcripta Ariſtotelis græca perfecte intelligere, nec ſi intelligeret, latinis propriisque verbis recte eloqui poſſe. Atque hanc ob cauſam ſupra in principio capitis hujus addidi, hoc quidem tempore atque in his regionibus. Nam in Græcia quondam non ita erat opus admonitione hujus principii, & aliorum quorundam ſequentium, cum omnes vulgo græce loquerentur, & Philoſophiæ ſtudia non ita eſſent corrupta. Nec eſt quod quisquam ſperet translationibus Græcorum authorum legendis, & qualicunque latino utendo, ſe principii hujus neceſſitatem vitaturum: nam quod ad translationes attinet, hæ ſunt partim ita fœdæ & incultæ, ut ab homine docto non ſine magna nauſea atque faſtidio legi queant: quales ſunt vetuſtiores illæ; partim magis latinæ quidem & cultæ, ſed tamen tales, ut quamplurimis in locis ſententiam Ariſtotelis non plene interpretentur: ut illæ Argyropyli Byzantii, & Petri Alcyonii: Propterea quod in ſcriptis græcis plurima ſunt, quæ nequaquam ſequuntur vertentes ex græco in latinum, aut aliam quamvis linguam, ut articuli Græcorum, quibus caret ermo latinus, & multæ aliæ voces, quarum ſignificationes & poteſtates perfecte trans-

transferri posse non videntur. Quod autem dixi, non qualicunque sermone latino utendo, hoc significare volui, non quamvis improprio, corrupto, & barbaro, qualis est ille, quo usi sunt pene omnes Aristotelis Interpretes tam Latini, ut Albertus, Thomas, Scotus, quam Arabes, ut Abenrhois, & Avicena, & alii complures, eo modo quo apud nos leguntur translati: qui omnes non solum modo Græcam linguam prorsus ignoraverunt, sed etiam sua, hoc est, Latina & Arabica vix videntur fuisse tincti. Hos enim omnes si quis aut perfecte Aristotelem intelligere, aut proprie latine loqui, aut omnino recte philosophari potuisse arbitratur, is vehementer dissentit à nobis: & quantum decipiatur, ex innumerabilibus eorum erratis, quæ in toto hoc opere detegentur, liquido apparebit. Quare principium hoc, quod ad cognitionem linguarum græcæ & latinæ pertinet, ad recte philosophandum ante omnia nobis videtur esse necessarium. *Secundum principium veritatis est, scientia præceptorum & documentorum, quæ in Grammaticis & Rhetoricis traduntur*, sine quibus omnis doctrina prorsus est indocta, & omnis eruditio inerudita. Horum enim ignoratione & inscitia, non solum Dialectici & Metaphysici, sed etiam Philosophi summi, tanquam cæci sine duce iter facientes, quotidie & passim turpissime offendunt, & maxima reconditissimaque Philosophiæ arcana professi, in primis & quàm leviss imis Grammaticæ & Rhetoricæ rudimentis plusquam pueriliter labuntur: ut in toto hoc opere monstraturi sumus, passim docentes & probantes Grammaticas & Rhetoricas præceptiones ac traditiones, esse multo veriores Dialecticis & Metaphysicis: & omnino ad veritatem investigandam, recteque philosophandum, longe utiliorem magisque necessariam Grammaticæ & Rhetoricæ cognitionem, quàm Dialecticæ & Metaphysicæ. Cujus contrarium hactenus nescio qua humani ingenii perversitate, ne dicam stoliditate, existimatum fuit pene ab omnibus certatim approbantibus & admirantibus ea, quæ non intelligebant. Atque ut omnes intelligant hoc quod dico, non sine maximo argumento à me dici, & vero, ut dicitur, verius esse: jam hinc profiteor me disputaturum contra Dialecticos & Metaphysicos, & reliquos omnes Philosophastros, nullis aliis præceptis neq; loquendi, neq; dividendi, neq; definiendi, neque argumentandi instructum ac munitum, nisi iis, quæ partim à Grammaticis & Rhetoribus didici, partim per me ipsum & probatis authoribus legendis animadverti.

(Hic excessu peccat; nihil enim arti obest error artificis.)

Atque his tanquam armis non ullis aliis, pene totam Dialecticam, & non parvam etiam Metaphysicæ partem everturum. Quod si recte fiet, ut certe fiet, nemo posthac, ut opinor, erit tam impudens tamque temerarius, ut dicere audeat, vel Dialecticam esse artem discernendi verum à falso, ut Dialectici nugantur, cum ipsamet innu-

innumerabilibus penè falsitatibus referta sit, & tamen in spatio annorum paulo minus duûm millium, ne unam quidem earum unquam potuerit discernere aut videre: vel Metaphysicam esse scientiam probandi principia aliarum scientiarum, vel negata, vel dubitata, ut Metaphysici mentiuntur, cum ipsa principium habeat falsissimum, ut ostendemus in capite de falsitate & inanitate ejus, & tamen ipsum tueri ac defendere non valeat, ut apparebit. Quomodo enim obsecro quis discernat aliorum falsa, qui sua ipsius nec discernere nec videre queat? & quo pacto quæso quisquam tueatur aliena principia, qui ad sua ipsius tuenda non est idoneus? in summa, ut apertius intelligar, inter alia argumenta, quibus sum ostensurus, principia Grammaticorum & Rhetorum longe veriora esse, quàm Dialecticorum & Metaphysicorum: atque adeo quibus probare cogitamus Dialecticam & Metaphysicam esse facultates non omnino veras nec utiles, sed maxima ex parte falsas & inutiles: hoc vel in primis evidentissimum certissimumque esse volumus, quod nullis alijs principijs ferè, nisi Grammaticorum & Rhetorum, principia Dialecticorum & Metaphysicorum sumus eversuri. Sed ut redeam unde discessi, dico & affirmo, Grammaticos & Rhetores tam græcos quàm latinos, in primisq; M. Ciceronem, longe melius & verius & clarius & ad communem omnium intelligentiam accomodatius quàm ullos Dialecticos aut Metaphysicos aut Philosophastros disseruisse ac præcepisse, primum de nomine, & verbo, cæterisq; simplicibus orationis partibus sive substantiam significent, sive qualitatem, sive quod vis aliud accidens. Deinde de simplicium vocum compositione & constructione, ad propositionem faciendam, sive affirmetur aliquid sive negetur, sive generalis fiat propositio sive particularis, & de propositionum oppositionibus. Tum autem de dividendo, de definiendo, & postremo de argumentis & argumentatiõibus omnibus quæcunq; ad differendum, sive disputandum, sive dicendum de omnibus rebus in contrarias partes necessariæ sint, ut recte philosophaturis ob aliquam earum, quas dixi, rerum, nihil quicquam opus sit Dialecticis aut Metaphysicis præceptionibus: idq; non solum quia sunt vel falsæ, vel multo minus habent perfectionis quàm Grammaticæ & Rhetoricæ, sed etiam insuper quia, ut ante monui, sunt vel inutiles, vel supervacuæ, vel ut ita dicam, impertinentes, quemadmodum docebimus. Sunt autem minus perfectæ & absolutæ, quia cum in rebus quacũq; in arte aut scientia traditis quatuor potissimum requirantur, ut sint veræ, ut utiles, ut necessariæ, & denique ad eam ipsam facultatem, in qua traduntur, pertinentes: in Grammaticis & Rhetoricis rebus hæc omnia reperiuntur observata, ut monstrabimus. At in Dialecticis & Metaphysicis maxima ex parte contra. Dialectici enim & Metaphysici

physici de veritate solum videntur esse soliciti, quippe qui dicunt Dialecticam esse artem discernendi verum à falso, & Metaphysicæ finem esse veritatem, cum tamen in utraq; parte non omnino verum dicere, sed in plerisq; mendaces ac falsi esse reperiantur: de *veritate* inquam tantummodo soliciti esse apparent de *utilitate* vero & de *necessitate* & de *pertinentia* rerum, quas tractant, vel nullam prorsus vel perversam susceperunt cogitationem: perinde quasi nihil interesit rerum, quæ traduntur, esse non solum falsas, sed etiam non inutiles, nec supervacuas, nec impertinentes. Itaq; multo maxima pars rerum Dialecticarum & Metaphysicarum vitiosæ sunt ac reprehensioni obnoxiæ, quia magnam partem deprehenduntur esse non solum falsæ, sed etiam si non falsæ tamen inutiles, & si non inutiles tamen supervacuæ, & si non supervacuæ tamen impertinentes, ut constabit ex sequentibus. Nec mirum cupiam videri debet has, quas dixi, *quatuor conditiones* in rebus quacumq; in arte & scientia traditis requiri, cum fieri possit ut hujusmodi res *veræ* quidem sint sed tamen *inutiles*, vel quia sunt tam faciles cognitu per se, & tam in communi omnium sensu positæ, ut nihil utile sit de eis præcepta dare: vel quia studiosis Philosophiæ candidatis, potius obesse quàm prodesse videntur: aut si non solum veræ sed etiam utiles exstant, tamen aliquando etiamnum contingit eas esse *supervacuas & non necessarias*, quia fortassis in alia arte aut scientia melius & clarius traditæ fuerunt: & postremo si concedantur etiam esse veræ, utiles, & necessariæ, tamen fieri potest, & ad eam, in qua traduntur, artem aut scientiam non *pertineant*, qualia quam plurima sunt in Dialecticis & Metaphysicis, quæ non ad Dialecticos & Metaphysicos spectant, sed ad Grammaticos & Rhetores, ut ex sequentibus apparebit. Quare non sine magna & justa causa Grammatici, & Rhetores, & alii doctissimi quiq; viri has omnes conditiones in rebus, artium, & scientiarum suarum diligenter præstant, Dialectici vero & Metaphysici nequaquam: atq; ideo nos infra identidem reprehensuri sumus eos: ut qui libros, artes, & scientias suas magna ex parte non solum falsis, sed etiam inutilibus, supervacuis, & impertinentibus rebus referserunt, eodemq; tempore etiã admonituri recte philosophari cupientes, ut diligenter caveant, ne quemadmodum Dialectici & Metaphysici, sic ipsi quoq; in rebus non solum falsis sed etiam inutilibus, supervacuis, & impertinentibus versantes, eadem qua illi reprehensione digni reperiantur. His igitur de causis concludo, recte philosophaturis ob aliquam earum, quas dixi, rerum, non solum nihil opus esse Dialecticis aut Metaphysicis præceptionibus sed etiam contra, eas maxima ex parte esse damnosas & noxias iis, qui veritatem rerum pervestigare conantur: & si quid tamen in eis utile reperitur,

id totum multo melius & rectius tradi in libris Grammaticorum & Rhetorum ut nos infra aperte ſumus oſtenſuri. Atq; ideo inter recte philoſophandi principia hoc quoq; non in poſtremis ponendũ exiſtimamus, ne mihi poſthac amplius obganiant iſti Philoſophaſtri, ut ſolent, cum reprehenduntur, quod ea quæ dicunt, aut prorſus ſunt barbara, aut non ſatis intelligibilia, aut contra communem omnium loquendi conſuetudinẽ: Reſpondent enim ſe nõ grammatice nec rhetorice dicere, ſed dialectice ſive logice ſive metaphyſice loqui. Perinde quaſi veritas rerũ melius inveſtigetur, & cogitationes humanæ clarius exprimantur barbaris & inuſitatis verbis, quam conſuetis & latinis, & ſermone dialectico & metaphyſico, quam grammatico & oratorio. At ego viciſſim reſpondeo, grammatice & rhetorice dicere revera eſſe & recte & conſuete & ad communẽ omnium intelligentiam accommodate verba facere: dialectice autem ſive logice ſive metaphyſice loqui, nihil aliud eſſe niſi temere & ſine ulla conſideratione ſermonem habere, vel potius verba effutire, vel etiam, ut magis recte magisque proprie loquar, more picarum ac graculorum importune auribus humanis obſtrepere ac garrire: talis enim proprie eſt ſermo atq; locutio Dialecticorum & Metaphyſicorum. De Dialecticis & Metaphyſicis loquor *noſtrorum temporum*, atque etiam aliquot ſuperiorum ætatum, qui in

(hæc de ſuperioribus ſeculis verius, quam noſtro)

publicis ſtudiis profeſſi ſunt, & adhuc profitentur: apud quos, non qui magis verum dicunt & magis moderate diſputant, ſed qui magis contenta voce clamant, & magis barbare magisque ruſtice loquuntur, ii ſine ulla controverſia habentur doctiores & plane meliores Dialectici ac Metaphyſici. Tantũ enim abeſt apud iſtos ut neſcire Grammaticam, & quamvis ſpurce loqui vitio detur, ut contra potius nonnulli multum de eo gloriari ac ſibi placere ſoleant: ſed de iſtorum imperitia ac perverſa opinione jam ſatis. *Tertium generale veritatis principium eſt, multa & aſſidua lectio probatiſſimorum quoruncunque Authorum tam Græcorum quàm Latinorum, & intelligentia communis uſus loquendi tum eorum tum etiam populi*: quem penes arbitrium eſt & jus & norma loquendi, ut rectiſſime inquit Horatius in Arte poetica. Talibus enim monumentis continenter legendis & eisdem recte intelligendis, nec populi ac vulgarium loquendi conſuetudine ignorata neſcio quomodo repletur pectus & animus Lectoris ingenti quadam verborum lectiſſimorum copia, rerumque graviſſimarum varietate, quæ ſimul juncta ac copulata cum præceptis Grammaticorum & Rhetorum, & utrisq; his ſimul aſſidue diſſerendo ac diſputando exercendis, tanta exoritur bene dicendi & veritatem inveſtigandi facultas, ut aut nulla aut ſola hæc ſit recta via perveniendi ad veram ſapientiam veramq; eloquentiam, atque ut hæc omnia magis proprio verbo exprimam, ad perfectam

Philo-

Philoſophiam perfectamque Oratoriam. Quod ſi quis forte non multis, neq; probatis veterum ſcriptis lectitandis ijſdemq; non recte intelligendis & vulgi ſermone contemnendo, ſolis vel Grammaticæ vel Rhetoricæ vel etiam Dialecticæ præceptis innixus & confiſus, putat ſeſe recte philoſophari poſſe, is tota, ut aiunt, errat via, nec ſcit quid petat aut quid agat: præſertimque ſi his ipſis præceptis aſſidue diſcendis, nullam præterea exercitationem meditationemq; adhibeat, ſeque totam vitam nihil aliud agendo (ut recte inquit Aulus Gellius) tanquam apud ſireneos ſcopulos conſeneſcere patiatur. Quare & hoc principium cæteris, quæ ſupra diximus, fuit addendum, ne quemadmodũ ante hac ſic etiam poſt hac ſtudioſi Philoſophiæ decipiantur: exiſtimantes ſufficere ac ſatis eſſe ad recte philoſophandum, ſi Ariſtotelis & omnium illius Interpretum ſcripta diligenter lectitarint, & illorum loquendi morem accurate perdidicerint: cæteros vero Authores tam græcos quàm latinos contemſerint ac pro nihilo duxerint, & quid quomodò vel alij Sctiptores & cõmuniter omnes loquantur, nihil curarint: perinde quaſi ad recte philoſophandum cognitio doctrinæ & modi loquendi Ariſtotelis ſola ſit utilis ac neceſſaria: Platonis vero & Iſocratis & cæterorum omnium nihil prorſus habeat nec utilitatis nec neceſſitatis: ſed rurſus hoc de principio ſatis. *Quartum generale principium veritatis eſt libertas & vera licentia ſentiendi ac judicandi de omnibus rebus*, ut veritas ipſa rerumq; natura poſtulat, hoc eſt, ut is, qui recte Philoſophari ſtudet, ante omnia liberum ſeſe conſervet ac ſolutum ab omni Philoſophorum Secta, nec ulla cujuſpiam viri, quamlibet magni, doctrinæ fama ita teneatur aſtrictus & quaſi compeditus, quin quæ ipſi pro rei veritate probanda aut improbanda videbuntur, ea libere & ſine ullo impedimento probare aut improbare poſſit. Id quod per commode fiet, ſi in judicando ac ſententia de maximis quibuſq; rebus ferenda argumentis & ratiõibus, multo plus ſemper, quàm authoritatibus & prejudicijs tribuat. Atq; etiam, ut apertius dicam quod ſentio, ſi in omni veritatis inquiſitione, & rerum occultarum inveſtigatione, non tam Platonem aut Ariſtotelem aut quempiam alium antiquũ neotericumve Scriptorem, quàm quinq; ſenſus, intelligentiam, cogitationem, memoriã, uſum, & experientiam rerum tanquam magiſtros & præceptores ſibi ſequendos proponat. Hæc enim demum ſola vera eſt & tuta philoſophandi ratio, præſertim iis, qui jam provectiores ſunt ætate, nec præceptore amplius indigent nam pueris & adoleſcentulis diſcendi ſtudioſis ignoſcendum eſt, ſi nonunquam doctoribus etiam, quamlibet falſa tradentibus, fidem adhibent, quid enim faciant? cum diſcere cupientibus & nondum judicare valentibus, tantum hoc ſuperſit, ut vota faciant Deumq; Opt. Max. orent, ut in bonum & doctum

incidant præceptorem. Hi enim, ut recte inquit Cicero in Academicis Quæstionibus, primum ante tenentur astricti, quàm quid esset optimum judicare potuerunt: deinde infirmissimo tempore ętatis aut obsecuti amico cuidam, aut una alicujus, quam primum audierint oratione capti, de rebus incognitis judicant, & ad quancunq; sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam tanquam ad saxum adhæresc unt. Sed ut redeam unde abii, hac una inquam philosophandi ratione, hoc est, libera & soluta & quæ, ut inquit Horatius, Nullius addicta est jurare in verba magistri: optime licet & sacrosanctam veritatem tueri, & contrariam illi falsitatem oppugnare: quod nihil aliud est, nisi recte philosophari. At vero qui diversam philosophandi rationem secuti & sola authoritatis opinione adducti, antequam judicium de veritate & doctrina cujusquam facere possint, magis sese addicunt nominibus, & tanquam vendunt judicandi libertatem, sæpenumero vel inviti vel imprudentes & veritatis oppugnatores & falsitatis defensores evadunt, dum quicquid ab Hæresiarchis suis dicitur, sive id verum sive falsum, quo jure quaq; injuria, velint, nolint, defendere ac tueri coguntur. Ac tales quidem sunt ferè omnes Addictitii isti Philosophastri, non veri Philosophi sed meri imitatores ac vere servum pecus, qui assidue in veritatis investigatione versantes ipsi sibi, ne eam invenire, & inventam videre possint, tanquam eruunt oculos, abalienato judicandi arbitrio, & in summa ceu verveces aut juvenci omnis judicii ac rationis expertes ducuntur ad lanienam. Ex quo genere habemus non solum Aristotelicos & Platonicos & multos alios veteres alienarum disciplinarum sectatores, qui tamen essent ferendi, sed etiam, si diis placet, Albertistas, Thomistas, Scotistas, Abenrhoistas, Aviceniſtas, & reliquam hujusmodi Philosophiæ fecem, quos nemo vere doctus, neq; docti viri neq; Philosophi nomine dignos arbitratur. Quamobrem etiam si quis alia, quæ supra dixi, & quæ infra dicturus sum, principia teneret, hoc autem non servaret, nunquam tamen recte posset philosophari. *Quintum & ultimum generale principium veritatis, non quidem simplex, ut superiora, sed ex multis constans, est, ut idem recte philosophandi studiosus, in philosophando diligentissime caveat atque effugiat hæc omnia, ac primum ne à communi & consueta omnium doctorum loquendi consuetudine recedat, nec nimis breviter nimisq; obscure loquatur aut scribat*, sic ut aut prorsus percipi non queat quid sibi velit, aut non sine maxima auditorum vel legentium dubitatione & anxietate intelligatur. Æqualia enim sunt nihil loqui aut scribere, & ea loqui vel scribere; quæ ut dicebat Augustus, mirentur potius homines quàm intelligant, aut tanto cum labore percipiant, ut præstitisset ea nunquam nec audivisse nec legisse, præsertim si sint falsa. Quâ quidem in re

cum

cum multi alii veteres & magni viri, tum in primis Aristoteles multum peccasse deprehenditur, atque ideo non immerito à quibusdam comparatus fuit Loligini, quæ dum quæritur à piscatoribus ut capiatur, jam jamque admoveri manus sentit, statim atramentum illud humoris nigerrimi, quod in se habet congenitum, spargens inficit aquam, ut ab oculis mox & manibus piscatorum elabatur. Sic enim & Aristoteles iis in rebus, in quibus capi, hoc est, revinci redarguiq; dubitabat, sermonis vel brevitatem, vel obliquitatem vel obscuritatem spargebat, ut aciem eorum, qui se deprehendere vellent, eluderet: quod vitium philosophandi maximum ab eo, qui recte philosophari cupit, in primis est fugiendum. *Deinde illud quoque non in postremis vitandum, ne tractet quæstiones inconsistentes*, eas quæ à Græcis appellantur ἀσύστατα ζητήματα quales sunt, cum apud antiquiores Philosophos multæ, tum etiam apud Aristotelem non paucæ, & inter alias illa, quæ contra Parmenidem & Melissum disseritur in primo Physicorum, utrum omnia sint unum nec ne, & rursus illa, quæ disputatur in tertio Metaphysicæ, utrum contingat idem simul esse & non esse, & aliæ hujusmodi. Nam per Deos immortales, si de rebus tam claris & apertis dubitatur in scholis Philosophorum, quænam apud eos postea erunt certa & indubitata? sic enim nemo neque ignem esse calidum, neque glaciem esse frigidam, neque nivem esse albam, neque atramentum aut carbonem esse nigrum affirmare poterit: exurget enim aliquis Anaxagoræ illius ter stulti sectator, qui contradicat & affirmet, nivem esse nigram, & ea omnia, quæ memoravi, contrariis qualitatibus esse prædita. Quamobrem quæstiones omnes hujusmodi absurdæ & præter communē omnium sensum, merito damnantur & deridentur ab Isocrate in principio orationis ejus quam inscripsit, ἑλένης ἐγκώμιον, & à Seneca in libro Epistolarum XLII. Epistola ultima: & revera quicunque aliquid hujus generis tanquam verum obstinate affirmat, is non serio refutandus redarguendusque est, sed risu ac sibilis explodendus & ejiciendus: qui vero contra tale aliquid affirmatum tanquam rem seriam refutat, is quoq; non minus quam ille quem refellit, eadem plane dignus videtur derisione & exsibilatione. Quo circa recte philosophaturi diligenter ab istiusmodi quæstionibus inconsistentibus & absurdis tanquam à maximo quodam philosophandi vitio abstineant. *Præterea neque quicquam paradoxon aut insuetum aut novum in Philosophiam introducant, nec introductum ab alio recipiant, aut approbent, nisi magna ratione ac necessitate adducti & coacti.* Quo in genere, ut eos, qui antiquiores sunt, omittam, Plato & Aristoteles gravissime peccaverunt: si quidem Plato sine ulla utilitate ac necessitate introduxit cum multa alia paradoxa & absurda, tum maxime suas illas *Ideas* vanas & inanes,

(Harum naturam & rationem autor noster non satis videtur assecutus.)

atq; ideo non immerito tot locis ab Aristotele refutatas & derisas. Et Aristoteles ipse, ut præceptorem suum aliqua ex parte imitaretur, & ne Philosophia prorsus unquam esset orbata monstris: loco Idearum, quas destruxerat, reposuit nobis & in Philosophiam invexit τὰ καθόλου, ut ipse appellat, ut autem recentiores latini vocant, universalia, quæ non solum minus utilia minusque necessaria, atque etiam minus vera sunt, quàm Ideæ, sed etiam multis partibus absurdiora inanioraque, ut nos in sequentibus capitibus luce clarius ostensuri sumus. Ut hic interim omittam secundas substantias, ab eodem Aristotele inter universalia introductas, & secundas intentiones, quas neoterici necessitate quasi coacti ex Aristotelis sententia addiderunt, & multa alia hujus farinæ, quæ omnia à nobis una cum universalibus infra sunt refutanda. Ab his igitur quoq; diligenter abstinere debent qui recte philosophari cupiunt. Tum autē ne ullo pacto arbitrentur Dialecticam istam sive Logicam, quæ hoc tempore in publicis gymnasiis & fere ubiq; traditur, ad recte vereq; philosophandum esse necessariam, cum sit partim falsa & absurda, partim inutilis & supervacua, partim etiam subdititia & adulterina, & propterea ex omni artium & scientiarum numero ejicienda, ut ex iis, quæ infra probaturi sumus apertissime constabit. Denique vero ne pro certo habeant istos libros, qui hodie pro Aristotelicis circumferuntur ac leguntur, præsertim eos qui sunt de Dialectica, atq; etiam magna ex parte de Philosophia, vere legitimos & germanos esse Aristotelis, & vere ita, ut nunc extant, ab Aristotele illo Alexandri Magni Præceptore fuisse compositos. Qua quidem in re credenda fere omnes quicunque ab hinc annos mille & amplius philosophati sunt, & qui hodie etiam philosophantur turpissime fuerunt decepti, ut in extrema hujus operis parte ratione & authoritate probabitur; quam probationem idcirco in ultimum hujus libri locum rejiciendam putavimus, ut cum antea probatum fuerit Dialecticam, ita ut dixi, maxima ex parte esse falsam, inutilem, & vanam, tum facilius credatur libros eos, qui tam mendacem tamque absurdam doctrinam continent, ab Aristotele illo tantopere laudato nunquam fuisse editos: & propter hanc causam aut non attingendos prorsus aut certe maximo cum judicio & consideratione legendos, ut ex iis, quæ infra dicenda sunt, palam fiet. Atque hæc in summa fere sunt, ut nos arbitramur, generalia principia veritatis investigandæ recteq; philosophandi, nec ulla præterea alia inveniuntur, quæ quidē his meliora potioraq; sint: nam ingenium, memoriam, studium, industriam, & cætera ad bene discendum necessaria prætermitto, cum sint fere aut naturalia, aut Adversariis etiam nostris communia nobiscum, sine quibus nihil egregium aut magna laude dignum fieri potest. At ex his quinque nostris, quæ supra

memo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26:ZEN Leibn. Marg. 26, [82] - 14

memoravimus, veritatis principiis, & ex pluribus membris quibus poſtremũ illud conſtat, quoniam Pſeudophiloſophi aut unum aut plura aut etiam omnia vel ignoraverunt vel contempſerunt vel certe non animadverterunt, hinc factum eſt, ut in quã plurimos & quã fœdiſſimos ceciderint errores. Namque ut vetuſtiores illos omittam, Plato & Ariſtoteles, ut ſupra dixi, contra multa, Interpretes vero Græci contra plura, ſed Latini atq; Arabes Ariſtotelis ſectatores pene omnes contra omnia fecerunt. Quo evenit ut nunc quidem longe plures & libros & præceptores de Philoſophia habeamus, quam unquã antea, ſed quanto plus & librorum & præceptorum exortum eſt ac crevit, tanto minus veritatis ſynceræq; Philoſophiæ in eis continetur, ut jam nihil opus eſſe videatur ullis novis Scriptoribus, qui augeant & amplificent Philoſophiã, ſed qui nimium auctam & amplificatam contrahant ac repurgent, hoc eſt, qui rejectis & exploſis omnibus falſis ſola relinquant vera & utilia. Quod nos facere in toto hoc opere atq; etiam ſi quid alicubi deeſſe videbitur, pro virili noſtra addere cogitamus ac de principiis noſtris generaliter & ſummatim ſatis.

CAPUT SECUNDUM.

Item in ſumma quænam ſint principia generalia Pſeudophiloſophorum, & perverſe philoſophandi.

PRincipia autem *generalia* Pſeudophiloſophorum, & perverſe philoſophandi in ſumma ſunt, *aut non ſcripta* ſed in ſolis hominum mentibus opinionibusque infixa, *aut ſcripta* & monumentis literarum prodita. *Non ſcripta ſunt* hæc, primum *literas græcas & latinas politiores aut nihil aut parum admodum ad recte philoſophandum eſſe neceſſarias. Deinde ſolis Dialectica & Metaphyſica documentis poſſe unumquemlibet vel optime philoſophari, ſine ulla Grammatica aut Rhetorica, ſaltem exquiſitiore*, adeo ut liceat etiam barbariſmis interdum & ſolœciſmis in philoſophando uti. *Ad hæc non opus eſſe ulla multa lectione probatorum Authorum veterum*, neque Græcorum neque Latinorum, præterquam Dialecticorum & Philoſophorum, atque horum non omnium, ſed tantummodo Ariſtotelis, & eorum qui doctrinam illius ſecuti ſunt & Peripatetici appellati. Et præterea ad eos percipiendos ſatis eſſe, ſi intelligatur eorum *ſcribendi & loquendi mos* etiamſi quamlibet à communi omnium conſuetudine abhorreat, & ſibi ſolis pateat, cæteris vero omnibus *tam doctis quàm indoctis prorſus ſit incognitus.* Tum ante omnia

addicere

addicere ſeſe Ariſtoteli, & tanquam jurare in verba illius, ſic ut etiam ſi diceret, hominem eſſe aſinum, & bovem eſſe locutum, tamen ei neceſſario credatur, & plane quemadmodum Pythagoreis in more fuiſſe fertur, cum aliquid probare vellent, ut hoc tantummodo dicerent, αὐτὸς ἔφα, hoc eſt, ipſe dixit: ſic iſti quoque cum aliquid probaturi ſunt, tantum ita occinunt, Ariſtoteles dixit, & iſtiuſmodi probationi majorem habẽt fidem & honorem, quàm omnibus rationibus & argumentis. Tum præterea alicubi quamlibet *obſcuro & brevi ſermone uti*, etiam ſi ad eum intelligendum opus eſſet Oedipo, aut Delio aliquo natatore, & neque ab ipſismet qui proferunt, intelligeretur. Nec non identidem proponere & tractare quæſtiones quamvis inconſiſtentes, & minime dubias, modo detur occaſio atq; anſa aliqua nugandi nec garriẽdi unquam reperiatur modus. Similiterque *ſine ulla utilitate aut neceſſitate introducere paradoxa* & mera monſtra in Philoſophiam: neque ſolum hoc ſed etiam ſine ulla conſideratione introducta ab aliis temere recipere & approbare, & *denig, ſic arbitrari ſine iſta Dialectica, quæ nunc in uſu eſt, neminem unquam recte philoſophari poſſe, & hos libros, qui nunc pro Ariſtotelicis leguntur, perinde ac ſi nihil dubitationis haberent, vere & ſine ulla controverſia eſſe Ariſtotelicos.* Hæc inquam & pene omnia contraria iis, quæ nos ſupra diximus, ſunt generalia principia Pſeudophiloſophorum non ſcripta, ſed in mentibus hominum ita infixa, ut nunquam avelli poſſe videantur: eadem vero *ſcripta & literis conſignata*, ut ipſimet fatentur, *ſunt quæcunque tradita reperiuntur*, partim *in Iſagoge Porphyrii* de genere, ſpecie, differentia, proprio, & accidente, & omnino de iis, quæ tum univerſalia tum prædicabilia à junioribus latinis, à græcis autem appellantur πέντε φωναὶ: partim *in libris* quos vocant *Anteprædicamentorum, prædicamentorum, poſtprædicamentorum*, de æquivocis, de univocis, de iis, quæ dicuntur & quæ ſunt, de ſubſtantia, de quantitate, de qualitate, de relatione, & de iis, quæ ſequuntur: partim *in libro, qui* Περὶ ἑρμηνείας *inſcribitur*, de nomine, verbo, oratione, & propoſitione, ut ipſi dicunt, affirmativa, negativa, particulari, univerſali, deque omnibus propoſitionum oppoſitionibus: partim *in libris Priorum & Poſteriorum Analyticorum*, de omni ſyllogismo ſimpliciter, & de ſyllogismo demonſtrativo: partim in *libris Topicorum & Elenchorum*, de inventione argumentorum probabilium & ſophiſticorum: partim denique in quamplurimis *recentiorum opuſculis de ſuppoſitionibus*, de appellationibus, de ampliationibus, de probationibus terminorum, de ſecundis intentionibus, & de aliis hujuſmodi barbaris & ſtultis nugis, *quæ* omnia communi nomine *appellantur Parva Logicalia*, hoc eſt, fons & origo innumerabilium errorum, & depravatio conſpurcatioque omnium

bonarum

bonarum *literarum*, (*bona verba quæso*). Quibus omnibus, quasi corollarium quoddam magnum accedunt omnia, quæcunq; scripta sunt in *XIIII. libris* τῶν μετὰ τὰ Φυσικά, hoc est, Metaphysicæ sive Metaphysicorum, ut juniores latini vocant. Atq; hæc quoq in summa sunt præclara illa Pseudophilosophorum principia generalia, tam scripta quàm non scripta, quæ neglectis literis græcis & latinis politioribus, contempta Grammatica & Rhetorica, spreto cõmuni omnium recte loquentium usu, subjugata & quasi vendita judicandi libertate, ipsi sibi ad philosophandum tanquam fundamenta firmissima constituerunt: & quæ si quis forte inficiari aut falsa esse dicere audeat, statim contra illum tanquam ingens scelus admittentem & quasi negantem Evangelium nullo pacto disputandum esse clamitant. Sed nos ut spero, Diis bene juvantibus & faventibus, luce clarius ostendemus contrà ista principia non solum dici ac disputari posse, sed etiam ea maxima ex parte esse ita falsa atq; mendacia, ut nihil magis falsum magisq; mendax cogitari queat: ut maximâ admiratione vel ingenti potius stupore dignum sit, qui unquam fieri potuit, in tam longo temporis spatio, & in tanta doctorum hominum multitudine, ut à nemine adhuc, *quod sciam*, nec animadversa fuerint nec refutata, Nam Laurentius Valla, & aliquot alii, qui non pauca adversus Dialecticos & cæteros Philosophastros præclare scripserunt, ferè tantum ex summis Dialecticæ, ut ita dicam, ramis, frondes quasdam & surculos decussere, & ei quidem non parum attulere damni ac detrimenti, sed nihil vel parum profecerunt: propterea qnod stipitem ac radices ipsas reliquerunt intactas & illæsas, nempe secundas substantias, secundas intentiones, monstrosa illa genera, prodigiosas illas species, præterea univoca, æquivoca, analoga, & denique ipsa universalia, prædicabilia, prædicamenta, ut vocant, hoc est, non acuta & sapientia Philosophorum inventa, ut vulgo putantur, sed mera figmenta & plusquam fatua delirantium nugamenta Hæc inquam illi tanquam totius Dialecticæ arboris radices unà cum trunco ipso, vel prorsus non attigerunt, vel certe quàm levissime læserunt: itaque postea multo plura suppullularunt, quàm ante fuerant, decussa. Quod idem ne nobis quoque accidat, diligenter caventes, non à frondibus, ut illi, neq; à surculis, sed à trunco atq; adeo à radicibus ipsis demolitionem Dialecticæ & Metaphysicæ aggrediemur, atq; ita subruemus principia utriusque: deinde etiam si vita suppeditabit, reliqua dejciemus ac prosternemus, ut nunquam postea repullulascere, aut renasci queant. Sed in hac tanta, tamque nova & inauditâ re probandâ, Lectores etiam atq; etiam oratos volumus, ut non ante quicquam judicent, neq; pro nobis neq; contra nos, quàm & nostras & Adversariorum rationes penitus perdidicerint, totumq; librum diligentissime perlegerint.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [85] - 17

Non enim ignoro qualem & quantam rem ſim aggreſſurus, hoc eſt, quam obſcuram ad intelligendum, quam intricatam ad explicandum, quam corruptam ad emendandum, quam fœdatam ad expurgandum, & denique quam difficilem & arduam ad perſuadendum. Idque non tam propter rei ipſius naturam, quamvis monſtroſiſſimam, quàm propter judicia hominum ex Dialecticarum & Metaphyſicarum rerum aſſidua tractatione perverſiſſima & corruptiſſima. Quare vobis vehementer opus eſt Lectoribus non tam pertinaciter contendendi, & Ariſtotelis defendendi, quam patienter intelligendi, & veritatis cognoſcendæ, amatoribus. Quales omnes, qui noſtra hæc lecturi ſunt, ut eſſe velint, rurſus etiam atque etiam oramus.

CAPUT TERTIUM.

De generali omnium nominum diviſione in ſubſtantiva, adjectiva, propria & appellativa: deq; eorum proprietatibus & differentiis, nunquam ſatis uſq; in hunc diem ab ullo traditis aut cognitis, contra Pſeudophiloſophos.

SIc igitur & noſtris & Adverſariorum principiis generalibus ſummatim expoſitis, nunc venio ad exponendum rurſus utraque particulatim, & ad noſtra confirmanda illaque Adverſariorum refutanda, quemadmodum ante ſecundo loco propoſitum fuit. Quod ut commodius ordinatiusq; fiat, primum in hoc capite & duobus ſequentibus differam de *nomi-*

(Nomina ſunt notæ mihi ipſi ad reminiſcendum, ſigna erga alios ad docendum.)

nibus rerum, quæ mihi videntur ad recte philoſophandum in primis cognitu eſſe neceſſaria. Deinde in omnibus aliis hujus ſecundæ partis capitibus, idem faciam de rebus ipſis: ſic ut neq; in his neq; in illis, quantum in nobis erit, ullum recte philoſophandi principium non vere ac fideliter traditũ relinquatur. Nam vehementer mirum eſt, ac prorſus incredibile, quantum in utriſque, hoc eſt, tam in rebus quam in nominibus non ſolum à Dialecticis, ſed etiam à Metaphyſicis & cæteris Pſeudophiloſophis ſemper uſq; in hunc diem fuerit erratum. Quo magis mihi laborandum eſt, nõ ſolum ut doceam ea, quæ putem eſſe vera & utilia, & omnibus recte philoſophari cupientibus neceſſaria, ſed etiam ut ea, quæ ab aliis falſo tradita & ſine ulla neceſſitate prorſuſque inutiliter in Philoſophiam introducta fuerant, redarguã ac refellam. Nam quemadmodum

non

non ſatis eſt ſerere triticum cæteraq́; frumenta, niſi ea aſſidue cures à malis & nocentibus herbis diligenter expurganda, & niſi aves ab eis cæteraq́; animalia noxia continenter arceas ac propellas: ſic non ſufficit docere & quaſi ſeminare veritatem, niſi falſitatem quaſi peſſimam quandam herbam & veritati inimiciſſimam, quotidie ſuborientem, jugiter evellas atq; extirpes, & niſi barbaros Philoſophaſtros tanquam harpyias quaſdam phineias nunquam deſinentes fœdare ac conſpurcare ſacroſanctam Philoſophiæ doctrinam, indeſinenter eiicias atq; extrudas. Quod nos, ut ſpero, tanquam non omnino imperiti neque indiligentes agri philoſophici cultores, ſedulo ubiq; ſumus facturi, & omnibus oſtenſuri, non recte philoſophatos eſſe eos, qui tot ac tanta tamq́; manifeſta errata ſuperiorum, vel propter ignorantiam ingeniiq́; tarditatem non animadverterunt nec viderunt, vel animadverſa quidem & viſa, tamen propter ineptam quandam reverentiam & ſtultam timiditatem, vel noluerunt vel certe non auſi ſunt reprehendere. Atq; ita dum modeſti & reverẽtes videri voluerunt, vaniſq́; quorundam nominibus pepercerunt, ſacroſanctam & divinam prodiderunt veritatem: quam ego ſemper ante omnia colendam omnibuſque quamlibet magnis nominibus anteponendam putavi, juxta illud vulgatum Ariſtotelis quaſi proverbium: Amicus Plato, magis amica veritas. Sed jam quod verbis tam audacter pollicemur, id re ipſa præſtare incipiamus, à generali omnium rerum diviſione ſumentes exordium, & ab hoc rurſus quaſi fundamento, ad omnium nominum diviſionem explicationemq́; redeũtes, hoc modo: Quoniam nomina rerum ſignificandarũ cauſa fuerunt inventa, nam ſi res non eſſent, ne nomina quidem rerum erant futura, idcirco rationi conſentaneum fuit, primum ut quot rerum ſignificandarũ, totidem etiã nominum ſignificãtium genera invenirentur: deinde cum rerum maxime proprium ſit eſſe & exiſtere, nominum autem dici ac ſignificare, ut ſimiliter quot res ipſæ eſſendi & exiſtendi, totidem quoq; nomina rerum dicendi & ſignificandi haberent modos. Rerum autẽ prima genera & primi rerũ eſſendi modi, ut nos putamus, in ſumma quatuor ſunt, nam omnia quæcunq; exiſtunt in tota rerum natura & in hac immenſa mundi univerſitate, primâ diviſione ſunt aut *ſubſtantiæ* aut *qualitates*, & rurſus omnes tam ſubſtantiæ quàm qualitates, aut *ſingulariæ* ſunt aut *multitudines* ſingularium. Subſtantiæ ſunt, ut Socrates, homo, animal, lignum, lapis, metallum, aqua, & terra & reliquæ ſubſtantiæ, quarum proprius eſſendi modus eſt, ut naturaliter per ſe ſtent, & in alio non exiſtant: Qualitates ut dulcedo, amarities, magnitudo, parvitas, dominus, ſervus, calefactio, refrigeratio & cæteræ qualitates tam ſubſtantiales quàm accidentales, in quibus eſt etiam quantitas, ut infra probaturi ſumus in capite de qualitate, ubi etiam

oſtendemus, quæ à recentioribus Dialecticis appellantur accidentia, ea omnia à veteribus Latinis dici & vocari qualitates. Harũ vero proprius eſſendi modus eſt planè contrarius ſuperiori, hoc eſt, ut ſemper in alio exiſtant, nempe in ſubſtantia tanquam in ſubjecto, & nunquam per ſe ſtent. Singularia, ut in hominibus Demoſthenes & Pericles, in urbibus, Parma & Placentia, in fluminibus, Padus & Rhenus, in montibus, Oſſa & Pindus & aliæ hujuſmodi res ſingulares, quæ & ipſæ hunc habent proprium eſſendi modum, ut ſint unæ & ſolæ per ſe ſeparatim ab aliis, non multæ & plures ſimul acceptæ. Multitudines ſingularium, ut populus, exercitus, gens, pars, multitudo, genus, ſpecies & omnino ea omnia, quæ vocãtur tota diſcreta, in quorũ numero vel in primis ſunt genera & ſpecies, ut probaturi ſumus infra partim hoc, partim in proximo ſequenti capite, cum de rebus loqui cœperimus, & generalem illam rerũ diviſionem à Pſeudophiloſophis factam planè falſam & mendacem eſſe demõſtrabimus. Modus autem eſſendi proprius hujus generis rerum eſt, ut ſint non unæ & ſolæ per ſe ac ſeparatim captæ, ut illæ ſuperiores, ſed multæ ac plures ſimul ac ſemel quaſi in unum gregem comprehenſæ. Ac nos quidem in ſumma ſtatuimus tot numero, hoc eſt, quatuor eſſe prima rerum genera, nec plura nec pauciora, nẽpe ſubſtantias, qualitates, ſingularia & multitudines ſingularium, & totidem proprios eſſendi rerum modos, nec plures nec pauciores, hoc eſt, per ſe ſtare, in alio exiſtere, unum & ſolum eſſe, ex multis unis ſoliſq; conſtare: ut ſi afferatur aut genus aliquod rerum, quod non ſit unum horum, aut aliquis eſſendi modus, qui non ad aliquem eorum, quos dixi, referatur, id genus & is modus in vera rerum natura prorſus non exiſtat, ſed omnino falſum commentitiumque ſit, ut ex iis, quæ infra dicturi ſumus apertiſſimum fiet. Ad ſignificandum igitur hæc quatuor rerum genera atq; hos quatuor eſſendi modos, ab Authoribus linguarum, ſive à Grammaticis excogitata & inventa fuerunt quatuor itidem nominum genera, & quatuor eorum ſignificandi modi, ut unicuiq rerum generi, & ſuo ac proprio eſſendi modo reſponderet unum genus nominum, & unus ſignificandi modus. Genera nominũ hæc ſunt *ſubſtantiva*, *adjectiva*, *propria* & *appellativa*: ſignificandi autem eorum modi hi, *ſubſtantive* ſive per modum per ſe ſtantis, adjective ſive per modum in alio exiſtentis, proprie ſive per modum eſſendi unius ac ſolius per ſe, appellative præſertim collective ſive per modum eſſendi multorum ac plurium ſimul. Habent enim nomina ſignificationes rerum & modos ſignificandi earum hoc pacto inter ſe diviſos & diſtinctos, ut ſubſtantive ſemper ſignificent res tanquã per ſe ſtantes ſive per modum per ſe ſtantis, adjectiva res tanquam in alio exiſtentes ſive per modum in alio exiſtentis, propria res tanquam unas & ſolas per ſe, ſive

per

per modum unius & solius seperatim ab aliis, appellativa præsertim collectiva res tanquam plures multasque simul & conjunctim cum aliis, sive per modum plurium multarumque simul cum aliis conjunctarum. Ut in summa, quemadmodum supra dixi, esse tantũ quatuor rerum genera & quatuor earum essendi modos, sic etiam reperiantur ac sint tantum quatuor nominum genera, nec plura nec pauciora, & tantum quatuor nominum significandi modi, nõ plures nec pauciores. Quod usq; adeo verum est, ut si quis forte aliud quodpiam nominum genus, aut alium quendam significandi modum, præter ea & eos, quos dixi, id genus & is modus plane falsa sint & commentitia. Sed ut hæc omnia nominum genera & eorum significandi modi melius ac clarius intelligi possint ab iis, qui recte philosophari cupiunt, de eis nunc singulis quam breviſſime & quam clariſſime potero, dicam: & explanabo ea, quæ mihi ad recte philosophandum in primis cognitu videntur esse necessaria, & quæ si ignorentur pro certo arbitror fieri nõ posse ut quisquam unquam vere philosophari, & recte veritatem investigare queat. Eorum enim ignoratione in superioribus temporibus factum est, ut multa turpiſſimorum fœdiſſimorumq; erratorum millia in Philosophiam fuerint introducta, recepta, & approbata. Quo circa statui hæc eadem omnia mihi diligentiſſime explicanda, & explicationis hujus initium sumendum à nominibus propriis, tanquam à facilioribus, & in quibus vel nihil vel parum admodum fuit erratum.

CAPUT QUARTUM.

De nominibus propriis & appellativis tam collectivis quam simplicibus & non collectivis, ac de eorum proprietatibus & differentiis: contra Philosophastros.

NOmina igitur propria sive, ut Dialectici vocant, individua sunt ea, quæ tam in plurali quàm in singulari numero, semper significant unum & solum per se, nunquam multa & plura simul: ut in nominibus hominum nomen Demosthenis & Periclis, in nominibus urbium nomen Parmæ & Placentiæ, in nominibus fluviorum nomen Padi & Rheni, in nominibus montium nomen Ossæ & Pindi, & reliqua hujusmodi innumerabilia. Exemplum autem modi significandi horum in singulari numero sit hoc, ut si ita dicam, ne semper Curium & Licinium loquar: in plurali numero hoc, ut si hanc eandem sententiam ita proferam,

ut Cicero in Paradoxis, Ne ſemper Curios & Licinios loquar. Quo in loco Cicero licet plurali numero uſus ſit, tamen non plures Curios nec plures Licinios, ſed unum tantummodo Curium & unum Licinium voluit ſignificare. Qui loquendi & ſignificandi modus, ab illo ſuperiore nihil differt, niſi quod ille proprius eſt & naturalis, hic vero figuratus & improprius. Pluralis enim numerus pro ſingulari à Scriptoribus atq; etiam à vulgo ſæpenumero uſurpatur, vel ornatus gratia vel metri cauſa vel ad ſignificandam aliquam latentem animi affectionem. Sed de nominibus propriis hactenus, nam Dialectici & Metaphyſici ipſi quoq; fatentur nomina propria ſive individua unius & ſolius tantum habere ſignificationem ſemper, plurium autem & multorum nunquã: Itaq; hac in parte vel nihil vel parum admodum à nobis diſcrepant. At in ea, quæ ſequitur de nominibus appellativis mirum quam in alia omnia eant, hoc eſt, quam à veritate longe abeant, & toto, ut dicitur, errent cœlo. Quare nunc & pluribus verbis & diligentia majore dicam de nominibus appellativis, quæ cum ſint nominibus propriis magna ex parte contraria, non immerito illis ſubjicientur, ut unum quaſi contrarium alteri comparatum melius diſcerni & internoſci queat, atque etiam ut facilius percipiantur ea, quæ poſtea de nominibus ſubſtantivis & adjectivis dicturi ſumus. Ergo nomina appellativa ſive communia, ut quidam vocant, non ſunt unius generis omnia, ſed duplicia: horum enim alia dicuntur à Grammaticis collectiva ſive comprehenſiva, alia vero quoniam ab aliis, quod ſciam, nomẽ peculiare non habent, à nobis nuncupentur, appellativa ſimplicia ſive non collectiva: ac prius de collectivis dicamus. Nomina appellativa collectiva ſive comprehenſiva ſunt, ut nomen populi, nomen exercitus, nomen gentis, nomen partis, nomen multitudinis, nomen generis, nomen ſpeciei, & alia hujusmodi innumera proprie accepta, ex nominibus autem appellativis ſimplicibus, de quibus poſtea dicemus, nomen hominis, nomẽ animalis, nomẽ arboris, nomẽ herbæ & cætera ejuſdemmodi, non proprie, ut illa ſuperiora, ſed figurate ſumpta, ut dicemus. Quæ omnia contra atque propria peculiarem hunc habent ſignificandi modum, ut tam in ſingulari numero quàm in plurali ſemper plura ſignificent, atque ideo ſingulares eorum numeri cum verbis vel participiis vel nominibus adjectivis pluralibus recte conſtruantur, ut exempli gratia, nomen populi, apud Ovidium in ſecundo Amorum, Nos tua ſentimus populus tibi deditus arma.
Et nomen gentis apud Liviũ inter principia primi libri primæ Decadis, Gens univerſa Veneti appellati. Et nomen partis apud Virgiliũ in primo Aeneidos
Pars in fruſtra ſecant. Et nomen multitudinis apud Homerum in ſecundo Iliados. ὡς φάσαν ἡ πλῆθυς. Sic dixerunt multitudo.

Sed

Sed hæc satis per se manifesta sunt, cum hujusmodi exemplorum pleni sunt omnes libri tam Græci quam Latini, atq; ideo longiori eorum enumeratione supersedendum putavimus. Illud vero non ita notum omnibus, quod dixi, nomina generis & speciei proprie, & nomina hominis & animalis aliaque similia appellativa simplicia figurate, esse collectiva, cum tamen non minus collectiva sint quam nomen populi, exercitus, gentis, partis, & multitudinis: & res ea quæcunq; est genus vel species proprie, homo vel animal figurate, non minus ex multis singularibus atq; individuis composita sit, quam populus, exercitus, gens, pars & multitudo. Quorum utrumque sine ulla dubitatione ita esse, ut dico, quod ad nomen generis & rem ipsam, quæ est genus, attinet: primum demonstrat Seneca in Tragœdia Oedipo, ita dicens.

Quicquid patimur mortale genus.

Et Ovidius in tertio de Arte amandi, hoc modo scribens,

Ite per exemplum genus ô mortale Dearum,
Gaudia nec cupidis vestra negate viris.

Nam cum ille dicat, mortale genus patimur, hic autem in primo versu scribat, ô genus mortale ite, & in secundo subjungat, nec negate: citra omnem dubitationem ostendunt nomen generis esse collectivum, & eam rem, quæ est genus æque ex multis compositam esse, sicut populum & exercitum. Quod ni ita esset, Poetæ illi nomen singulare cum verbis pluralibus non recte conjunxissent, & in turpem incidissent solœcismum. Nec minus aperte idem quoque confirmat Virgilius in tertio Aeneidos, ita inquiens.

At genus è sylvis Cyclopum & montibus altis,
Excitum ruit ad portus, & littora complent.

Quo in loco doctissimus Poeta cũ dixisset, genus Cyclopum, primo subjunxit verbum ruit, singularis numeri, deinde quasi dedita opera significare volens genus esse nomen collectivum, & rem eam, quæ est genus, ex multis constare, in fine addidit verbum, complent, pluralis numeri, quod per figuram eã, quam Græci synthesin, Latini intellectionem vocant, non ad vocem generis, sed ad rem eam, quæ voce significatur, hoc est, ad multitudinem Cyclopum refertur. Omitto hic multa alia exempla, quibus hoc idem probatur, quia rursus infra sunt proferenda. Quod dixi de nomine generis & de re, quæ est genus, idem quoq; dictum intelligi volo de nomine speciei, & de eã re, quæ hoc eodem nomine significatur. Nam si nomen generis collectivum est, ut certe est, species quoq; nomen collectivum non esse non potest, cũ nomen speciei æque multa significet, sicut nomen generis, & res ea, quæ est species, ita ex multis composita sit, sicut res, quæ est genus: de specie loquor divisibili & subalterna, ut vo-

ut vocant, non de ſpecie individua & ſpecialiſſima: nam infra in capite de ſpecie duas ejus formas, unam diviſibilem & ex multis individuis conſtantem, alteram indiviſibilem & ſpecialiſſimam ſumus oſtenſuri. Nomina autem animalis & hominis & reliqua appellativa non collectiva ſed ſimplicia, quomodo ipſa quoq; figurate ſumpta collectiva ſint, & in ſingulari numero multa ſignificent, & ſimiliter quo pacto res, quæ illis figurate acceptis ſignificantur, non ſint unæ & individuæ, ſed multæ & plures ſimul comprehenſæ, poſtea docebimus, cum de nominibus appellativis ſimplicibus loquemur, & dicemus quomodo ea tũ proprie tũ figurate ſumpta in oratione ponantur. Ex quo apparebit hæc quoq; nomina figurate ſumpta, ſæpenumero eſſe collectiva, & inter collectiva vere eſſe numeranda, ſic ut res ab eis ſignificatæ ex multis ſingularibus ſicut cæteræ multitudines conſtent. Nunc ita probatum ſit nomina generis & ſpeciei vere eſſe collectiva, & eas res, quæ ſunt genera & ſpecies, eſſe tota quædam diſcreta ex multis individuis ſingularibusque compoſita, quale eſt genus animalium, ſpecies hominum, & cætera hujusmodi genera & ſpecies diviſibiles rerum non modo civilium & aliarum omnium, de quibus Oratores cæterique Scriptores loquuntnr, ſed etiam naturalium, mathematicarum, & ſupernaturalium, quas Dialectici & Metaphyſici tanquam proprias & ſuas ſibi vendicant, quanquam falſo, ut infra oſtendemus in capite de materia artium & ſcientiarum. Atque ut apertius expromam, quod ſentio, meque omnes clare poſſint intelligere, *cum dico genus animalium, & ſpecies hominum, ita intelligi volo, ut ſignificem non animal illud univerſale, neq; hominem illum univerſalem, quem Dialectici & Philoſophaſtri plusquam inaniter & ſtulte ſibi confingunt, ſed omnia ſingularia animalia & omnes ſingulares homines, ſive multitudinem omnium ſingularium animalium & multitudinem omnium ſingulariũ hominum, qua & qui ſunt in mundo: Adde: quaque fuerunt, erunt, aut eſſe poſſunt.* Talia enim ſunt, ut nos arbitramur, vera genera & veræ ſpecies, hoc eſt, vera ſingularia ſeu veræ multitudines ſingularium, cum ablatis ſingularibus omnibus generum & ſpecierum, ſive univerſis multitudinibus eorum, non minus nihil omnino remaneat ex generibus & ſpeciebus, ſed omnia *prorſus intereant*, quam ex populo & exercitu ſublatis omnibus individuis popularibus & omnibus individuis militibus, ſive univerſis multitudinibus populi & exercitus. In ſumma ſic concludo & pro certo affirmo, in omnibus & per omnia, quod ad unum vel plura ſignificanda pertinet, ſimillima eſſe genera & ſpecies, populos & exercitus, & alia hujuſmodi tota diſcreta, ſive in re ipſa extra omnem cogitationem & mentẽ, ſive in cogitatione & mente noſtra accipiantur, hoc eſt, eodem modo & eſſe & intelligi omnia. Quod tum etiam multo melius & clarius apparebit eſ-

(Hic errat ſublatis enim è Mundo ſingularibus nihilominus univerſalis propoſitio in poſſibilibus tuetur veritatem. Nam etſi occidantur omnes Elephantes manebit tamen vera hæc propoſitio: *Omnis Elephas eſt animal*, in effectu cum ad hanc conditionalem reſolvitur: *Si quis eſt Elephas* (ſive jam ſit, ſive non ſit,) *ille eſt animal.*)

bit esse verum, cum ea, quæ à Pseudophilosophis appellantur universalia, funditus erunt à nobis eversa & sublata: id quod faciemus infra in sexto & septimo capite. Et si forte Philosophastri isti, ut sunt importune & inepte obstinati perseverabunt affirmare, genera & species præter tota discreta & sua singularia esse aliquid in rerum natura, & ponere illud suum universale sive naturam universalem, nos quoque eadem ratione pergemus asseverare præter singulares populares & singulares milites, populum & exercitum esse aliquid, & quemadmodum illi ponunt animal universale & hominem universalem, sic nos introducemus populum universalem & exercitum universalem: nec ulla probabili ratione unquam illi positionē suam tueri poterunt, quin nos quoq; eadem, vel alia simili, introductionem nostram defendamus. Atque ita quaratione erit homo universalis & animal universale, eadē quoq; existet & populus universalis & exercitus universalis. Sed tandem ratione subducta & veritate diligenter investigata, res eo deducetur, ut appareat non minus stultum ac temerarium esse, ponere hominem universalem & animal universale, quam introducere populum universalem & exercitum universalem. Utrumque enim æque absurdum est, & æque in rerum natura esse non potest, ut infra multo clarius apparebit, cum destruxerimus universalia, & cum probaverimus ea non esse necessaria, nec propter artes scientiasque tradendas, nec propter syllogismos cæteraque argumentationes firmandas, nec propter prædicationes superiorum de inferioribus faciendas, id quod fiet in proximis sequentibus capitibus. Nec mihi quisquam hic respondeat, hæc esse inter se diversa, eo quod genus & species de suis inferioribus dicatur in recto casu, ut Socrates est homo, & homo est animal, populus autem & exercitus nequaquam, cum non vere liceat dicere, unum civem esse populum Athenienſium, nec unum militem esse exercitum Romanorum, & propterea non eandem sed longe dissimilem esse utriusque rationem ac naturam. Ne mihi quisquam inquam ita respondeat, non enim ego concedo aut ullum genus verum de suis speciebus, aut ullam speciem veram de suis individuis in recto casu vere prædicari. Similiterque in illis enuntiationibus, *Socrates est homo, homo est animal*, aperte nego & hominem in superiore proprie esse speciem, & animal in posteriore proprie esse genus, ut infra & in hoc capite & compluribus aliis in locis apertissime probabitur. Nunc idcirco pluribus hæc exponenda censui, non quia negem in rerum natura esse aliqua universalia sive communia, quemadmodum infra dicam, ubi ostendam quænam sint universalia vera & quæ falsa, sed ut clare intelligatur qualia nos statuamus esse vera genera & veras species, & quid de universalibus Dialecticis in universum sentiamus. Nec rursus mihi quisquam objiciat Porphyrium in primo capite Isagoges suæ ponentem tres modos generis & dicat genus primo illo

(Falsa est hæc propositio: *Socrates est omnis homo.* Contra vera est hæc: *Socrates est quidam homo.* Propositio igitur: *Socrates est homo*, quæ prædicati infiniti est, non priore, sed posteriore modo capienda est. Iam verò *quidam homo*, est particularis; *omnis homo*, est universale; Patet igitur nunquam universale, sed semper particulare de inferioribus prædicari. hoc (sc universale applicatum)

Porphyrii modo ſumptum poſſe quidem eſſe nomen collectivum, cum dicatur multitudo quorundam, ut ipſemet Porphyrius teſtatur, ſed ſecundo & tertio ejusdem modo acceptum nullo pacto collectivum eſſe poſſe, cum ex ſententia Porphyrii in duobus illis poſterioribus modis duas ſignificationes habeat à prima illa longe differentes & diverſas. Nam ſi quis forte mihi ita objiciat, ei reſpondebo infra in Capite de genere: quare is exſpectet dum ad locum illum veniamus, ibi enim probaturi ſumus ex tribus illis generis Porphyrii modis, unum tantum eſſe verum, hoc eſt, primum, reliquos autem duos poſteriores plane falſos & abſurdos, & ſimul etiam reſpondebimus ad omnia, quæcunque nobis ex Ariſtotele cæteriſque Scriptoribus objectari poſſunt. Sed hactenus ſatis de nominibus collectivis, in quorum numero ſunt non ſolum genus & ſpecies proprie, ut dixi, ſed etiam homo & animal & reliqua appellativa ſimplicia *figurate*, quemadmodum nunc docere incipiemus. Nomina igitur appellativa ſive communia ſimplicia ſive non collectiva, ſunt, ut nomen hominis, nomen animalis, nomen arboris, nomen herbæ, nomen candoris, nomen nigritiei, nomen magnitudinis, nomen parvitatis, nomen domini, nomen ſervi, nomen calefactionis, nomen refrigerationis, & reliqua id genus innumera, quæ quaſi media quædam inter illa duo ſuperiora, nec ſemper unum ſignificant, ut propria, nec ſemper plura, ut collectiva, ſed modo unum modo plura, pro varietate & diverſitate Numeri tum ſingularis tum pluralis: Poſitionis tum propriæ tum figuratæ, Pronuntiationis tum unius tum plurium. His enim tot, hoc eſt, tribus modis, horum nominum vis atque poteſtas, quod ad unum vel plura ſignificanda pertinet, ſubinde variatur & mutatur, ut modo unius modo plurium ſignificationem accipiant. Nam ut primo incipiam à diverſitate numerorum, quis neſcit, hæc nomina tum ſingulariter tum pluraliter efferri? & ſingularem numerum proprie inventum fuiſſe, ut unum tantum, pluralem vero ut plura ſignificaret? Quod ni ita eſſet, in declinatione nominum quid opus fuiſſet diſtinctione numerorum? Quamobrem varietas numeri tum ſingularis tum pluralis in primis eſt cauſa, cur nomina hæc modo unius & ſolius, modo plurium & multorum ſignificationem obtineant. Secundo autem loco diverſitas poſi-

(Cum vox: *Omnis*, adjicitur nomini in ſingulari, propoſitio eſt figurata, v.g. *omnis homo eſt animal*, eſt propoſitio figurata. Sed: *Omnes homines ſunt animalia*, eſt propoſitio propria. Univerſalium igitur imaginaria realitas extra ſingularia à ſermone figurato orta.)

tionis *tum propria tum figurate* idem efficit. Proprie autem nomina poni intelligo cum & Singularis numerus pro ſingulari & uno, Pluralis autem pro plurali & pluribus uſurpatur: ut cum dicitur, exempli gratia, homo pro uno homine, & homines pro pluribus hominibus, & animal pro uno animali, & animalia pro pluribus animalibus, eodēq; modo in reliquis nominibus appellativis ſimplicibus, loquendo ſemper proprie & citra omnem improprietatem ac figuram. Figurate autem & improprie, rurſus hæc ipſa nomina uſurpari

pari intelligo, cum contra atque ſupra, aut ſingularis pro plurali & unus pro pluribus vel omnibus ponitur, aut pluralis pro ſingulari & plura vel omnia pro uno uſurpantur, ut exemplis, quæ infra utrique parti ſubjicientur, deinceps palam fiet. Singularis numerus pro plurali, & unus pro pluribus figurate ponitur, tam in ſoluta oratione quam in verſu, ut apud Ciceronem in tertio de Oratore. At Romanus homo: & apud Livium, Romanus prælio victor: & apud Virgilium, Hoſtis habet muros: pro eo quod eſt, At Romani homines, & Romani prælio victores, & Hoſtes habent muros. Quam loquendi figuram Author ad Herennium appellat Intellectionem, Quintilianus Synecdochen, & de ea hoc modo ſcribit in octavo Inſtitutionum, Hæc variare ſermonem poteſt, ut ex uno plures intelligamus, parte totum, ſpecie genus, præcedentibus ſequentia, vel è contra. Et paulo infra. Maxime autem in orando valebit numerorum illa libertas. Item paulo infra. Quod genus non Oratores modo ornat, ſed etiam quotidiani ſermonis uſus recipit. Hæc Quintilianus de Intellectione ſive Synecdoche figura, qua non ſolum Poetas & Oratores, ſed etiam homines vulgo communiter loquentes uti teſtatur, ut cum dicitur, exempli cauſa, animal, & non proprie pro uno & individuo animali tantum, ſed figurate pro pluribus vel omnibus ſimul animalibus vel pro genere ſive multitudine omnium ſingularium animalium, quod idem eſt, accipitur: Ut apud Ovidium,

Quid meruere boves, animal ſine fraude?

hoc eſt, animalia ſine fraude, ſive genus animalium ſine fraude: & apud Plinium, Mures haud aſpernandum oſtentis animal, hoc eſt, haud aſpernanda oſtentis animalia, ſive haud aſpernandum oſtentis animalium genus: & apud eundem rurſus, Capras maleficũ frondibus animal, hoc eſt, malefica frondibus animalia, ſive maleficum frondibus animalium genus: & apud Horatium,

Cum prorepſerunt primis animalia terris,
Mutum & turpe pecus.

Hoc eſt, muta & turpia pecora, ſive mutum & turpe pecorum genus. Quo in loco poterat Horatius, ſi voluiſſet, convertere nomina, & ita dicere,

Cum prorepſerunt primis pecora omnia terris,
Mutum & turpe animal.

hoc eſt, pecora muta, & animalia turpia, ſive mutum pecorum genus, & turpe animalium genus. Adeo nihil refert in uſu linguarũ, utrum dicas animalia ſive genus animalium proprie, an animal in ſingulari numero improprie & figurate, muta & turpia pecora ſive mutum & turpe pecoris genus, proprie & ſine figura, an mutum & turpe pecus ſingulariter & improprie cum figura. Quibus locutionibus, ut dixi, figuratis

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26:ZEN Leibn. Marg. 26, [95] - 27

duæ ſunt figuræ, una appoſitio, quia duo ſubſtantiva ſine copula cõjunguntur, altera intellectio ſive ſynecdoche, eo quod à ſingulari pluralis & ab uno plura atq; omnia intelliguntur. Et denique hanc loquendi figuram uſurpant omnes probati Scriptores tam Græci quam Latini, tam Poetæ quam Oratores, idque faciunt cum in quamplurimis aliis locis, tũ maxime in definitionibus aſſignãdis, in legibus ſanciendis, in libris inſcribendis, in exemplis proferendis. In definitionibus aſſignãdis hoc modo, Homo eſt animal rationale mortale, pro eo quod eſt, homines ſive omnes homines ſunt animalia rationalia mortalia. Definitur enim unus homo figurate pro omnib. hominibus, propterea quod quæ unius, eadem quoq; omnium eſt definitio, propter ſimilitudinem paritatemque naturæ. Namque, ut vere inquit Ariſtoteles in Topicis, ſimilium contemplatio ad explicandam vim naturamq; rerum per definitionem plurimum valet, atq; ut idem græce ſcribit, ὡς ποτὲ ἐφ' ἑνὸς τῶν ὁμοίων ἔχει, οὕτως καὶ ἐπὶ τῶν λοιπῶν, hoc eſt, ut in uno ſimilium ſe habet, ſic etiam in reliquis. Quare etiam ex ſententia Ariſtotelis, definitiones in ſingulari de uno datæ per ſimilitudinem ad omnes ejusdem generis extenduntur, & quod de uno dictum eſt, id de omnibus dictum intelligitur, ut quod Ariſtoteles per quandam ſimilitudinem fieri dicit, id communis ſermo & Grammatici Oratoresq; communis ſermonis interpretes, per intellectionem latine & per ſynecdochen græce fieri affirment. Sic igitur in definitionibus aſſignandis ſingularis pro plurali & unus pro pluribus vel omnibus ponitur. In legibus ſanciendis, ut in Legibus XII. Tabularum, Tutor cum pupillorum matre ne habitato: pro eo quod eſt, Tutores cum pupillorum matribus ne habitanto. Nam ita lex in plurali numero ſcribi poterat, ſi placuiſſet Legislatoribus, qui plures alias leges in numero plurali tulerunt, ut in ejuſdem XII. Tabulis illam, quæ proxime poſt hanc ſequitur, Agnati aut Subſtituti, qui ſucceſſionem ſperant, tutores ſunto. Ex quo apparet in legibus ferendis nihil referre ſive ſingulari ſive plurali numero utaris, cum ex ſingulari tamen pluralis figurate neceſſario intelligatur. In inſcribendis libris, ut ſi quis exempli gratia ſcripturus de Officiis, ita inſcribat librum ſuum figurate, περὶ τοῦ καθήκοντος, ut Zeno Cittiæus, & Cleanthes & Sphærus Stoici, pro eo quod eſt latine, de Officio: proprie vero, ut Cicero res præclaros illos ſuos de Officiis libros. Item περὶ νόμου, hoc eſt, de lege, figurate, ut idem Sphærus apud Laertium; & περὶ νόμων, hoc eſt, de legibus, proprie, ut idem Cleanthes apud eundem. Ut taceam interim inſcriptionem librorum M. Ciceronis de Republica in ſingulari, & Platonis περὶ πολιτιῶν in plurali, & rurſus illam Ciceronis de Inventione ſingulariter, & Hermogenis περὶ εὑρέσεων pluraliter. Fere enim in inſcribendis libris

libris nihil refert ſingulari numero figurate, an plurali proprie quis utatur. Quam rem ignorans quidam imperite carpit Ciceronem, qui de officiis potius quàm de officio librum inſcripſerit: & alius etiam magis imperite Ciceronem defendere volens, ait eum de officiis recte inſcripſiſſe, & ſi de officio inſcriptionem feciſſet, magnopere erraturum fuiſſe: ex quo patet hujuſce rei ignoratione magnum ab utroq; admiſſum peccatum, utroq; enim modo, hoc eſt, in ſingulari figurate & in plurali proprie Cicero & recte & vere inſcriptionē libri de Officiis facere potuit. Quare hoc pro certo habendum, in pleriſque inſcriptionibus librorum nihil referre, ſive in ſingulari ſive in plurali numero fiant, dummodo hoc intelligatur, eas in ſingulari numero ferè figuratas, in plurali vero proprias eſſe. In exemplis deniq proferendis, ut apud Ciceronem in primo libro de Inventione, cum definiens genus & generis definiti exemplum afferens, ita inquit, Genus eſt quod plures partes amplectitur, ut animal. Quo in loco Cicero quoq; ſi non figurate, ſed proprie loqui voluiſſet, exemplum illud ita proferre poterat, ut animalia ſive ut genus animaliū, idem enim omnino ſignificaſſet, ſed diverſo modo, & definitionem quam attulerat exemplo non minus idoneo illuſtraſſet idem enim planè valent, ut animal, ut animalia, ut genus animalium, nec differunt, niſi quod animal figurate, animalia vero & genus animalium proprie accipiuntur. Neq; ſolum Cicero, cæteriq; Oratores tam Græci quàm Latini hujuſmodi figuratis locutionibus in exemplis afferendis utuntur, ſed etiam Philoſophi, & in primis Ariſtoteles, cum multis aliis in locis, tum præcipue in primo de Hiſtoria animalium, ubi de diverſis animalium generibus loquens, & ſingulorum generum exempla proferens, nihil intereſſe putat ſive figurate ſive proprie loquatur, & ſive dicat exempli gratia, ut piſcis, ſive ut piſces, ſive ut genus piſcium: item ſive ut apis, ſive ut apes, ſive ut genus apum. Una enim qualibet harum locutionum ſignificantur omnes piſces ſingulares, & omnes apes ſingulares, qui & quæ ſunt in mundo: nec alia eſt inter eas differentia, niſi quod in ſingulari dicendo ut piſcis ut apis figuratæ ſunt, in plurali vero & cum nomine generis proferendo ut piſces ut apes, ut genus piſcium, ut genus apum, propriæ. Atque hoc modo, ut dictum eſt, probatiſſimi quiq; Scriptores in definitionibus aſſignandis, in legibus ferendis, in libris inſcribendis, in exemplis proferendis indifferenter nunc propriis nunc figuratis locutionibus uti ſolent. Quas locutiones tam proprias quàm figuratas idcirco pluribus exponendas explicandaſq; putavi, cum ut clare intelligi poſſent, quia nunquam ſatis videntur fuiſſe intellectæ, tum etiam, ut admonerem recte philoſophari cupientes, ne credant Dialecticis ac Philoſophaſtris, qui vel ignorantes vel non animadver-

tentes hanc cõmunem & figuratam loquendi consuetudinem, dicunt & mentiuntur, his nominibus in singulari numero prolatis, significari nescio quam naturam generis sive speciei cõmunem & universalem, quam ipsi cõminiscuntur & nugantur esse quiddam per intelligentiam abstractum à singularibus cum revera genus & species, sive natura generis & speciei nihil aliud sit, nisi ipsamet singularia sua, sive multitudo singularium suorum simul & semel acceptorum, & deniq; nisi totum quoddam discretum, eodem planè modo, quo populus & exercitus, ipsi quoq; nihil aliud sunt, nisi omnes singulares populares & omnes singulares milites, qui in populo & in exercitu continentur, simul comprehensi. Id quod etiam infra tunc melius apparebit esse verum, cũ refutata erunt à nobis falsa illa genera & species & universalia, hoc est, mera monstra & somnia Pseudophilosophorum. Et præterea cum ostensum erit, cũ definitur homo, nihil aliud definiri nisi omnes singulares homines? & cum dividitur animal, nihil aliud dividi, nisi omnia singularia animalia: & omnino cum probatum fuerit, quicquid est in rerum natura, id omne esse aut singulare aliquod aut multitudinem singularium, nihilque esse tertium, aut medium. Sed ut tandem concludam hanc partem, dico nomina appellativa simplicia figurate & improprie poni: si aut numerus singularis pro plurali, aut pars pro toto, aut unum pro pluribus vel omnibus usurpetur, ut supra multis exemplis comprobatum est: aut contra si pluralis pro singulari, totum pro parte, plura vel omnia pro uno tantum accipiantur, per eandem figuram Intellectionem vel Synecdochen, ut cũ nõnunquam similiter tam in soluta oratione quàm in versu dicimus, pectora & pulmones pluraliter pro uno tantũ pectore & uno tantum pulmone, & cum ita loquimur, ut Cicero ad Brutum scribens hoc modo. Populo imposuimus & oratores visi sumus: pro eo quod est, Populo imposui & orator visus sum: item cum ponimus totum aliquod discretum pro una tantum illius parte, veluti totum genus pro uno tantum singulari generis, ut est apud Horatiũ in Odis. Audax Japeti genus. pro solo Prometheo Japeti filio: & apud Aratum in Phænomenis, Κείνη δ' ἀστραίου γένος. hoc est, Justitia Astræi gigantis filia. Omitto hic multa alia exempla totius non solum descreti, sed etiam continui, pro una tantum parte sua: ut cum dicimus, fontem bibi, vel sylvam cædi, eo quia una tantum pars fontis bibitur, & una tantum pars sylvæ cæditur. Omitto inquam hæc omnia, quæ passim occurunt apud Scriptores, & nemini ferè non sunt nota. Quorum duorum loquendi modorum uterq; hoc est, tam ille superior quàm hic inferior receptus est & concessus & approbatus & usurpatus à doctissimis quibusq; viris tam Græcis quàm Latinis per illam, quam toties dixi, figurã intellectionem latine, Synecdochen græce appel-

appellatam, cum aut à parte totum aut ab uno plura vel omnia, aut contra pars à toto & unum tantum à pluribus vel omnibus intelligitur, ut teſtatur Quintilianus in eo, quem ſupra citavi, loco: & Author ad Herennium in quarto: & deniq; ut docet M. Cicero in tertio de Oratore ſupra citato, cum, ut ille inquit, non ut dictum eſt intelligitur, ſed ut ſenſum eſt. Atq; ut ſæpius inculcem, quod diligenter percipi, & memoriæ mandari velim, eo quia nunquam à Philoſophis ſatis videtur fuiſſe intellectum: Figurata poſitio, de qua loquor, in nominibus appellativis ſimplicibus, eſt, cum ſingularis pro plurali & unum pro pluribus vel omnibus, & contra pluralis pro ſingulari & plura vel omnia pro uno tantũ ponuntur. Quâ figurâ fit ut hæc ipſa nomina nec ſemper unum ut propria, nec ſemper plura ut collectiva, ſed modo unum modo plura ſignificent. Atq; hæc eadem efficitur, ut nomina animalis & hominis & cætera appellativa ſimplicia, ut ſupra dixi, figurate poſitâ, vere collectiva ſint & inter collectiva vere numerari debeant: cum hoc modo accepta in ſingulari numero ſine ulla dubitatione, ſignificent plura vel omnia, ut animal, cum in multis aliis ſupra citatis exemplis, tum maxime in eo Ovidii, cum ita inquit.

Quid meruere boves, animal ſine fraude?

Nam niſi animal eo in loco pro multis animalibus, vel pro aliquo genere animalium toto collective & figurate ponatur, quonam pacto recte & ſine turpi ſolœciſmo, diceretur, boves animal? cum unum pluralis, alterum ſingularis numeri ſit? Item ut homo cum in plurimis aliis locis, tum maxime apud Ciceronem in primo de Officiis, ita dicentem, Homo autem qui rationis eſt particeps & cætera. Quo in loco certum eſt hominem à Cicerone non pro uno tantum homine poſitum fuiſſe, ſed pro omnibus hominibus ſive pro univerſo genere hominum. Eſt enim ſermo ille generalis, perinde ac ſi ita dixiſſet, Homines autem qui rationis ſunt participes, ſive genus hominum quod rationis eſt particeps. Quod ſi homo ibi non ſit nomen collectivum, ut nos dicimus, & non pro omnibus hominibus figurate ponatur, quomodo quæſo in ſingulari numero omnes homines ſignificare, & ſermonem generalẽ ad univerſum hominum genus pertinentem facere poterit? profecto nullo modo. Quare velint nolint Philoſophaſtri neceſſe eſt hunc loquendi modum collectivum & figuratum in nominibus appellativis ſimplicibus concedant, & ſua illa univerſalia, ſive naturas univerſales, quas hiſce nominibus ſingularibus ſignificari mentiuntur, tanquam falſas & inanes in malam rem abire ſinant. Poſitis enim & ſtabilitis his locutionibus collectivis, ut dixi, & figuratis, nihil amplius opus erit ullo univerſali, ſive naturâ univerſali, ut etiam multis aliis argumentis in ſequentibus capitibus, ubi univerſalia deſtruemus, ponendis, liquidò conſtabit.

ſtabit. Quod idcirco hic admonitum volui, ne quis forte mihi diceret, ut Philoſophaſtri ſolent, his nominibus appellativis ſimplicibus in ſingulari poſitis, ſignificari ſuum illud univerſale, ſive naturam univerſalem, quam ſibi ipſi quaſi ſomniando ſine ulla utilitate aut neceſſitate confinxerunt, ut docebimus. Nunc oſtenſa hoc modo veritate poſitionis nominum appellativorum ſimplicium, nunc proprie, nunc figurate acceptorum, jam tempus eſt, ut tranſeamus ad tertiam & ultimam eorum diverſitatem, quæ conſiſtit in eis vel ſemel tantum, vel multoties pronuntiandis. Quæ diverſitas ipſa quoq; in cauſa eſt, ut hæc ipſa nomina modo unum modo plura ſignificent, ſicut duæ illæ ſuperiores. Namq; ſemel tantum pronuntiata in ſingulari numero & proprie poſita unius tantuñodo, non plurium habent ſignificationem, ut cum ſemel tantum dicitur, exempli gratia, homo eſt animal. In hac enim enuntiatione tam ſuppoſitum quam appoſitum ſive, ut Dialectici loquuntur, tam ſubjectum quàm prædicatum, hoc eſt, tam nomen hominis quàm nomen animalis, ſolummodo unum ſignificat, eò quia utrunque eorum ſingulare eſt, proprie poſitum, & ſemel tantuñodo enuntiatum, perinde ac ſi dictum eſſet, unus homo eſt unum animal. Nam cum utrunque ut dixi, ſingulare ſit, proprie poſitum & ſemel tantummodo enuntiatum, quid cauſæ eſt, quamobrem non unum tantum ſed plura ſignificare exiſtimetur? Quod ſi non ita eſt, hoc eſt, ſi nomina appellativa ſimplicia, de quibus loquimur, cum tribus illis quas dixi, conditionibus adjunctis, non ſignificant unum tantum ſed plura, quæro igitur primum, quonam pacto aut quâ ratione diſtinguimus numerum ſingularem à plurali? locutionem propriam à figurata? unam enuntiationem à pluribus? ſi æque in una ſicut in pluribus pronuntiationibus plura ſignificantur. Deinde quæro cur non æque recte dicatur, homo ſunt animalia, ſicut homo eſt animal? nam ſi homo tam in ſingulari quam in plurali proprie poſitum & ſemel prolatum, ſignificat plura, quid cauſæ eſt, cur non eodem modo recte cum verbo plurali more collectivorum ſicut cum ſingulari conſtruatur? certe nihil. Atque hæc rurſus quæro & peto propter Dialecticos, qui aſſerunt his nominibus in ſingulari poſitis ſignificari ſuas illas naturas communes & univerſales, & propterea non mirum eſſe, ſi hujuſmodi nominibus in ſingulari poſitis plura ſignificentur, cum eæ naturæ unæ eædemque cum ſint, & exiſtant in multis & dicantur de multis, ut ipſi nugantur. Sed nos in proximo ſequenti Capite, ut ſupra dixi, probaturi ſumus iſtas neſcio quas naturas, eo modo quo ab ipſis intelliguntur, & ſtatuuntur, prorſus eſſe falſas & commentitias & à portentoſis Philoſophaſtrorum cerebris omnino inutiliter & ſine ulla neceſſitate excogitatas. Sed ut redeam ad pronuntiationis diverſitatem, ſic ſtatuo hæc nomina

mina, homo, animal, & similia, cum singularia sunt, & proprie posita & semel tantum enuntiata, unum tantum non plura significare, & cum ita dicitur, Pamphilus hominem stipulatus est, aut homo est animal, nihil aliud his enuntiatis declarari, nisi, ut Jurisconsulti recte aiunt, unum hominem, puta Stichum vel Titium in stipulationem deduci, & unum aliquem hominem puta, Ciceronem vel Demosthenem esse animal. Nomina enim hominis & animalis & cætera hujusmodi nunquam significant genus vel speciem, vel aliquam naturam communem, nisi cum sunt figurate posita & accepta, & ea natura, quæ his nominibus figurate positis significatur, nihil aliud est, nisi multitudo ex individuis composita & totum quoddam discretum, ex nullis aliis nisi ex singularibus vere constans, ut indubitanter affirmamus & in toto hoc opere sumus ostensuri. Quod si eadem hæc nomina hominis & animalis non semel tantum, ut in exemplo superiori, sed sæpius ac multoties proferantur, ac diversis suppositis accommodentur, jam statim desinent significare unum tantum, & multorum ac plurium significationem accipient. Ut si quod ad nomen animalis attinet, id multoties proferam & diversis suppositis accommodem hoc pacto, homo est animal, bos est animal, leo est animal. In his enim tribus enũtiatis nomen animalis quamvis numeri singularis sit, & proprie posi um, tamen quia ter enuntiatum est, & tribus diversis suppositis accommodatum, idcirco sine ulla dubitatione non unum tantum sed tria significat, hominem, bovem & leonem. Quod autem spectat ad nomen hominis, si ipsum quoq; sæpius proferatur & pluribus suppositis aptetur, hoc modo, Cæsar est homo, Pompeius est homo, Cicero est homo, similiter in his tribus enuntiatis vox hominis ter pronuntiata & tribus diversis suppositis aptata, tria significare incipiet, Cæsarem, Pompeium, & Ciceronem: & si pluribus etiam vicibus proferretur, & pluribus suppositis aptaretur, plura etiam significaret. Quod dixi de his duobus nominibus hominis & animalis, idem etiam intelligi volo de omnibus aliis simplicibus appellativis, nempe si de uno tantum dicta, vel ut Dialectici loquuntur, prædicata fuerint, singulariter & proprie tantummodo unum significare. Quod si de alio atq; alio deinceps, hoc est, de pluribus dicantur vel prædicentur, & diversis suppositis accomodentur, statim amittere significationẽ uniustantũ ac multorũ & pluriũ acquirere: sic ut si centies proferrentur, & centenis suppositis aptarentur, centena essent significatura. Atq; hoc est illud, quod Grammatici definientes hoc nomen dicunt, nomen appellativum esse illud quod est commune multorum sive quod convenit multis, quod ita est intelligẽdũ, in multis pronuntiationibus nõ in una sola, nã in una tantum proprie & singulariter, ut dictum est, non nisi unum significare potest.

Atq; ideo ne diminuta sit definitio illa Grammaticorum, addendum est vel subintelligendũ, in multis pronũtiationibus, ut perfecta definitio compleatur hoc modo: Nomen appellativum est illud quod est commune multorum sive quod convenit multis in multis pronunciationibus. Quâ additione fit ut nomen appellativum à nomine proprio tanquam peculiari quâdam proprietate distinguatur, si quidem nomen proprium tam multoties prolatum quam semel tantum, nunquam nisi unum significat, ut si quis dicat exempli gratia: Qui sedet est Socrates, qui legit est Socrates, qui ridet est Socrates, his omnibus effatis non plures Socrates sed unus tantum individuusq; significatur. At nomen appellativum contra, si multoties, ut dixi, proferatur, multorum, si semel tantum, unius tantum habet significationem. De significatione propria loquor, non de figurata, nam figurate positum etiam si semel tantum pronuntietur, tamen multa significat, ut sæpe jam dictum est. Ad hunc igitur modum præter varietatem numeri tum singularis tum pluralis, & diversitatem positionis tum propriæ tum figuratæ, ut supra dixi, etiam varius pronuntiationum numerus, hoc est, cum nomina semel tantum vel multoties pronuntiantur, in causa est, ut nomina appellativa non collectiva modo unum modo plura vel omnia significent. Atq; hactenus de nominibus proprijs & appellativis tam collectivis quam simplicibus, & non collectivis dictũ sit. In quibus explicandis idcirco paulo prolixiores fuimus, ut omnes eaclare & distincte possint intelligere, quorum ignoratione Philosophastri primo nescientes nomina generis & speciei esse collectiva, & nihil aliud nisi multitudinem singularium proprie significare, introduxerunt sua illa genera & species & secundas substantias & omnino omnia universalia & prædicabilia, hoc est, mera somnia & meras nugas Dialecticas. Deinde non intelligentes *cum dicimus, hominem esse speciem animalis, & animal esse genus hominis, tam hominem quam animal accipi debere non proprie sed figurate, pro omnibus hominibus, & pro omnibus animalibus: perinde ac si diceretur, omnes singulares homines, sive omne genus hominum, sive omnium singularium hominum multitudo, quod idem valet, est & continetur in genere sive in multitudine omnium singularium animalium, tanquam minus genus in majore genere, sive minor multitudo in majore multitudine*: Non inquam hoc intelligentes coacti fuerunt introducere monstrosas illas secundas intentiones, hoc est, meras, non Aristotelis, sed barbarorum Dialecticorũ strophas. Deniq; non percipientes nomina hominis & animalis & alia similia in una pronuntiatione unum tantũ, in pluribus plura significare, putaverunt non vocem hominis & animalis, sed rem quę est homo & rem quę est animal dici ac prędicari de multis suis inferioribus, & omnino hominem &

animal

animal esse res sive naturas communes & universales, quo nihil excogitari potest absurdius, ut docebimus in sequenti Capite. Nunc tantum hoc non ignorari volumus, vere intellectis nominibus tam appellativis collectivis, quam non collectivis, & rebus quæ eis significantur, & recte perceptis locutionibus tam figuratis quam propriis & non figuratis, & quid intersit inter voces, cum semel tantum pronuntiantur & cum multoties, his inquam omnibus probe cognitis & intellectis, nihil præterea opus esse nec generibus nec speciebus nec secundis substantiis nec secundis intentionibus nec universalibus nec prædicabilibus nec ullis hujusmodi nugis Dialecticorum. Quod tamen nobis credi nolumus, nisi in proximo & sequentibus Capitibus extirpabimus omnia ista Pseudophilosophorum & Philosophastrorum nugamenta.

CAPUT QUINTUM.

De nominibus substantivis & adjectivis & eorum proprietatibus ac differentiis, contra Pseudophilosophos.

SEd jam veniamus ad duo illa, quæ supersunt nominum genera, hoc est, ad substantiva & adjectiva, quorum proprium est significare non unum tantum aut plura, sicut illorum superiorum, sed res aut tanquam per se stantes aut tanquam in alio existentes, & omnino aut substantias aut qualitates: propter hanc enim causam ab Authoribus linguarum aut à Grammaticis fuerunt inventa, ut deinceps constabit de exemplis & explicatione ipsorum, ad quam nunc aggredimur. Nomina substantiva sive, (Non homo sed humanitas, dialecticis *abstractum* est.) *ut Dialectici vocant, abstracta* sunt ut nomen hominis, nomen animalis, nomen ligni, nomen lapidis, nomen aquæ, nomen terræ, nomen dulcedinis, nomen amaritiei, nomen magnitudinis, nomen parvitatis, nomen domini, nomen servi, nomen calefactionis, nomen refrigerationis, & reliqua hujusmodi significantia tum substantiã tum qualitatem, sed utranq; semper per modum essendi substantiæ, & rei per se stantis substantive prolatam, ut per exempla, quæ diximus patet. Nam licet magnitudo & parvitas, dulcedo & amarities qualitates sint, & revera in alio existant, hoc est, in substantia tanquam in subjecto tamen ut substantiæ, perinde ac si per se starent, substantive proferuntur. No-

mina vero adjectiva sive concreta, ut Dialectici appellant, sunt ut nomen ligneï, nomen lapidei, nomen aquei, nomen terrei, nomen dulcis, nomen amari, nomen magni, nomen parvi, nomen paterni, nomen filialis, nomen calefacti, nomen refrigerati, & cætera hujusmodi innumerabilia, quæ omnia non similiter ut substantiva modo substantiam, modo qualitatem, sed semper qualitatem sive substantialem sive accidentalem significant. Nam licet lignum exempli gratia & lapis substantiæ sint, tamen esse ligneum & esse lapideum sunt qualitates. Interrogatus enim quis, qualem arcam vel qualem domum emerit, recte respondeat, ligneam vel lapideam, ex quo colligitur nominibus adjectivis licet à substantia derivatis nunquam substantiam sed semper qualitatem quandam significari, eamque per modum qualitatis & rei in alio existentis adjective pronuntiatam. Nam cum ex ligno fit ligneus, & ex lapide lapideus, hoc est, cum substantiva substantiæ mutantur in adjectiva, tunc substantia quasi videtur in qualitatem transformari, & id quod proprium est qualitatis, tanquam in alio significari, ut puta lignum in arca lignea, & lapis in domo lapidea. *Quare inter nomina substantiva & adjectiva hæc est differentia, quod substantiva tam substantiam quam qualitatem, adjectiva vero nunquam nisi qualitatem significant*: Cujus rei hæc est causa, quia qualitas licet tanquam per se stans in substantivo sæpe proferatur, tamen revera per se stare & à subjecto separata esse non potest. Quis enim unquam vidit magnitudinem aut dulcedinem sine ullo subjecto per se subsistentem? certe nemo. At substantia non solum tanquam in alio existens proferri, sed etiam revera in alio existere nihil prohibetur, ut quemadmodum dixi, in arca lignea lignum, & in domo lapidea lapis. Quo circa nihil mirum videri debet, si cum substantia sæpe numero qualitatis proprietatem recipit, ut revera in alio existat, tamen qualitas id quod substantiæ proprium est, ut revera per se existat, nunquam potest accipere. Ac talia quidem sunt nomina substantiva & adjectiva, quod pertinet ad significandum substantias vel qualitates, & eas tanquam per se stantes vel tanquam in alio existentes, & hoc modo inter se differunt. Præterea in his ipsis nominibus illud quoq; sciri & diligenter memoriæ mandari cupio, esse duo præcipue interrogandi tanquam instrumenta, *quid est & quale est*: atque hæc ita inter se diversas habere responsionum vices, *ut ad interrogationem factam per quid est, semper respondere incipiamus per nomina substantiva & per res tanquam per se stantes*: Ut in substantiis, quid est homo? est rationale vel animal: quid est Ilex? est arbor vel stirps: in qualitatibus: quid est linea? est longitudo: quid est candor? est color. *Ad interrogationem vero factam per quale est, semper respondemus per nomina adjectiva & per res tanquam in alio existen-*

existentes, ut rursus in substantiis, qualis est homo? est rationalis vel animalis, qualis est Ilex? est magna vel glandifera. In qualitatibus, qualis est linea? est recta cel curva, qualis est candor? est intensus vel remissus. Idcirco autem in proferendis superioribus exemplis diximus interroganti, quid est homo? re-

(Hæc propositio, *homo est rationale* est figurata & Elliptica, subintelligendum enim Ens vel aliquid simile vide Scioppii gramm. philos.)

cte responderi, *est rationale*, quærenti vero, qualis est homo? est animalis, ut admoneremus recte philosophari cupientes, & rationale non semper esse nomen adjectivum differentiæ, sed etiam aliquando nomen substantivũ generis, & animalis item non semper esse nomen substantivum generis, sed etiã interdum nomen adjectivum differentiæ, contra imperitam illã & stultam opinionem Philosophastrorum, qui putant rationale ita semper esse differentiam ut nunquam possit esse genus, & animale ita semper esse genus ut nunquã possit esse differentia. Cum rationale revera non minus sit genus quam animal, & animal non minus differentia quam rationale, ut infra validissimis rationibus in Capite de differentia sumus ostensuri. Sed de his postea, nunc illud quoq; de his nominibus non ignorari volo. Quemadmodum ex substantivis per derivationem sive denominationem sæpe fiunt adjectiva, ut ab eo quod est lignum ligneus, & ab eo quod est lapis, lapideus, sic etiam ex adjectivis per substantivationem quam vocant, sæpe numero effici substantiva, cum tertia vox adjecti-

(Vti ex voce: *Capitale*, scilicet crimen, factum est: *Capital*. Ita ex voce *adjectiva*: animale, scilicet Ens, factum est *substantivum*: animal. Et eo differunt substantiva & adjectiva, quod illis Tò Ens vel Res, (primum substantivum) inest in his per Ellipsin omissum, mente supplendum est, similiter igitur ex *rationali* potest fieri: *Rational*. Et tunc recte dicetur: *quid est homo? est rational*. Cum nunc non recte dicatur: quid est homo? est rationale; nisi subintelligitur: Ens; recte verò dicatur: *quale* (scil. Ens) *est homo? rationale* vel simpliciter: *qualis est homo? Rationalis*.)

vinominis in substantivum transit: Ut *animale*, *& per apocopen animal*, pro re habente animam, ab eo quod est, hic & hæc animalis & hoc animale, qua voce utitur Cicero, & alii probati Scriptores latini: Et rationale sive per apocopen, si quemadmodum animal, sic etiam dici posset, rational, pro ea re, quæ habet rationem, ab eo quod est, hic & hæc rationalis & hoc rationale. Et fere omnia hujusmodi substantiva ex adjectivis facta, eodem modo quo, triste, pro re tristi apud Virgilium. Triste lupus stabulis. & dulce pro re dulci, apud eundem. Dulce satis humor & bonũ pro re bona, apud Homerũ,

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, Non bona res multitudo principum. Et denique quomodo communiter loquentes dicimus, album exhilarare oculos, nigrum contristare, frigidum delectare febricitantes, pro re alba, pro re nigra, pro re frigida, & multa alia hujusmodi quæ doctissime colligit Laurentius Valla in primo Dialecticæ libro, c. 3. ubi apertissime & justissime refutat ac deridet totam illam rationem concretorum Dialecticorũ tanquã prorsus inanem & falsam. Sic igitur ad interrogationes factas per quid est, & per quale est, respondetur, quemadmodum nos diximus per nomina substantiva & adjectiva & per res tanquam per se stantes vel in alio existentes, non per genus & differentiam, vel per aliquod eorũ, quæ Dialectici nugantur in suis illis plusquam stultis universalibus. Quanquam nihil prohibet quominus & substantivũ

possit esse nomen generis & adjectivũ nomen differentiæ, sed nec dici in quid, generis, nec dici in quale, differentiæ propriũ est, ut ostendemus infra in Capitibus generis & differentiæ: Ubi docebimus partes illas, dici in quid & dici in quale, in definitionibus eorum non recte fuisse appositas. Ex quibus ita expositis facile patet quonam pacto definiendum sit nomen substantivum & nomen adjectivum: nomen enim substantivum est illud, quod semper significat rem tanquam per se stantem, sive substantia ea res sit, sive qualitas, & ad interrogationem factam per quid est, semper priore loco respondetur, sive sit substantivum, ut ita dicam, principale, sive ex tertia nominis adjectivi voce factum, ut quid est homo? est rationale, hoc est, res habens rationem, & rursus, quid est homo? est animal, hoc est, res habens animam. Nomen vero adjectivum est illud, quod contra semper significat rem tanquam in alio existentem, & quæ semper est qualitas vel vera, ut albus & niger, vel ex substantiæ quasi transmutatione facta, ut ligneus & lapideus, & denique quæ ad interrogationem factam per quale est, semper recte responderi potest, ut qualis est homo? est rationalis vel animalis, hoc est, res anima vel ratione prædita. Hæc itaque sunt quæ tam in hoc quam in superiore Capite mihi visa sunt dicenda de nominibus substantivis & adjectivis, propriis & appellativis tam collectivis quam simplicibus & non collectivis, nisi figurate, ut dixi. Ex quibus primum constat, idcirco esse quatuor nominum significantium genera & quatuor eorum significandi modos, quia reperiuntur quatuor rerum significandarum genera, & quatuor earum essendi modi. Deinde nomina propria semper unum significare, nomina vero appellativa collectiva semper plura, nomina appellativa simplicia modo unum modo plura, pro varietate numeri tum singularis tum pluralis, positionis tum propriæ tum figuratæ, pronũtiationis tum unius tum plurium. Ad hæc nomina substantiva semper significare res tanquam per se stantes, tam substantias quàm qualitates, eo quod qualitas in substantivo prolata, licet revera non sit substantia, tamen quandam substantiæ præ se fert similitudinem. Nomina adjectiva res tanquam in alio semper existentes, sed non nisi qualitates, eo quod substantiæ in adjectivo prolatæ naturam suam quodammodo amittere, & in qualitates transformari videntur. Postremo vero ad interrogationes factas per quid est, & quale est, respondendum esse non per genera nec per differentias nec per alia ulla universalia, ut Dialectici imperite nugantur, sed per nomina substantiva & nomina adjectiva, & per res tanquam per se stantes vel in alio existentes, quamvis nihil impediat quo min' hæ res omnes & genera & differẽtiæ esse possint, ut docebimus infra locis suis. Horum autem omnium cognitionis utilitas hæc est, quod ex hac nominum explica-

explicatione & explanatione manifeste licet cognoscere Dialecticos & Metaphysicos & reliquos Philosophastros, eo quod nomina hæc non recte sed perperam & perverse intellexerunt, hac de causa pene totam Philosophiam corrupisse, & eam meris monstris portentisque impleviſſe. Hinc enim monstrosæ illæ secundæ substantiæ, hinc portentosa illa genera & species, hinc plusquam prodigiosa illa universalia & prædicabilia, & ad extremum quoque hinc secundæ illæ intentiones non jam tantum monstra atq; portenta, sed omnem, ut ita dicam, monstrositatem portentositatemque superantes. Quæ omnia qualia sint, hoc est, quam falsa, quam absurda, quam ridicula, & denique quam sine ulla necessitate aut utilitate fuerint introducta, ex iis, quæ sequuntur, Capitibus liquido apparebit.

CAPUT SEXTUM.

De generali omnium rerum divisione oratoria vera, & de illa Pseudophilosophorum falsa, simulq; de voce universi & universalis & in summa de falsitate Universalium realium, ut vocant.

QUemadmodum ante in tertio Capite de nominibus rerum locuturi, & generalem eorum divisionem facturi primo divisimus res ipsas in quatuor genera, & ex earum divisione, nominum, quibus res significantur, divisionem confirmavimus, eo quod rationi consentaneum sit, quot rerum significatarum, totidē etiam nominū significantiū genera inveniri: Sic hoc loco de rebus verba facturi, & eandem rerum, quam supra posuimus, divisionem repetituri, non sine causa existimavimus hanc quoq; vicissim nobis ex nominum divisione confirmandam. Eo quod ab eadē ratione alienum non sit, non plura neq; pauciora rerum genera à Deo sive à natura rerum omnium opifice procreata fuisse, quàm quibus linguarum Authores & vocabulorum inventores nomina atq; appellationes imposuerunt.

(Neg. enim vox quidem: Res, Entis, Substant æi tribui possit, si nullo simplici, & figura carente sermone sit explicabilis, consequens est eam nec distincte intelligibilem, & ita nec possibilem esse.)

Loquor de nominibus rerum generalibus, *ut si cui rei nomen nullum saltem generale sit impositum, non immerito quis argumentari possit, eam rem in vera rerum natura prorsus non reperiri, sed falsam commentitiamque esse.* Quo sic constituto rursus ita dicimus, & constituimus, esse tantum quatuor rerum genera, eo quod sunt tantum quatuor genera nominum, ut singulis nominum

gene-

generibus ſingula rerum genera reſpondeant, nam quemadmodum ſupra docuimus, omnia quæcunq; ſunt in tota rerum natura & in hac immenſa mundi univerſitate primo diviſa, ſunt aut res naturaliter per ſe ſtantes & non in alio exiſtentes, ut ſubſtantiæ, aut res in alio ſemper exiſtentes, nunquam per ſe ſtantes, ut qualitates omnes, & accidentia: Et rurſus omnes tam ſubſtantiæ quam qualitates ſubdiviſæ ſunt aut res ſingulares & unæ per ſe, non multæ ac plures ſimul comprehenſæ, & ſubſtantiæ & qualitates individuæ, hoc eſt, ſingularia omnia generum & ſpecierum, & generaliter omnia tota quæ dicuntur continua ſingillatim accepta, aut multitudinis rerum ſingularium, non per ſe ac ſingillatim, ut illæ ſuperiores, ſed ſimul & univerſe aſſumptarum, qualia ſunt genera ſingulorum & ſpecies generum, & omnino omnia tota quæ nominibus collectivis ſignificantur, & communiter appellantur diſcreta, ut infra in Capite de totis & de ſpecie, ſumus probaturi. Atq; hoc modo quot nominum totidem etiam rerum genera eſſe dicimus, & quemadmodum quod non eſt nec ſubſtantivum, nec adjectivum, nec proprium, nec appellativum, id inter nomina numerari, & nominis appellationem habere nullo modo poteſt, ſic quoq; affirmamus, quod non eſt in uno aliquo horum quatuor generum, hoc eſt, quod non eſt neq; ſubſtantia, neq; qualitas, neq; res ſingularis, neq; multitudo rerum ſingularium, id in vera rerum natura prorſus non inveniri, ſed eſſe omnino falſum & commentitium: eodem planè modo quo Centauri, & Chimeræ, & cætera hujuſmodi monſtra atq; figmenta Poëtarum. Quorum ſimilia atq; etiam abſurdiora ſunt ea portenta, quæ à fanaticis Philoſophaſtrorum capitibus fuerunt excogitata & ab eiſdem appellata partim genera & ſpecies, partim ſecundæ ſubſtantiæ & ſecundæ intentiones, partim univerſalia & prædicabilia, partim aliis quibuſdam inauditis & pluſquam barbaris nominibus. Quæ omnia nos in hoc Capite & aliquot aliis ſequentibus non aliter quàm Hercules Hydram rationibus & argumentis quaſi ferro & flamma domare ac prorſus extinguere aggredimur. Sic igitur nos tot genera rerum & non plura nec pauciora conſtituimus, & generalem omnium rerum diviſionem ita facimus, ut in primo loco collocemus ſubſtantias, in ſecundo qualitates, in tertio res ſingulares ſingillatim ſumptas, in quarto univerſa ſive multitudines rerum ſingularium univerſe acceptarum: Atq; ut quemadmodum ſupra diximus *nomina ſubſtantiva ſubſtantiis, adjectiva qualitatibus, propria rebus ſingularibus, appellativa multitudinibus rerum ſingularium ſignificandis principaliter inſerviant, aliis vero quaſi ſecundario.* At Dialectici & Pſeudophiloſophi ſimiliter quidem ut nos dividentes omnia quæ ſunt, & quadripartitam rerum diviſionem facientes, in omnibus illius partibus nobiſcum concordant,

præter

præter quàm in ultima. Nam in primo loco ipsi quoque statuunt substantias, in secundo accidentia, quæ nos appellamus qualitates, in tertio singularia, atque hactenus omnia recte: Verum quod in quarto loco, ubi nos ponimus universa sive universas multitudines rerum singularium, ipsi collocant universalia sive naturas universales, hoc est, sua genera & suas species, longe à veris generibus & speciebus differentes, ut ostendemus. Hic vero turpissime & fœdissi-

(Imò Aristoteles & Veteres ejus interpretes idem rursus volunt, quod Nizolius: τὸ καθ' ὅλου enim quid aliud quam secundum totum? universale igitur ex mente Aristotelis, est totum collectum ex singularibus, seu universa singularia.)

me labuntur, una cum *Aristotele* suo istius divisionis vel inventore vel approbatore, & Severino Boethio ejusdem confirmatore in prima editione in Categorias Aristotelis: Ibi enim eam bis vel ter repetit, & multis verbis explicat. Sed & ipse & Aristoteles & omnes quotquot divisionem istam approbaverunt, vehementer sunt decepti, & in duplicem simul ac pernicioſum inciderũt errorem. Primum enim in dividendis rebus prætermiserunt multitudines rerum singularium universe acceptarum, hoc est, unum genus rerum quod est maxime notum ac manifestum, & à singularibus singillatim sumptis longe diversum, ut docebimus. Deinde loco illius veri generis prætermissi, substituerunt aliud quoddam genus rerum, quod prorsus nusquam reperitur in vera rerum natura, sed est omnino falsum & fabulosum, hoc est, universalia, sive, ut Græci dicunt, τὰ καθόλου, ut mox probabimus. Si prius tamen ostenderimus, unde dicatur nomen universalis, & quid quove modo significat, primum apud veteres latinos, deinde apud Dialecticos & Philosophastros, qui non solum in eo peccant, quod nusquam fere non loquuntur & nugantur de istis universalibus tanquam de rebus seriis & gravibus non falsi & inanibus, ut monstrabimus, sed etiam in eo quod abutuntur nomine universalis prorsus barbare & inusitate & contra omnium veterum latinorum authoritatem. Primum igitur dico vocem universalis, esse deductam & derivatam à vocabulo universi, & ab universo factum esse universale, sicut à transverso transversale sive transversarium. Quare ad cognoscendum quid proprie significet universale, nosse oportet, universi nomine quid proprie significetur. Nomen autem universi apud latinos recte loquentes semper dicitur de toto aliquo vel continuo vel discreto, ut vocant, & ita dicitur, ut omnes ejus de quo affirmatur, totius vel continui vel discreti partes designet, easque non singillatim & divisim, sed universe & collectim simul acceptas: Ut in toto continuo cum dicimus, universum mare, universam terram, universam provinciam, & hujusmodi locutionibus intelligimus, omnes partes maris, omnes partes terræ, omnes partes provinciæ, simul & semel comprehensas. In toto autem discreto sive in multitudine, cum ita proferimus, universum populum Romanorum, universum exercitum Germanorum, universam speciem hominum, universum genus animalium

malium, & similiter omnes harum aliarumq; hujusmodi multitudinũ sive totorum discretorum partes individuas & singulares uno eodemq; tempore simul sumtas significamus. Sic enim proprie apud latinos usurpatur nomen universi, ita tamen ut magis proprie dici videatur de multitudine & toto discreto quam de magnitudine & toto continuo: eo quod totum discretum partes habet inter se discretas & separatas, continuum vero conjunctas & ita inter se connexas & cohærentes ut unum non plura & indivisum non divisum esse appareat. Atq; apud Latinos universo sive universis opponuntur singula, hoc est omnia non collectim sed disiunctim sumpta & intellecta, ut apud Ciceronẽ de Natura Deorum, Quæ si singula vos forte non moveant, universa tamen inter se connexa & conjuncta movere debebunt: & ad Trebatium, Singula persequi non est necesse, universum studium meum & benevolentiam ad te defero. & in quam plurimis aliis locis: quos omnes, qui videre cupit, *is legat aut Observationes nostras in M. T. Ciceronem*, aut Thesaurum linguæ Latinæ Roberti Stephani Parisiensis, in Capitibus Universi & Singulorum, ubi quam plurima harũ vocum exempla non solum Ciceronis sed etiã aliorum Scriptorum diligenter collecta reperiet. Sic igitur apud Latinos accipitur & usurpatur nomen universi, ut semper multas alicujus totius partes non divisim & separatim sed collectim & conjunctim significet, & tanquam contrariũ semper opponatur voci singulorum: Quæ similiter quidem multorum significationem habet, sed disiunctim ac separatim captorum, ut si quis exempli causa loquens de viginti hominibus, ita dicat, singuli sibi tabernaculum constituerunt, is singulos sibi tabernaculum unum constituisse, & viginti tabernacula numero constructa esse significabit. Quod si ita proferat, Universi sibi tabernaculum ædificaverunt, is nihil aliud declarabit, nisi ab omnibus simul unum atq; idem tabernaculum sibi fuisse constructum. Atq; hoc modo & universis singula & singulis universa opponuntur, ut universa sint tanquam singula simul comprehensa, & singula unum universum in multas partes dispersum ac dissipatum. Ab hac igitur voce universi ita significante, ut diximus, ducitur & derivatur nomen universalis, de quo *Quintilianus libro secundo capite, Quis modus in Arte*, ita scribit, *Propter quæ mihi semper mos fuit, quam minime alligare me ad præcepta, quæ καθολικὰ vocant, id est ut dicamus, quomodo possumus, universalia vel perpetualia.* Hæc Quintilianus, ex cujus verbis declaratur *latinos hâc voce universalis uti solere, cum aliquid ad universos, hoc est, ad omnes simul pertinens significare volunt*, ut cum dicimus, calorem universalem, pestilentiam universalem, bellum universale, eo quod hæc aliquibus universis & simul omnibus eodem tempore sunt communia &

tanquam

tanquam generalia. Qua in significatione Varro de lingua latina, dixit, causam universalem, Author ad Herennium, rationem universalem. Idem Quintilianus, vocem universalem, & quæstionem universalem. Quibus au-

(Recte igitur dicitur : Nomina esse Universalia, non res.)

thoritatibus patet, hoc quod est, esse universale, proprie semper tribui aut rebus quæ sunt in alio, aut verbis quæ dicuntur de alio. Rebus quæ sunt in alio hoc modo, ut si bellum, exempli gratia, sit in tota provincia, intelligere debemus tam bellum quam provinciam habere partes, & singulas belli partes singulis provinciæ partibus attributas esse, non universas belli partes singulis provinciæ partibus contineri, nec singulas provinciæ partes ab universis belli partibus esse occupatas, quorum neutrum fieri potest. Quomodo enim universæ belli partes simul acceptæ sint in una & eadem parte provinciæ? aut una sola provinciæ pars omnes belli partes capiat simul comprehensas? profecto utrunq; horũ est ex numero eorum, quæ fieri nullo pacto queunt. Quare cum dicimus bellum universale toti provinciæ necessario intelligere debemus singulas belli partes in singulis provinciæ partibus esse sitas, non universas in singulis neq; singulas in universis, Et eodem modo omnes aliæ res, quæ universaliter alteri adesse affirmantur. Verbis vero quæ dicuntur de altero, tribuitur universale, cum ita dicitur, exempli causa, animal est vox universalis, eo quod est nomen appellativum simplex, & ut docuimus supra in Capite quarto, in multis enuntiationibus tanquam partibus suis attribuitur multis suppositis, sic ut singulæ enuntiationes singulis suppositis aptentur, hoc modo, homo est animal, bos est animal, leo est animal, Hoc enim modo vox animalis proprie & singulariter accepta, est universalis & in rebus enuntiatis tria significat. Quod si etiam centies aut millies eodem, quo dixi, modo enũtiaretur, centum & mille posset significare, nam in una tantum enuntiatione, eodem modo singulariter & proprie accepta non nisi unius alicujus significationem habere potest, ut superiore Capite docui: neq solum hoc quod dico in voce animalis verum est, sed etiam in omnibus aliis simplicibus appellativis in singulari numero positis. Hoc igitur modo nomẽ universalis apud Latinos veteres dicitur & de rebus quæ sunt in alio, & de verbis quæ dicuntur de alio, & de nulla alia re præterea nec alio modo vere & latine dici potest. Apud Dialecticos vero & Philosophastros, communiter longe aliam habet significationem, quæ à nullo unquam latinorum veterum, quod sciam, nec usurpata fuit nec audita, siquidem apud eos Universalis nomine significatur & intelligitur natura quædam, ut ipsi dicunt, per essentiam in se quidem una sed per communicabilitatem vel participationem communis pluribus, quæ & per abstractionem intellectus nostri fiat è multis, & per existentiam sit in multis, &

per prædicationem dicatur de multis. Appellatur autem ab eisdem istud universale, tum genus, ut animal: tum species ut homo: tum differentia ut rationale: tum proprium ut risibile: tum accidens ut calor & frigus, ut in summa sint quinque universalia, genus, species, differentia, proprium & accidens. Ac tale quidem est Philosophastrorum universale, hoc est, magis multiplex magisque multiforme, quam dicitur fuisse Chimera illa poetica à Bellorophonte domita, aut Geryon ille tricorpor, quem Hercules interfeciſſe traditur, illa enim erant monstra tantummodo triplicia, hoc est quincuplex. Definiunt autem istud portentum, qualeidcunque sit, hoc modo, ut dicant, Universale id esse quod unum existens per essentiam uno eodemque tempore totum & integrum communicatur multis & est in multis & dicitur de multis. Atque ita putant animal, exempli gratia, esse unum genus, quod eo modo communicetur & sit in homine, bove, & leone, cæterisque speciebus, quodque de eisdem dicatur & prædicetur, & hominem esse unam speciem, quæ similiter communicetur & sit in Socrate, verbi causa, Platone & Aristotele, & cæteris individuis, quæque dicatur & prædicetur de eisdem. Eodemque modo sentiunt de reliquis universalibus suis. Et quanquam apud Dialecticos, ut dixi, sint *quinque universalia*, tamen duo ex eis apud illos, sunt

(Propriè duo tantùm sunt Universalia genus & species; reliqua tria, quæ adjectiva sunt, *prædicabilia* sunt, *universalia* non sunt. Rationale non est universale, sed Ens rationale est universale.)

maxime celebrata, genus & species, atque ideo ab eisdem multis & ambitiosis insignita nominibus. Namque ut in eisdem generis & speciei exemplis permaneam, homo apud eos appellatur, tum species hominis, tum natura hominis, tum species specialissima, tũ homo communis, tũ homo universalis, t homo specificus, tũ ut Porphyrius græce loquitur, κοινὸς καὶ εἰδικὸς ἄνθρωπος. Animal vero dicitur, tũ genus animalis, tũ natura animalis, tum genus subalternũ, tũ animal cõmune, tũ animal genericum, tũ animal universale, tum ut Aristoteles græce nuncupat, ζῶον καθόλου, & aliis quibusdam inauditis barbarisque nominibus. Neque solum habent, ut dixi, species specialissimas, & genera subalterna, sed etiam species subalternas & genera generalissima, ut in eorum arbore prædicamentali, quam vocant, manifeste licet videre. In summa ista genera & species, & cætera, quæ dicta sunt, generaliter omnia ex ea parte quatenus putantur esse in rebus, appellantur, ut dixi, universalia sive naturæ universales, ex ea vero parte quatenus existimantur dici & prædicari de multis, aliud habent nomen à recentioribus & barbaris latinis inditum. Nuncupantur enim prædicabilia videlicet à prædicando, hoc est, dicendo, nam prædicari & dici apud eos idem est, apud Græcos vero communiter vocantur, πέντε φωναί, hoc est, quinque voces, atque hanc ob causam, fere omnes Græci interpretes horum universalium libros suos inscripserunt, περὶ πέντε φωνῶν. Generationem autem & procreationem horum universalium

per

per intellectus abstractionē hoc modo fieri dicunt. Intellectus noster inquiūt primo cogitans, exempli causa, Socratem, Platonem, Aristotelem, & reliquos singulares homines ex illis licet inter se dissimilibus ita cogitatis colligit sibi quandam humanitatis similitudinem, quæ in animo retenta veraciterq; perspecta, ut dicit Boethius, est species hominis. Deinde rursus idem intellectus noster altius ascendens & considerationem convertens ad hominem, bovem, leonem, cæteraſque hujusmodi species ex illis licet inter se differentibus ita consideratis, effingit sibi alteram similitudinem, quæ non nisi in ipsis speciebus specierumq; individuis esse potest, & proprie appellatur genus animalis. Eodemq; modo per abstractionem intellectus nostri ab aliis singularibus & speciebus effici & quasi procreari putant omnia alia universalia : De quibus in summa ita sentiunt authore Boethio, ut dicant, ea esse prorsus incorporea & immaterialia & hanc ob causam mortis interituq; expertia, & reperiri non solum in incorporeis sed etiam in corporeis sensibilibusq; naturis, percipi autem & intelligi præter corpora & sensibilia ab intellectu nostro tantum, utpote immaterialia ab immateriali Nam sensus nostros materiales ad universalium immaterialium cognitionem nullo modo posse pertingere. Nec desunt etiam qui dicant universale esse totum quoddam, ac tria totorum genera constituant, unum quod sit, ut inquit Eustratius super primo Ethicorum Aristotelis, πρὸ μερῶν, hoc est, ante partes : alterum, ἐκ μερῶν, hoc est, ex partibus: tertium, ἐν μέρεσι, hoc est, in partibus, quorum totorum exempla hæc ab illis traduntur. Illius quod est ante partes, Ideæ Platonis : Illius quod est ex partibus, totum omne tam continuum quam discretum: Illius quod est in partibus, universale hoc de quo loquimur Aristotelis & Peripateticorum. Atque hæc ferè summatim sunt ea quæ de universalibus à Dialecticis tradita reperiuntur. Quod si forte quispiam de eis plura scire cupit, is legat ex antiquioribus *Boethium* inter initia secundæ editionis in Porphyrium, ex recentioribus vero *Rodulphum Agricolam*, in libello de universalibus. Quorum uterq; conatus est, quàm clarissime & subtilissime potuit primum explicare atq; exprimere vim & naturam & proprietatem univetsalium : licet frustra, quia quod non vere est, nunquam vere potest explicari. Deinde etiam defendere ac tueri universalia contra eos, qui vel ea negant, vel de eis dubitant. Sed in ista sua defensione incassum laboraverunt, & oleum, ut dicitur, operamq; perdiderunt. Nos enim universalia sine ulla dubitatione falsa & cōmentitia & nullam ad rem necessaria esse demonstrabimus, & omnibus illorum rationibus argumentisq; respondebimus, sic ut sperem post hac nunquam fore quenquam neq; tam audacem, neq; tum temerarium, qui universalium defensionem suscipiat,

piat, aut si suscipiet, qui nō ab omni posteritate tanquam stultissimus ineptissimusq; rideatur. Loquor autem de universalibus realibus, ut vocant, hoc est, quæ in rebus extra vocem ac mentem nostram consistere dicuntur, non de iis, quæ in vocibus & nominibus sunt. Nam nos quoq; una cum *Nominalibus* sine ulla dubitatione confitemur universalia in vocibus ac nominibus reperiri, & voces vere communes universalesq; esse, eo quo supra diximus modo. Sic igitur patet unde dicatur nomen universalis, & quid quove modo significet tam apud Latinos veteres, quam apud Dialecticos & Philosophastros, ex quibus quidam sunt qui ex sententia Aristotelis affirmant universalia vere non solum in vocibus & intellectibus, sed etiam in ipsis rebus extra vocem intellectumq; inveniri, ut Boethius, Albertus, Thomas, Scotus, & alii quam plurimi, qui omnes hanc ob causam in scholis appellantur, Reales: Alii vero contra atque hi ex ejusdem Aristotelis opinione asserunt & contendunt universalia extra vocem atq; intellectum nullo prorsus modo cōstare, sed tantum in solis vocibus nominibusq; existere, atque ideo ipsi quoq; vulgo ab re ipsa nuncupantur à quibusdam, Nominales, ab aliis verò, Terministæ: Quorum Author primus & inventor fuisse dicitur Ochamus quidā natione (ut opinor) Anglicus, unde etiam à nonnullis appellantur, Ochamistæ. Hanc igitur Ochamicam de universalibus opinionem, nos quoq; in toto hoc opere contra Dialecticos Reales secuturi sumus ac defensuri, non quidem tanquam Aristotelicam & Peripate-

(Imo vero horum in Aristotele vix vestigium ullum est nisi in singularibus, mente & vocibus.)

ticam, nam *Aristoteles* sine ulla dubitatione existimavit & posuit universalia realia, sed tanquam veram & communi omnium tam Græcorum quam Latinorum recte loquentium sermoni consentaneam. Esse enim universalia, nominū appellativorum revera propriumest, non rerum, nisi eo, quo supra dixi, modo, qui ab universalibus Dialecticis longe alienus est. Quibus tanquam fundamentis quibusdam totius futuræ disputationis nostræ jactis, nunc accedimus ad probandum universalia extra vocem & intellectum in rebus nec esse revera nec posse esse, & propterea Pseudophilosophos in quarto loco generalis divisionis suæ rerum non recte prætermisisse multitudines rerū singularium universe acceptarum, quæ veræ existunt, & loco earum plusquam stulte posuisse universalia sua sive naturas universales quæ prorsus nusquam sunt nisi falsæ & commentitiæ, & nullam aliā ad rem utiles nisi ad nugandum & garriendū. Quam quidem probationem primum ita proponimus, ut dicamus & sine ulla dubitatione affirmemus, ista Universalia realia, eo modo quo à Dialecticis intelliguntur & explicantur, primo propter eas causas, quæ ab ipsis proferuntur, non esse utilia nec necessaria, nec necessario ponenda, sed plane contra potius inutilia, supervacanea, & ex omni philosophia ejicienda. Deinde etiā

sima-

si maxime esset aliqua causa, qua poni debere viderentur universalia, tamen ea prorsus non esse in vera rerum natura, nec esse posse nisi falsa & commentitia. Tum rursus etiam si non solum esse possent, sed etiam revera essent, tamen non esse ponenda quinque numero, sed unum tantum, hoc est, genus, eo quod reliqua essent aut non vere universalia, ut species, aut certe in nomine ac natura generis inclusa, ut differentia, proprium, & accidens. Et postremo etiam si vere quinq; numero universalia esse concederentur, tamen ea à Pseudophilosophis fuisse male exposita, peius definita, & paulo minus quam tota falsa. Hæc inquam omnia nos ita proponimus & probare aggredimur, ab eo quod primo loco propositum est initium probationis nostræ capientes, hoc est, à causis, quibus universalia dicuntur esse necessaria, & necessario ponenda. Nam cum causæ illæ à nobis refutatæ erunt & sublatæ, tum facile cætera quoq; probabuntur esse falsa, nec difficile erit respondere ad omnia, quæ pro defensione universalium contra nos à Pseudophilosophis vel afferuntur, vel afferri posse putantur.

CAPUT SEPTIMUM.

Universalia realia nec propter scientias artesq; tradendas, nec propter syllogismos & cæteras argumentationes formandas, nec propter prædicationes superiorum de inferioribus faciendas necessario esse ponenda, contra Pseudophilosophos.

SED quibus tandem de causis Philosophastri isti moti & adducti excogitaverunt & introduxerunt universalia realia? Audite quæso Lectores veræ philosophiæ studiosissimi & veritatis amantissimi, audite inquam & diligenter attendite, res enim vestra hic agitur, & ea quidem res, qua nulla major neque dignior, quæ cognoscatur, nec adeo magis ad vos pertinens esse possit. Nam si universalia ista falsa sunt, ut nos dicimus, & probaturi sumus, continuo una cum universalibus *cadit penè tota Dialectica*,

(Hoc falsum est. Neq; enim minus Nominales quam cæteri, Dialectica Aristotelis usi sunt, & recte quidem. Nam etsi in nominibus saltem vera sint quæ vulgò rebus tribuebantur, salvares est; quando nominibus istis in explicandis rebus utimur.)

quæ in illis tanquam columnis fundata est, & simul cum Dialectica corruit etiam non parva ejus, quæ nunc in usu est, philosophiæ pars, & quod omnium

omnium peſſimum eſt, vos ipſi quicquid temporis & laboris in Dialectica & Metaphyſica inſumitis, id totum amittitis, & oleum ſimul operamq́; , ut dicitur, perditis, Audite inquam tertio pulchras & egregias cauſas, quibus iſti, ut ipſi dicunt, moti univerſalia introduxerunt, & pro introductis tanquam pro aris & focis pugnant. In ſumma aiunt, univerſalia eſſe neceſſaria & neceſſario fuiſſe introducta tribus potiſſimum de cauſis, quarum una eſt, propter ſcientias & artes & definitiones tradendas, altera propter demonſtrationes & ſyllogiſmos cæterasq́; generales argumentationes conformandas, tertia propter prædicationes generum de ſpeciebus & omnium ſuperiorum de ſuis inferioribus faciendas. Quorum trium nihil ſine univerſalibus fieri poſſe contendunt, atq; ideo univerſalia neceſſario ponenda cenſent. Ac quod ad primã cauſam attinet, ſic eam confirmãt, ut dicant, ſcientias & artes & definitiones tradi ac eſſe non de ſingularibus, quæ & quoniam numero ſunt infinita, nec cognoſci perfecte nec ſcientia comprehendi poſſunt, Quis enim, inquiunt, perfecte cognoſcat aut ſcientia comprehendat infinita? & quoniam aſſidue generãtur & corrumpuntur, minime ſunt idonea quæ doctrinas & diſciplinas de ſe traditas in perpetuum conſervent, quemadmodũ oporteret. Et propter has duas cauſas concludunt ſcientias & artes & definitiones non de ſingularibus tradi & eſſe, ſed de univerſalibus, quæ quoniam & in numero ſint finito ac determinato, & nullam corruptionem aut mortem patiantur, ut ipſi putant, idcirco hanc habent naturam ut & propter finitatem facile cognoſci ac ſciri, & propter immortalitatem æternitatemq́; ea, quæ de ſe traduntur ac ſunt, facile ſemper conſervare valeant. Atque hac brevi argumentatione putant ſibi ſatis confectum, ac concluſum, doctrinam ſcientiarum, artium, & definitionũ tradi & eſſe non de ſingularibus, quaſi infinitis, corruptibilibus & tẽporariis, ſed de univerſalibus tanquam finitis, incorruptibilibus & æternis, & propterea aut ſcientias & artes & definitiones in perpetuum nobis amittendas, aut univerſalia neceſſario, velimus, nolimus, ponenda, ut ipſi neſcio quo pacto ſtulte ac temere ſibi perſuaſerunt. At nos contra ex adverſa parte, omnia prorſus oppoſita ſtatuentes & Ariſtoteli ac Philoſopbaſtris reſpondentes breviter ita dicimus. Artes & ſcientias & definitiones tradi & eſſe non de univerſalibus realibus, quæ fictitia commentitiaq́ ſunt, & prorſus non reperiuntur in vera rerum natura, ſed de ſingularibus & individuis de quibus nemo, niſi plane ſtultus, dubitat quin vere ſint, & quamvis numero ſint infinita & corruptioni mortiq́; obnoxia, nihil tamen nec infinitatẽ nec mortalitatẽ eis obſtare, quo minus & facile cognoſci ac ſciri, & quæ de ſe traduntur, ac ſint, ſemper conſervare valeant. Quam ad rem probandam illud ante omnia non

ignorari

ignorari volumus, quod ad infinitatem singularium attinet, artes & scientias & definitiones tradi & esse de singularibus, id duobus modis capi atque intelligi posse, uno modo singillatim, hoc est, unum quodq; per se & separatim ab aliis, altero modo universe sive in universum, hoc est, omnia simul & semel comprehensa. Quod si singularia singillatim, hoc est, singula per se ac separatim accipiantur, ingenue fateor illa hoc modo esse infinita & nullo pacto cuncta cognosci ac sciri posse, & propterea minime idonea videri, de quibus sic acceptis ulla ars aut scientia aut definitio tradatur. Sed si eadem singularia non singillatim sed universe vel in universum, hoc est, omnia simul ac semel capiantur, hoc altero modo dico & affirmo artes & scientias & definitiones de singularibus percommode tradi & esse posse, nec infinitatem eis quicquam obstare, ut probabimus, quominus cognosci possint ac sciri. Atque ita distinguendo de acceptione singularium & ponendo in summa tantum duos veros considerandi rerum modos, paucis verbis labefactatur prima ratio Philosophastrorum, quæ ad infinitatem singularium pertinet. Nam tertius ille considerandarum rerum modus, qui à Philosophastris præter illos duos ponitur, & ab eisdem, considerare rem universaliter, appellatur, prorsus est falsus, ut patebit infra in Capite de Comprehensione & Abstractione. Quod autem spectat ad corruptibilitatem mortalitatemque eorum, rursus distinguimus & ita dicimus, singularia esse corruptibilia vel incorruptibilia, id similiter duobus modis intelligi posse: primo modo, per essentiam & naturam singularem, & hoc modo iterum fateor omnia singularia vere esse corruptibilia & minime idonea, quæ ullam doctrinam de se traditam semper custodiant: *altero modo per continuam*

(Imo verò etsi non regenerarentur homines, sed interiret plane humanum genus, tamen multa de genere humano vere dici possent, maneret enim vera hæc propositio: *Si quis datur homo*, (tametsi nunc nullus detur) *necesse est, ut sit animal.*)

successionem & perpetuā quasi regenerationem singularium, & hoc secundo modo nego singularia esse corruptioni mortiq; obnoxia. Nam & si non fuerunt, sunt & erunt semper singulares homines, & singularia animalia, tamen semper fuit, est, & erit, & genus hominum & genus animalium, quod ad conservādas semper scientias & artes de singularibus traditas satis est. Artes enim & scientiæ nō de singularibus separatim & seorsum acceptis, sed de generibus universis, hoc est, non de singulis generū, sed de generibus singulorū traduntur & sunt. Sic igitur ostenso, quomodo singularia & tanquam non infinita cognosci, & tanquam non corruptibilia semper durare possint, & præterea quomodo artes & scientiæ de eis tradi & esse queant, nunc incipio respondere Dialecticis ac Metaphysicis cæterisq; Philosophastris ad ea quæ pro defensione suorum universalium afferre solent. Ac primum ei, quod Aristoteles crasse nimis & imperite ita quærit in secundo τῶν μετὰ τὰ Φυσικά. Si nihil est præter singularia, nempe ut ipse dicere vult, infinita, corruptibilia & con-

tingentia, & nulla existant universalia, videlicet finita, incorruptibilia & necessaria, quomodo & de quibus tradentur & erunt artes & scientiæ? respondeo Tibi domine Aristoteles, etiam si nulla erunt universalia stulta & inepta, ut vere non sunt, tamen artes & scientiæ & definitiones tradentur & erunt de singularibus & individuis, ut dixi, non per naturam propriam & privatam, sed per communem & perpetuam successionem æternis, nec de omnibus singillatim & seorsum, sed in universum vel universe, hoc est, simul & semel ac-

(Non sic effugerit, nam si singulorum seu singularium infinitus est numerus, sequitur nec universe seu simul ac semel accipi posse. Totum enim infinitum est, cujus infinitæ sunt partes. Quare si scientia est de universo genere, & universum genus est totum collectum ex omnibus singularibus, cum omnia singularia simul sint infinita, vel saltem indefinita, necesse est scientiam de re quadam infinita aut indefinita esse, & ita de re incomprehensibili. Nam si veritas hujus propositionis, quod ter tria sint novem à collectione omnium singularium seu inductione pendet, nunquam certò sciri potest, antequam omnia singularia sint explorata; quod est infinitum. Necesse est igitur, ut aut nulla certa scientia haberi possit, (nam argumentum à multis exploratis ad reliqua inexplorata ad scientiam parandam non sufficit, etsi sufficiat nonnunquam ad Praxin) aut falsum sit universalia & scientiam à collectione singularium seu inductione pendere.)

ceptis. Quo modo accepta *nec sic infinita* sunt, ut non facile cognosci ac sciri, nec sic corrumpuntur & intereunt, ut non perpetuo durare & ea, quæ de se traduntur, conservare possint, Atq; ita responsum sit rudissimæ illi ac stultissimæ Aristotelis inquisitioni. Sed fortassis aliqui ex maxima Philosophastrorum & Aristotelis sectatorum turba hic mihi sese opponent, dicentes hoc nostrum, quod vocamus, universum & universe idem esse, quod suum universale & universaliter, habent enim magnam vocum similitudinem, & propterea non oppugnari ratione nostra suum universale & universaliter, sed potius defendi ac confirmari. At ego vicissim vobis respondeo domini Philosophastri, hæc esse inter se longe diversa. Nam vestrum universale fit per fictam illam & vanam, ut vos appellatis, intellectus abstractionem à singularibus, quam nos infra in Capite de falsa abstractione sumus refutaturi, tanquam plane mendacem & falsam. Nostrum vero universum efficitur per comprehensionem & acceptionem omnium cujusque generis singularium simul & semel, sine ulla intellectus à singularibus abstrahentis ope, sed solo intelligentiæ singularia ipsa comprehendentis auxilio. Qua de comprehensione & quid sit & quomodo fiat, dicemus infra & in hoc & in Capite de comprehensione, ubi etiam de falsitate abstractionis loquemur. Vestrum universale licet per naturam existat in singularibus, ut vos dicitis, tamen per intellectum est abstractum & separatum à singularibus, tanquam nubes quædam in aere pendens invisibilis, & in eo plane loco consistens, ubi sunt Ideæ Platonis, vel potius ubi Chimeræ atque Centauri Poetarum habitant. Nostrum universum & per naturam est in singularibus, & per intellectum non separatur à singularibus, non magis quam populus & exercitus cum intelliguntur à nobis, & omnino ipsum nihil aliud est, nisi ipsa singularia simul & semel per intellectum comprehensa, & quasi congregata non aliter quàm comprehenditur grex ovium & armentum boum, cum mente percipitur. Vestrum universale vos non solum ab intellectu solo fieri, sed etiam ab intellectu solo cognosci ac percipi vultis, ab exterioribus vero sensibus nequaquam. Nostrum universum licet ipsum quoq; ab intellectu quodammodo fiat, ita comprehendente, ut dixi, simul omnia singularia, & ab eodem cognoscatur

ſcatur intelligaturq', ut pote ab ipſo cõprehenſum, tamen percipitur & uſurpatur etiam à ſenſibus, tam exterioribus quàm interioribus, ſi non omnino at certe magna ex parte. Quis enim noſtrum, qui etſi non omnia, tamen aliqua videat & percipiat ſingularia generis animalium? generis arborum? generis herbarum? & aliorum quam plurimorum generum? certe nemo niſi plane fatuus & ineptus Philoſophaſter. Ad hæc veſtrum univerſale, ut vos docetis, prædicatur & dicitur de omnibus ſuis ſingularibus & inferioribus in recto caſu, ut cum ita dicitis, exempli gratia, homo eſt animal, & candor eſt color, falſo exiſtimantes & animal in priore, & colorem in poſteriore propoſitione eſſe genus. At noſtrum univerſum minime in recto caſu de ulla ſua parte prædicatur. Quis enim ferat, ſi quis ita dicat, vel homo eſt univerſum genus animalium? vel candor eſt univerſum genus colorum? certe nemo, non magis quam ſi diceret, unum civem eſſe univerſum populum, & unum militem eſſe univerſum exercitũ. Nã quod ajũt in illis propoſitionibus & animal & colorẽ, vere eſſe genera, & de homine ac candore tanquam de ſpeciebus ſuis in recto caſu prædicari, falſiſſimum eſt, ut partim ſupra monuimus, partim infra probabimus in Capite de genere, cum falſitatem illorum generum, & nullum totum de ſua parte in recto prædicari demonſtrabimus. Poſtremo & veſtrum univerſale & nomen univerſalis in ea ſignificatione quã vos illi tribuitis, nunquam fuerunt uſurpata aut cognita ab ullo latinorum veterum, quod ego quidem ſciam, ante Boethium vel non ita multo ante ætatem illius, ut opinor. Et propterea tam res, quam vos dicitis eſſe univerſalem, quàm nomen univerſalis

(Citat tamen ipſe ſupra pag. 42. Quintilianum univerſalis oc eutentem.)

apud Latinos recte loquentes ſunt nova, inuſitata *& barbara*. Noſtrum vero univerſum, hoc eſt, & res quæ eſt univerſa & nomen univerſi, ambo ab antiquis latinis non ſolum fuerunt cognita ſed etiam uſurpata & trita, & præſertim à Cicerone cæterisq; probatis Scriptoribus, quemadmodũ ſupra diximus & infra etiam dicemus: ut neq; de re quæ eſt univerſum, neq; de nomine univerſi quisquam nõ omnino ſtultus poſſit dubitare. His igitur de cauſis & aliis multis, quas ne longior ſim in re manifeſta, prætereo, nequaquam idem eſſe poſſunt veſtrum univerſale & noſtrum univerſum O Domini Philoſophaſtri. Nam de adverbiis, quæ ex eis formantur, hoc eſt, de univerſaliter & univerſe non dubitandum eſt, quin ipſa quoq; ſint longe diverſa, cum illa à quibus derivantur tantam habeant inter ſe diverſitatem. Univerſaliter enim à Dialecticis refertur ad prædicationem de omnibus & ſemper, ut cum dicunt, hominem univerſaliter prædicari de ſuis individuis, hoc eſt, de omnibus & omni tempore, cujus oppoſitum eſt particulariter. Univerſe autem ſimiliter ut univerſa non refertur ad prædicationem, ſed ad comprehenſionẽ omniũ ſingularium

simul ab intellectu factam, nec ad omnia tempora, sed ad omnia singularia simul & conjunctim percipienda, & opponitur ei quod est, singillatim, ut cum Cicero in Verrem ita inquit, Nam quid ego de cæteris civium Romanorum suppliciis singillatim potius quàm universe loquar? Omitto hic aliud etiam inter hæc duo adverbia discrimen, quod universe apud Scriptores latinos veteres sæpe usurpatum reperitur, universaliter vero fere nunquam legitur, nisi apud posteriores, cum latina lingua paulatim immutari, & in deterius labi cœpit: quo fit ut adverbium universaliter tanquam non satis latinum à quibusdam non ita libenter usurpetur. Sed rursus fortasse respondebunt Philosophastri, ut sunt imperiti, ac rerum etiam, quæ à pueris non ignorantur, prorsus ignari, & dicent hoc nostrum, universum & universe, esse res & vocabula vel nunquam apud veteres usurpata vel si usurpata fuerunt, nunquam tamen ad scientias artesque tradendas fuisse assumpta & accomodata. Quibus vicissim respondeo utrumq; horum esse falsissimum ac prorsus contrarium ei, quod vere in libris antiquorum tam Græcorum quam Latinorum reperitur. Nam doctissimi quiq; viri, cum de omnibus singularibus cujusq; generis simul & semel loqui volunt, puta de omnibus singularibus Græcis una, vel de omnibus singularibus hominibus communiter, vel de omnibus singularibus animalibus generaliter, & sic de omnibus aliis singularibus quorumcunque generum, vel affirmantes aliquid vel negantes, vel probantes vel improbantes, vel aliquid hujusmodi facientes, cũ inquam ita loqui volunt de omnibus alicujus generis singularibus, non necesse habent, ut Philosophastri nugantur, ab omnibus illius individuis singillatim acceptis abstrahere sibi ac fingere unũ universale, puta unũ Græcum universalem, ab omnibus singularibus Græcis, aut unum hominem universalẽ ab omnibus singularibus hominibus, aut unũ animal universale ab omnibus animalibus singularibus, de quo aliquid, ut dixi, affirment vel negent, probent vel improbent, ut Philosophastri plusquam stolide & fabulose faciendum esse somniant, sed omnes singulares Græcos, omnes singulares homines, omnia singularia animalia, simul & semel animo comprehendunt, & hoc modo de illis ita cõprehensis simul ac semel affirmant vel negant, probant vel improbant id quod volunt. Hæc enim omnia singularia hoc modo, ut dixi, comprehensa proprie sunt, non universale, nec natura universalis, nec genus universale, nec res universalis ut Pseudophilosophi garriunt, sed universum, vel natura universa, vel genus universum, vel res universa, ut doctissimi quique loquuntur & intelligunt. Atque in primis Cicero in secundo de Oratore libro, cum monet argumenta criminum & defensionũ revocanda esse ad genus & ad naturam universam, & ibidem cum ait, Revolvi

ad com-

ad communes rerum ac generum summas, & referri ad universi generis disputationem; & in tertio ejusdem operis, cum ita scribit, Loci qui de universa re tractari solent: Quibus in locis & alibi nusquam legitur apud Ciceronem nec genus universale, nec natura universalis, nec res universalis, cur ita? quia genus & natura & res in hujusmodi locutionibus nihil aliud sunt nisi multitudines quædam singularium, & tota quædam discreta, ut jam toties diximus, & infra etiam magis clare probabitur. Itaque quemadmodum non recte dicitur universalis populus, nec universalis exercitus, nec universalis multitudo, sed universus populus, universus exercitus, universa multitudo, sic etiam non recte usurpatur universale genus, sed universum genus, ut Cicero ait, Universum genus in species dividere: nec universalis natura sed universa natura, nec universalis res sed universa rea, accipiendo tamen semper genus proprie, naturam autem & rem non proprie pro una tantum re singulari, sed figurate pro multitudine singularium rerum universe, ut supra diximus, & infra etiam dicemus, acceptarum. Ex quibus apparet nomen universalis in ea significatione quam ei tribuunt Pseudophilosophi, esse inusitatum, novum & barbarum universi vero appellationem esse probam, latinam & à doctissimis quibusque viris usurpatam. Quod dixi de nomine universi idem dico de adverbio universe, quod Dialectici imperite ac barbare nimis converterunt in universaliter, cum nusquam in ea significatione apud probatos authores reperiatur. Loqui autem universe sive in universum de aliqua re, & differere de genere universo vel de re universa vel de natura universa apud latinos nihil aliud est, nisi loquendo & differendo tractare eam, quam Græci θέσιν vocant, Latini vero tum quæstionem infinitam tum propositum. Est enim Thesis sive quæstio infinita sive propositum, cum sine determinatione personarum, locorum vel temporum de omnibus singularibus alicujuspiam generis simul acceptis aliquid universe sive in universum probatur vel improbatur, ut Cicero facit in oratione pro Flacco, cum refutaturus testes Græcos adversæ partis ita inquit, At à testibus læditur, antequam dico à quibus, qua spe, qua re concitatis, & cætera, dicam de genere universo & de conditione omnium nostrum. Ibi enim Cicero dicturus contra testes Græcos Adversariorum, & probaturus eos esse mendaces ac tales, quibus credi non oporteret, antequam veniat ad dicendum de singulis separatim, pollicetur se dicturum primo de omnibus illis simul & conjunctim, & hoc est illud, quod ibi dicit, de genere universo, hoc est, de universa natione sive de universo genere Græcorum. Quo loquendi modo idem Cicero quoq; utitur in Partitionibus Oratoriis, cum loquens de testibus admonet modo dicendum esse de toto genere testium, quã

sit infirmum, modo de singulis testibus, si natura vani leves, & cætera : ex quibus duobus locis & aliis quam plurimis non solum apud Ciceronem sed etiam apud alios probatos scriptores manifeste licet intelligere, genus universum, naturam universam, rem universam, nihil aliud esse, ut ante dixi, nisi multitudinem aliquam singularium simul & semel acceptorum sive universum aliquod totum discretum ex multis singularibus individuisq; vere compositũ. Nam obsecro per deos immortales quid differt sive confirmes oratorio more omnes singulares homines alicujus nationis universe acceptos esse mendaces ac perjuros? id quòd facit Cicero de Græcis in ea, quam dixi, oratione : sive probes, exempli gratia, omnia singularia animalia eodem modo accepta habere sensum tactus? id quòd Aristoteles & cæteri Philosophi faciunt: sive etiam demõstres omnia singularia triangula pari modo comprehẽsa habere tres angulos æquales duobus rectis? qui modus probandi apud Geometras & Mathematicos putatur efficacissimus, & ab Euclide passim usurpatur. Quidnam inquam differt quonam horum trium modorum aliquid confirmes & probes? profecto nihil, una enim quælibet harum probationum sive confirmationum sive demõstrationum fit atq; est de omnibus singularibus sui cujusq; generis simul & semel acceptis: nec refert, quòd ad acceptionem simul omnium singularium pertinet, quodnam genus rerum sit, sive civilium, sive naturalium, sive mathematicarum, sive etiam supernaturaliũ, modo constet ex singularibus & singularia omnia simul in probando vel improbando assumantur. Ad hunc igitur modum & de his generibus sive naturis sive rebus universis traduntur & sunt omnes scientiæ, artes & definitiones, sic ut ad nullam harum, quas dixi, rerum faciendam opus sit ullis Philosophastrorum universalibus realibus, aut ullâ abstractione eorum à singularibus præsertim falsa atq; mendaci, ut nos infra probabimus, sed satis superq; sint multitudines singularium eo, quo dixi, modo universe acceptorum. Nec quicquam impedit quo minus hæc fieri possint primo quòd singularia singillatim sumpta sint infinita, eo quod ut supra dixi, de eis non singillatim & uno quoq; per se sumptis, sed in universum sive universe per intellectum comprehensis & acceptis traduntur scientiæ & artes, Non aliter nec alio modo quàm una eademque lex scribitur non de singulis rebus sed universis, hoc est, de omnibus simul. Eodem enim modo doctissimi viri in tradendis scientiis quo legislatores in ferendis legibus mente atq; intellectu comprehendunt omnia singularia de quibus aut scientia datur, aut lex scribitur, & in summa non minus scientiæ quã leges traduntur & sunt de universis. Deinde nihil obstat artibus & scientiis de singularibus tradendis, quòd ipsa singularia assidue generari & corrumpi videmus, nam & si singula

cor-

corruptionem interitumq; patiuntur, nunquam tamen tolluntur & intereunt universa, & hoc modo licet deficiant quotidie singuli homines, exempli causa, & singula animalia, non propterea tamen unquã moritur ac tollitur universum genus hominum nec universum genus animalium, sed semper & in æternum tempus durat atq; permanet, quod ad perpetuam custodiam & conservationẽ artium & scientiarum de se traditarum satis superque est. Hæc enim traduntur ut dixi, non de singulis generum, sed de generibus singulorum. Quæ quidem genera debent intelligi esse composita ex singularibus non solum quæ in præsentia sunt, sed etiam, quæ antea fuerint, & posthac futura sint, ut infra dicemus in Capite de genere, docentes nomen generis non solum ad præsentia sed etiam ad præterita & futura singularia, ex quibus omne genus constitutum est, referri debere. Atq; hanc ob causam talia genera sine ulla dubitatione sunt

(imò verò cessat ea successio interitu mundi.)

immortalia & æterna, non per naturam singularem & privatam, sed *per communem & perpetuam singularium successionem*. Unde Virgilius Poeta sapientissimus in quarto Georgicorum libro de Apibus loquens, ita inquit,

At genus immortale manet, multosque per annos
Stat fortuna domus, & avi numerantur avorum.

Quibus Poetæ verbis vel reclamantibus & blaterantibus Philosophastris cõprobatur & quasi quadam lege sancitur immortalitas & perpetuitas generis apum, cujus curandi & custodiendi ipse in eo libro artem scietiamq; tradebat. Nam quis, nisi stultus & fatuus Dialecticus, dicat Virgilium eo in loco præcepta tradere de nescio quo plusquã mõstroso & prodigioso universali, quod in rerum natura non reperitur? non de universo genere apum, quod nõ solum vere est, ut omnes videmus, sed etiã, ut ipsemet poeta testatur, immortale sempiternumq; est & si genus apũ tale est, ut certe est, quis dubitare potest, quin de genere animalium & de aliis generibus idem sit dicẽdum? hoc est, quin omnia genera per cõtinuã singularium successionẽ sint incorruptibia & immortalia? Præsertim cũ hoc idẽ quoq; confirmet Galenus in xv. de Usu partiũ, statim inter initia manifeste affirmans, naturãquia nõ potuit opificia sua singularia facere immortalia, eo quod ex rebus corruptibilibus cõposita essent, machinatam eis fuisse remedium & subsidium quòd potuit ad immortalitatem, hoc est, ut per continuam singularium successionem fierent immortalia. Itaq; Galenus tandem quasi concludens illum locum ita inquit, Naturæ vero opificium multa annorum millia jam stat, & in posterum stabit. Quod cum dixit Galenus, quid obtecro sibi aliud voluit, nisi hanc de qua loquimur generum immortalitatẽ per continuã successionẽ significare? profecto nihil aliud, atq; hinc toties apud eum illa, Γένους διαδοχὴ, γένους διαμονὴ, hoc est, generis successio & ge-

& generis duratio. Neq; ſolum Galenus, ſed etiam Ariſtoteles hanc eandem immortalitatem generum per continuam ſucceſſionem videtur agnoſcere, cum in quarto Τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ de genere loquens ita ſcribit, Ἐὰν ἡ γένεσις συνεχὴς τῶν τὸ εἶδος ἐχόντων τὸ αὐτὸ, οἷον λέγεται, ἕως ἂν ἀνθρώπων γένος ᾖ. Quo in loco Ariſtoteles, quamvis de genere peſſime ſentiat, ut in Capite de genere oſtendemus, tamen de immortalitate generis humani recte videtur ſenſiſſe, & generum immortalitatem eo quo nos dicimus, modo confirmare. Quibus authoritatibus & argumentis hactenus recitatis concludimus totum hunc locum, contra Dialecticos & Pſeudophiloſophos, hoc eſt, omnia cujuſcunq; generis ſingularia, ſi non ſingillatim at certe univerſe ſive in univerſum cognoſci atq; intelligi poſſe, quòd ſatis eſt ad artes ſcientiaſq; & definitiones de eis tradendas: & præterea nec corruptionem nec mortalitatem ſingularium ullo impedimento eſſe, quominus genera ex ſingularibus compoſita per continuam ſucceſſionem poſſint eſſe æterna, Quòd ipſum quoq; ſufficit ad conſervanda ea, quæ de ſe traduntur & ſunt. Cui concluſioni etiam hoc addo, in his inferioribus exceptis animis noſtris nullam omnio immortalitatem aut æternitatem reperiri, niſi per continuam ſingularium ſucceſſionem, & perpetuam generum durationem. Ex quo illud quoq; intelligi volo quæcũq; nugantur Pſeudophiloſophi de immortalitate & neceſſitate ſuorum univerſalium ſuarumq; artium & ſcientiarum, ea omnia eſſe vana & falſa, niſi immortalitatem & neceſſitatem ad hanc quam dicimus, continuam ſingularium ſucceſſionem referant. *Nam quòd Ariſtoteles in Ethicis & alibi ita dividit habitus animi, ut dicat alios eſſe de rebus, quæ nunquam aliter atque ſunt, ſeſe habere poſſunt, ut ſcientiam, & ſapientiam, alios vero de rebus, quæ ſubinde alio atque alio modo ſeſe habent, ut artem & prudentiam, prorſus falſa & monſtroſa eſt diviſio.* Iterum enim ac ſæpius dico & repeto in his inferioribus nihil eſſe quod non ſubinde aliter atque aliter ſeſe habere poſſit, quodque non ſit mutabile & corruptibile, præter id quòd dixi, & eo quo docui, modo. Atque hoc pacto rejecta & exploſa eſt prima illa cauſa, propter quam dicebamus, Philoſophaſtros fuiſſe adductos ut univerſalia realia eſſe vera & neceſſario ponenda arbitrarentur. Nunc accedimus ad ſecundam cauſam, quæ pertinet ad demonſtrationes & ſyllogiſmos cæteraſq; argumentationes, in quibus ſicut ipſi dicunt, aut ab univerſali ad particulare ut in ſyllogiſmo, aut à particulari ad univerſale fit progreſſus, ut in inductione: Similiter enim nihil horum ſine univerſalibus fieri poſſe affirmant, atq; ideo univerſalia neceſſario ponenda contendunt, ne ſcilicet omnibus demonſtrationibus, ſyllogiſmis & argumentationibus neceſſariis omnino privati remaneamus. O præclaram & egregiam cauſam,

cauſam, propter quam univerſalia nullo pacto ſint neganda ſed confitenda & totis viribus confirmanda. Magnum enim videlicet nobis imminet periculum magnaque jactura niſi univerſalia retineamus. Sed ego vos ô Dialectici, ô Metaphyſici, ô Philoſophaſtri, vos inquã nunc & nos omnes ſimul hoc timore atque hoc periculo liberabo, eodem plane modo, quo ſupra etiam docui nihil neque ſcientiis neq; artibus neq; definitionibus timendum, etiam ſi nulla ſint neq; ponantur univerſalia. Non enim de univerſalibus ſed de univerſis fiunt demonſtrationes & ſyllogiſmi, nec quemadmodum vos dicitis in argumentãdo fit progreſſus aut per ſyllogiſmum ab univerſalibus ad particularia ſed ab univerſis ad ſingula, aut per inductionem à particularibus ad univerſalia ſed à ſingulis ad univerſa. Multum enim differunt veſtra univerſalia & particularia, à noſtris univerſis & ſingulis. Nam, ut etiam ante dixi, vos univerſalia veſtra per abſtractionem fieri dicitis, & quiddam aliud eſſe vultis quam omnia ſua ſingularia ſimul collecta. Nos noſtra univerſa ita ut ſunt à natura facta ſine ulla abſtractione nihil aliud eſſe dicimus, niſi omnia ſingularia unius cujuslibet generis ſimul comprehenſa. Item vos veſtrum univerſale totum quidem quoddam eſſe ponitis, ſed quodvis potius aliud quam continuum aut diſcretum. *Nos noſtrum univerſum nihil aliud eſſe volumus niſi totum quoddam ex numero continuorum vel diſcretorum.* Quod autem pertinet ad ve-

(Jcti genus eſſe putant neque continuum, neque diſcretum, ſed disjunctum. Nam qui hominem ſeu genus promittit, non promittit omnes homines ſuos, ſed aut Stichum, aut Davum, &c. non & Stichum & Davum.)

ſtra particularia, ea quidem poſſunt eſſe ſingula, ſed non ita particularia quemadmodum ſingula ſemper intelliguntur eſſe ſeparata, aliud eſt enim dicere de particularibus, aliud de ſingulis. Quibus ita explicatis dico nec in demonſtrationibus, nec in ſyllogiſmis, nec in inductionibus faciendis opus eſſe ullis univerſalibus realibus: ut enim in omni ſyllogiſmo proceditur ab univerſo, hoc eſt, à toto continuo vel diſcreto, ad aliquam vel aliquas partes continuas vel diſcretas, ſic in omni inductione fit progreſſus à ſingulis partibus continuis vel diſcretis ad totum continuum vel diſcretum. Exemplum ſyllogiſmi à toto continuo ad unam partem ſuam, hoc eſt, Totam domum aſportandam conduxiſti, fundamentum eſt pars domus, ergo fundamentum etiam aſportare debes. A toto autem diſcreto ad partem ſuam hoc: Omne ſentiens eſt animal, ſpongia ſentit, ergo ſpongia animal eſt. Exemplum vero inductionis à partibus continui ad totum continuum hoc eſt: Tectum corruit, parietes ſunt labefactati, fundamenta computruerunt, ergo tota domus corrupta eſt. A partibus totius diſcreti ad totum diſcretum hoc: Singularia animalia rationis expertia moriuntur, nec eſt ullus homo quamvis ratione & ſapientia præditus, qui mortem poſſit effugere, ergo omnia animalia morti ſunt obnoxia. Eodemq; modo dicimus & affirmamus fieri omnes ſyllogiſmos omneſq; inductiones, hoc

eſt, procedendo, ut dixi in ſyllogiſmis, à toto continuo vel diſcreto ad partes continui vel diſcreti, in inductionibus verò à partibus continui vel diſcreti ad totum continuũ vel diſcretũ, & intelligendo per, totum, ſemper aliquod univerſum, hoc eſt, omnes ſimul partes alicujus totius vel continui vel quaſi continui, vel diſcreti vel quaſi diſcreti, ut docebimus infra in Capite de totis. Ad extremum verò antequam ex hoc loco diſcedo, illud quoq; nõ ignorari volo, Neceſſitatem concludendi & vim probandi in Syllogiſmis recte factis, eſſe ac quaſi manare, non à duobus illis principiis, quæ à Dialecticis vocantur, dici de omni & dici de nullo, hoc eſt, ut verba illa ſignificant, non ab eo quod genus aliquod aut vox generis dicatur de omnibus vel de nullis ſubjectis Ut exempli cauſa in ſyllogiſmis affirmativis ab eo quod animal ſive vox animalis dicatur de omni ſpecie vel individuo generis animalium, hoc modo, Omnis homo eſt animal, Socrates eſt homo, ergo Socrates eſt animal. Item in ſyllogiſmis negativis nõ ab eo quod homo vel vox hominis dicatur de nulla ſpecie vel individuo generis herbarum, ad hunc modũ. Nulla herba eſt homo, Mandragoras eſt herba, ergo Mandragoras nõ eſt homo. Non inquam à duobus his quæ dixi, principiis, hoc eſt, non ab eo quod eſt dici de omni & dici de nullo, ſyllogiſmi recte facti habent vim ſuam concludendi & probandi neceſſario, ſed ab eo, quod una vel plures partes alicujus totius diſcreti vel continui, ſunt vel non ſunt, continentur vel nõ continentur, in toto aliquo diſcreto vel cõtinuo atq; adeo ab eo, quod genera minora ſemper ſunt vel nõ ſunt, continentur vel non continentur in aliis quibusdam majoribus generibus. Intelligendo tamen ſemper per tota diſcreta non ſolum alias multitudines, ut populum & exercitum, gregem & armentum, ſed etiam genera ipſa rerum tam naturalium quam artificialium, tam ſubſtantialium quam accidentalium, quæ nihil aliud ſunt, niſi multitudines quædam ſingulariũ, ut ſupra dixi, qualia ſunt genus animamalium, genus veſtimentotum, genus colorum, genus frigidorum: argumentando in ſyllogiſmis à toto diſcreto ad partem diſcretam affirmative, ad hunc modum, omne genus hominum eſt animal ſive in genere animalium, Socrates eſt homo ſive in genere hominum, ergo Socrates eſt animal ſive in genere animalium. Negative hoc modo. Nullum unum carens ſenſu ſive nullum ex genere ſenſu carentium eſt animal ſive in genere animalium, Spongia caret ſenſu ſive eſt in genere eorum, quæ ſenſu carent, ergo ſpongia non eſt animal, ſive in genere animalium. In ſyllogiſmis autem à toto continuo ad partẽ continuã affirmative, hoc modo. Totus homo ſive omnes partes hominis continuæ ſunt obnoxiæ morbis, cor eſt una pars hominis continua, ergo cor eſt obnoxium morbis. Negative vero ſic. Nullæ partes corporis animalium ſunt

inægro-

inægrotabiles, ossa sunt partes corporis animalium, ergo ossa non sunt inægrotabilia. Eodemq; modo argumentando in cæteris omnibus totis tam continuis quàm discretis, tàm affirmative quàm negative, sic ut nulla sit nec esse possit argumentatio syllogistica, quæ non aut à toto discreto vel quasi discreto ad partem vel partes discretas vel quasi discretas, aut à toto continuo vel quasi continuo ad partem vel partes continuas vel quasi continuas procedat: Idq;, duobus modis, affirmative vel negative. Quid autem sit totum quasi discretum & quasi continuum, postea dicemus in Capite de totis. Atque ita ab eo quod talia illa continent vel non continent aliquam partem vel partes, omnes syllogismi vim suam concludendi & probandi necessario adipiscuntur, non ab eo quod est dici de omni vel dici de nullo, ut Pseudophilosophi nugantur. Non enim homo, exēpli gratia, necessario est animal, quia animal sive vox animalis dicatur de omni homine, sed contra potius animal sive vox animalis dicitur de omni homine, quia unus homo vere est unum animal, vel genus hominū vere est animalia sive continetur in genere animalium, hoc est, multitudo minor in multitudine majore: vel opposito modo, quia animal sive genus animalium continet hominem sive genus hominum, hoc est, multitudo major multitudinem minorem. Et in summa res non sunt quia voces dicantur de rebus, sed cōtra voces dicuntur de rebus, quia res sunt, juxta illud Aristotelis dicentis, non ex eo quod oratio sit vel non sit, res esse veras vel falsas, sed ex eo quod res sint vel non sint, orationem esse veram vel falsam. Ex quo concluditur falsum esse id quod Dialectici garriunt, Dici de omni & dici de nullo esse duo principia, quibus stabilitur & cōfirmatur vis ac necessitas omnium syllogismorum, cum potius contrarium sit verum, ex eo quod genera rerum continent vel non cōtinent aliquam vel aliquas partes, idcirco contingere ut voces generum dicantur de omni vel de nullo. Quis enim, nisi stultus Dialecticus, dicat idcirco hominem esse animal, quia animal sive vox animalis dicatur de homine? certe nemo, cum certum sit, animal sive vocem animalis dici de homine, quia homo est animal, hoc est, vocem dici de re, quia res est, non contra. Sed ut redeam unde discessi, sic dico & conludo hanc partem, nec in syllogismis nec in inductionibus nec in ullis argumētationibus faciendis opus esse ullis universalibus præsertim falsis, ut infra monstrabimus. Ex quibus patet hanc quoq; secundam causam ponendi universalia in rebus propter syllogismos & argumentationes, à Philosophastris falsò & inaniter fuisse excogitatam. Sed supereſt adhuc tertia & ultima causa, propter quam conantur mordicus retinere universalia realia. Quærunt enim, si homo non sit universale quoddam, quomodo dicetur de suis individuis? Item, si animal non sit universale aliquod,

quo pacto prædicabitur de ſuis ſpeciebus? poſtremo, ſi non ſint ulla genera univerſalia nec ullæ ſpecies univerſales, quâ ratione ſuperiora omnia prædicabuntur de ſuis inferioribus? atque hâc interrogatione putant, ſe neceſſario extorquere poſſe, ut, ſi non propter duas ſuperiores cauſas, ſaltem propter prædicationes ſuperiorum de inferioribus faciendas, univerſalia ſua ſibi eſſe concedantur. Sed nihil agunt & incaſſum laborant, cum iſta cauſa ponendi univerſalia, multo levior multoq; inanior ſit, quam duæ illæ ſuperiores, jam à nobis refutatæ. Homo enim, & animal, & cætera hujuſmodi prædicantur quidem & dicuntur de ſuis inferioribus, verum non quatenus res ſunt, & extra vocem mentemq; reperiuntur, ſed quatenus voces ſunt, & nomina, ut ita dicam, vocalia vel mentalia. Quare ad conſervandas prædicationes, nihil neceſſe eſt ponere univerſalia in rebus, ſive realia: ſed ſatis ſunt univerſalia in voce vel in mente, hoc eſt, voces, ut dixi vocales vel mentales, quemadmodum recte dicunt Nominales, vere affirmantes nihil proprie nec dici nec prædicari, niſi voces & nomina: quicquid enim dicitur vel prædicatur, ſine dubio vox & nomen eſt, non res vera & ſolida. Quod ut melius intelligatur, atque ut clarius cognoſcatur, quàm levi de cauſa Philoſophaſtri iſti introduxerunt univerſalia realia, paulo altius hujuſce erroris originem repetam. Principiò videbant homines, ut ſibi videntur, acutiſſimi, ut autem ego arbitror, non ſolum hebetiſſimi, ſed etiam ſtultiſſimi, videbant inquam, in arbore ſua prædicamentali, ut vocant, ſubſtantiæ in infimo loco, & quaſi ad radicem, poſita eſſe ſingularia, ſive individua. Quæ quoniam in nullo ſubjecto ſunt, ut ipſi aſſerunt, & de nullo ſubjecto dicuntur, idcirco primæ vocantur ſubſtantiæ: ut Socrates, Plato, & Ariſtoteles, & cæteri ſingulares homines: Deinde proximè ſuprà ſingularia eſſe hominem, bovem, leonem & reliquas ſpecies, quæ & ipſæ in nullo ſubjecto ſunt, utpotè ſubſtantiæ (harum enim propriũ eſt, ut ipſi volunt, in nullo ſubjecto eſſe) ſed de ſuis quæq; ſingularibus individuiſq; dicuntur, ut cum dicitur, exempli cauſa, Socrates eſt homo, hic bos eſt bos, ille leo eſt leo, & eodem modo aliæ ſpecies. Quæ cum ità eſſe viderent, & rationem afferre non poſſent, cur homo, cum unus & idem eſſe appareat, tamen totus & integer videatur & eſſe in multis, & dici de multis numero diſtinctis, hinc captaverunt occaſionem ponendi primum univerſale: hoc eſt, Hominẽ, quem vocant ſpeciem ſpecialiſſimam, & eodem modo bovem, leonem, & cæteras ſpecies: quas ad differentiam primarum, ſecundas ſubſtantias appellaverunt. Atq. hoc modo, propter ignorantiam nõ intelligendi, quomodo homo & aliæ ſpecies unæ eædemq; cum ſint, tamen totæ & integræ videantur, & eſſe in multis, & dici de multis, cœperunt introducere univerſalia, putantes & cre-

& credentes, eo vocabulo se satis declarare & exprimere naturam unam, quæ tota, ut dixi, & esse in multis, & dici de multis posset. Deinde progredientes in eadem arbore, ut sursum versum ascendentes, proxime supra hominem reperiebant animal, & ipsum quoque videbant similiter & esse in multis, & dici de multis, non solum individuis, ut dicendo Socrates est animal, Plato est animal, Aristoteles est animal, sed etiam omnibus individuorum speciebus, ut rursus ita dicendo, homo est animal, bos est animal, leo est animal. Quæ denuo ita esse cũ viderent, nec causam cur ita esset, assequi possent, coacti fuerunt existimare, animal illud esse quiddam commune, &, ut ipsi dicunt, communicabile multis, & ita introduxerunt secundum universale, hoc est, Animal, quod esset genus: & supra animal tertium, hoc est vivens: & supra vivens quartum, hoc est corpus: & supra corpus quintum, hoc est substantiam, quæ jam non amplius esset species, sed genus tantum: quod quoniam esset supremum, ut ipsi putant, & supra se nullum haberet genus, idcirco genus generalissimum fuit appellatum. Neque solum in substantia, sed etiam in cæteris prædicamentis suis eodem modo, eisdemq; de causis, nõ unum, sed plura universalia fuerunt introducta: & decem numero generalissima facta à Dialecticis, verentibus scilicet, ac pertimescentibus, si universalia sua non essent, ne & Socratem esse hominem, & hominem esse animal, & animal esse substantiam dicere & affirmare prohiberemur: & omnino si non ponerentur ista universalia, ne omnem superiorum de suis inferioribus prædicationem amitteremus. Quæ omnia nos breviter ostendemus nihil aliud esse, nisi meras quasdam Philosophastrorum ineptias & fatuitates. Nam principio quod putant, hominem in arbore sua prædicamentali esse primum universale reale & commune, eo quod videtur esse in multis & dici de multis suis singularibus, respondeo eos vehementer decipi & plusquam pueriliter errare, dum & res pro nominibus, & nomina pro rebus imperitissime simul & falsissime accipiunt: & omnino dum propter ingenii tarditatem, & bonarum literarum ignorantiam non distinguunt ea, quæ sunt distinguenda, sed ubiq; & res cum verbis, & verba cum rebus confundunt. Nam cum dicimus hominem, alterum duorum intelligamus necesse est, aut vocem hominis, aut rem, quæ est homo: nihil enim est medium, aut tertium: cum Scriptores omnes, tam Græci quam Latini recte loquentes in tradendis artibus & scientiis, inter hæc duo nihil medium statuant, asserentes omnem orationem constare, ex rebus & verbis. Sic enim Cicero in tertio de Oratore libro inquit, Nam cum omnis ex rebus atque verbis constat oratio, neq; verba sedem habere possunt si rem subtraxeris, neque res lumen si verba summoveris: & Ciceroni subscribens Quintilianus in tertio Oratoria-

rum Inſtitutionum ipſe quoq; ita ſcribit, Omnis oratio conſtat ex iis, quæ ſignificantur, & ex iis, quæ ſignificant, id eſt, ex rebus & verbis. Ex quorum duorum authoritate, & multorum aliorum veterum teſtimonio, tàm Græcorum quàm Latinorum, ſatis conſtat omnia, quæcunq; in oratione ſint ſine ulla dubitatione, aut res aut verba eſſe, & inter res & verba, nihil prorſus medium reperiri. Nam hominem in mente, & hominem in ſcripto, & cætera hujuſmodi de quibus Dialectici tam multa nugantur, Oratores, & optimi quique Scriptores, ad hominẽ in voce & ad verba referunt: & de illis tanquam de vocibus & verbis, ut ita dicam, mentalibus & ſcriptis loquuntur. Quorum veſtigia nos quoq; imitantes dicimus, & hominem, & omne quicquid in oratione ponitur, id neceſſario eſſe aut rem, aut vocem aliquam: & de eo, tanquam aut de re, aut de voce loquendum. Sunt enim voces ſignæ rerum, non ſolùm quæ ſunt in intellectu, ut rectè inquit Ariſtoteles, ſed etiam quæ ſunt in ſcripto. Quare ut redeam unde abii, cum dicimus hominem, ſi vocem & vocabulum hominis intelligimus, fateor unà cum Nominalibus, eam vocem eſſe communem & univerſalem, idq; non quocunq; modo, ſed tantùm hâc conditione, ſi multoties enuntietur. Nam, ut dixi ſupra, Capite quarto, nomina appellativa ſimplicia ſingularia proprie poſita & ſemel pronuntiata, non niſi unum ſignificant: ſed eadem quoq; ſi multoties repetantur, & diverſis ſuppoſitis accommodentur, continuò acquirunt quandam, ut ita dicam, univerſalitatem & habitudinem, ut de multis dicantur: Et hoc modo, intelligendo hominem pro voce hominis, concedo hominem eſſe univerſalem, ac dici & prædicari de omnibus ſuis inferioribus, quæ ſunt res ſingulares. Nam quemadmodum rerum, ut ſupra dixi, proprium eſt eſſe & exiſtere, ſic vocum ac verborum, dici ac prædicari. Res enim propriè ſunt & exiſtunt, non dicuntur neq; prædicantur, niſi fortè nominum & vocum ſuarum auxilio: ut ſi quis fortè exempli gratia, ita dicat, Cæſar dicitur abiſſe, Cæſar dicitur rediſſe, is non aliter loqui ſit intelligendus, quam ſi ita dicat, Cæſar voce profertur abiſſe, Cæſar verbis enuntiatur rediſſe. Itaque dici, aut, quod apud Dialecticos idem eſt, prædicari, non ad rem ipſam quæ voce ſignificatur, ſed ad vocem ſignificantem, aut ad vocis prolationem ſemper referri debet. Quo circa, ut idem ſæpius repetã, cum dicitur, homo, ſi vox hominis intelligatur, & eà ſæpius iteretur, fateor & cõcedo unà cum Nominalibus, hominem, hoc eſt, vocem hominis poſſe eſſe communem & univerſalem, non aliter, nec alio modo. Quod ſi dicendo hominem, non vox hominis, ſed res quæ verè eſt homo, intelligitur, ut homo extra vocem vivens & apparens, nullo pacto cõcedo, ſed apertè nego hominẽ eſſe aut poſſe eſſe communem, & univerſalem. Homo enim ut res eſt, propriè

unus

unus tantum ſingularisque eſt: & nec in nullo inferiore eſt, niſi in ſe ipſo, nec de ullo inferiore dicitur aut prædicatur. Nam quis unquam obſecro, niſi Dialecticus ſtultus, & ineptus dixit, ſe vidiſſe, aut aliquo ſenſu percepiſſe, hominem, ut res eſt, non ſolummodo communem & univerſalem eſſe, ſed etiam, ſi diis placet, dici & prædicari de aliquo, ac vocis nominisq; miniſterio fungi? Profecto nemo, cur ita? quia monſtrum, & portentum eſt longe majus & abſurdius, quam ſi quis dicat, bovem aut aſinum humana voce locutum. At enim inquiunt, hominem, & cætera hujusmodi, tribus modis eſſe poſſe, & tria quodammodo eſſe habere, unum in mente & cognitione noſtra, quod nuncupant eſſe mentale, ſive eſſe cognitum: alterum in ſingularibus & individuis ſuis, quod vocant eſſe exiſtentiæ, ſive eſſe fundamentale: tertium, ut ipſi loquuntur, in ſe & in natura, ſive eſſentia, ſive quiditate ſua, quod appellant eſſe eſſentiæ, ſive eſſe quiditativum. Quibus tribus eſſendi modis ita excogitatis & fictis, reſpondent nobis, hominem vere univerſale reale & commune eſſe, & de multis dici ac prædicari poſſe, non ut eſt in mente, & in eſſe cognito (ſic enim non eſt univerſale reale, ſed univerſale cognitum) nec ut eſt in eſſe exiſtentiæ & fundamentale. Hoc enim modo non ſolum non eſt univerſale reale, ſed prorſus non eſt univerſale, quia eſt individuum quiddam & ſingulare, & tanquam fundamentum omnium aliorum eſſendi modorum, ſed ut eſt in ſe, & in natura, ſive eſſentia; ſive quiditate ſua. Sic enim vere, ut ipſi putant, eſt commune & univerſale reale, cui primum, ac proprie convenit dici ac prædicari de multis. Hominem autem & cætera univerſalia realia eſſe in ſe & in natura, ſive eſſentia, ſive quiditate ſua, ipſi nihil aliud intelligi volunt, niſi conſiderari, ut ſunt extra mentem cognitionemque noſtram: & non conſideratis ſingularibus atque individuis, tanquam in aere inviſibiliter, ſic ut nullo ſenſu percipi poſſint, aut in vacuo Democriti, ut in eo volitent tanquam atomi, & corpuſcula minutiſſima, aut in alio quodã mũdo nobis incognito, ubi proprie ſedem habeant, videlicet aut in eo, in quo habitant Ideæ Platonis, aut potius in eo ubi reperiuntur Chimeræ atque Centauri, & alia Poetarum figmenta. Talem enim quendam oportet eſſe locum, ubi verè ſunt iſta univerſalia, ſi nec in mente & cognitione noſtra ſunt, nec in ſingularibus & individuis. Nam ego quidẽ probe intelligo quid ſit eſſe in mẽte & cognitione noſtra, & quid ſit eſſe in ſingularibus & individuis, ſed quid ſit eſſe in ſe, & in natura ſive eſſentia ſive quiditate ſua prorſus non intelligo: Ac nec eos quidem qui hunc tertium eſſendi modum finxerunt, ſatis arbitror intellexiſſe, quid comminiſcerentur. ſed tantummodo ingenia eorum qui diſcere cupiunt, nec falſitatem rerum ita cognoſcere poſſunt, excruciare voluiſſe. Quare ego quoq; viciſſim reſpondẽs illis,

illis, dico istud esse in se, quod isti barbare vocant essentiæ sive quiditativum, prorsus esse falsum & commentitium: & præter esse cognitum sive in mente, & esse existentiæ sive in individuis, prorsus nullum aliud verum in his inferioribus esse aut reperiri affirmo. Quod paulo infra loco suo probabitur, hoc est, ubi monstrabimus universalia realia vere nec esse in rerum natura, nec esse posse. Nunc tantum illud monitum esse volumus, hominē, & animal, & cætera omnia quæcunq; sunt in prædicamento tam substantiæ, quam accidentium, ut res veræ sunt, nec esse communia aut universalia, quia esse non possunt nec de quopiam dici aut prædicari, quia hoc non rerum, sed vocum ac nominum proprium est: Sed omnia vere esse aut singularia singillatim sumpta, aut multitudines singularium simul atque universe acceptorum, ut clarius etiam constare faciemus infra, ubi arborē nostram generum ex singularibus tantummodo compositam, & à Porphyriana illa longe differentem describemus. Atque ita propter prædicationes generum de speciebus, & specierum de individuis, non necessario ponenda esse universalia in rebus, sive realia: quia cum dicitur, Socrates est homo, vel homo est animal, in his duobus enuntiatis, homo & animal non sunt duæ voces, nec duo genera, nec duæ species, nec duo universalia sed duæ res veræ, & duo singularia, & duo individua; ut perinde sit ac si diceretur, Socrates est unus homo, & unus homo est unum animal, cum vox utriusque, hoc est, tam hominis quam animalis, utrobique & singularis sit, & proprie posita & semel tantum enuntiata: cum quibus tribus conditionibus appositis, fieri non potest, ut ulla vox plusquam unum significet, ut supra diximus. Ubi etiam docuimus, hominem & animal & cæteras hujusmodi voces, nec esse, nec posse significare genus aut speciem, nisi figurate atq; improprie positas & acceptas, hoc est, nisi & singularis pro plurali, & unus pro pluribus vel omnibus accipiatur. Quo in casu enuntiationes illæ, quæ vocibus proprie acceptis verissimæ sunt, si ex figuratis vocibus constare intelligerentur, protinus redderentur falsissimæ. Eis enim significaretur, & Socratem esse omnes homines, vel genus omnium hominum, & hominem esse omnia animalia, vel genus omnium animalium. Præterea idem homo, & idem animal in eisdem enuntiatis, non ut res & genera vera sunt, sed ut nomina & voces verorum generum existunt, dicuntur, & prædicantur de suis suppositis. Vocum enim & nominum non rerum, ut ante dixi, proprium est dici & prædicari. Postremo etiam si homo & animal in illis ipsis enuntiatis ut res sunt, concederentur dici & prædicari de subjectis suis, atq; ita prædicando esse vera genera & veræ species, tamen adhuc vere non possent dici & prædicari de illis in recto casu, ut imperitissime putant & falsissime dicunt Pseudophilosophi, sed tantum

in ob-

in obliquo, ut ita dicendo, Socrates vel individuum Socratis, eſt in ſpecie hominum, & homo ſive ſpecies hominum eſt in genere animalium. Nam ſi verum eſſet, animal ut genus eſt, vere prædicari de homine, ut ſpecies eſt, in recto caſu, ut mentiuntur Dialectici, verum quoque eſſet dicere, hominem, ideſt, ſpeciem hominum, eſſe animal, hoc eſt, genus animalium: atque adeo partem eſſe totum diſcretum, & triginta vel ſexaginta eſſe centum. Quod quamvis ſit falſiſſimum & abſurdiſſimum, non tamen eſt magis falſum & abſurdum quam dicere & affirmare, genus de ſpecie in recto caſu dici & prædicari. Quem in errorem idcirco præcipitarunt Philoſophaſtri, primo quia putaverunt univerſalia ſua, quæ vera non ſunt, tamen eſſe res veras & ſolidas: Deinde quia non diſcreverunt res à verbis, nec verba à rebus, nec intellexerunt animal exempli gratia, aliud eſſe, cum proprie ponitur pro uno animali tantum, ut in hoc enuntiato, homo eſt animal. Quod perinde eſt ac ſi diceretur, unus homo eſt unum animal: aliud cum uſurpatur figurate pro omnibus animalibus vel pro aliquo genere animalium, ut in illo Ovidii exemplo,

Quid meruere boves, animal ſine fraude?

Et rurſus in illo Ciceronis, Genus eſt quod plures amplectitur partes, ut animal: aliud cum accipitur ut nomen & vox generis animalium, ut cum dicimus, animal eſt nomen appellativum, aut animal ſignificat rem animatam. Poſtremo verò quod eſt caput omniũ malorum, quia contemnunt Grammaticam & Rhetoricam & omnes bonas literas, atq; ideo non mirum eſt ſi tanquam pueri quotidie in tam rurpes & fœdos errores præcipitant. Nam quod excogitaverunt prædicationes ſignatas & prædicationes exercitas dicentes: Hoc ipſum, quod eſt, genus dici de ſpecie in recto caſu, verum quidem eſſe in prædicatione ſignata, ut ita dicendo, Homo eſt animal, non in prædicatione exercita, ut ſi ita dicam, ſpecies eſt genus, eo quia vere dicitur, homo eſt animal, ſed non ita vere, ſpecies eſt genus: Idem quod commenti ſunt primas & ſecundas intentiones, & ſuppoſitiones partim pro primis intẽtionibus partim pro ſecundis, & ajunt in hac argumentatione, homo eſt animal, animal eſt genus, ergo homo eſt genus, non valere conſecutionem, eo quod, ut ipſi dicunt mutatur ſuppoſitio, cũ animal in primo enuntiato ſtet pro prima intentione, in ſecundo autẽ pro ſecunda: atq; ideo nõ valet inquiũt conſecutio, ſi homo ſit animal & animal ſit genus, ut homo ſit genus: Quod inquam has & alias hujuſmodi quãplurimas nugas excogitaverunt, Ego eos non tã dignos arbitror qui ſerio refutentur ac redarguantur tanquam viri graves & ſeveri, quam qui negligantur & contemnantur tanquam imperiti & barbari, aut derideantur & exibilentur tanquam nugatores inepti ac nebulones. Nam quod ad

prædicationes ſignatas atque exercitas attinet, ego dico & affirmo omnem prædicationem vere ſignatam, vere etiam poſſe exerceri: & ſi verum eſſet, genus de ſpecie dici in recto caſu, verum etiam eſſet, ſpeciem eſſe genus. Sed non verum eſt, genus de ſpecie dici in recto caſu, quia genus eſt totum quoddam diſcretum, ſpecies autem pars diſcreta, & ita ſequeretur, partem diſcretam eſſe totum ſuum diſcretum, quod verum eſſe non poteſt. Quocirca neque verum eſt, genus de ſpecie in recto caſu dici. Ne in prædicatione exercita, ut ipſi exercent, eo quod, ut dixi, in hoc enuntiato, homo eſt animal, neque homo vere eſt ſpecies, neque animal vere genus, ſed utrumque ſingulare, ut ſi diceretur, unus homo eſt unum animal: Nec rurſus in prædicatione ſignata, quia ſi vere ita eſſet, vere etiam poſſet exerceri, & vere dici, ſpecies eſt genus. Quod autem pertinet ad eam argumentationem, quam dixi, reſpondeo, conſecutionem illam eſſe falſam, non quod animal in priore enuntiato ſtet pro prima intentione, in ſecundo autem pro ſecunda, ut Dialectici nugantur, cum prima & ſecunda intentio nihil aliud ſint niſi & res fictæ, & voces barbaræ, ſed quod nomen animalis in primo enuntiato, quod eſt, homo eſt animal, proprie poſitum eſt, & ſignificat tantum unum animal, in ſecundo autem, quod eſt, animal eſt genus, improprie & figurate, & ſignificat omnia animalia, ſive omne genus animalium. Alioqui non poſſet animal, nec eſſe vox generis, nec eſſe genus, cum omne genus proprie ſit multitudo quædam ſingularium, ut infra probabimus in Capite de genere. Atque ita nos & iſtis & aliis hujusmodi quamplurimis ſtultis & inanibus Dialecticorum nugamentis magis deridendi eos, quam refutandi cauſa reſpondendum eſſe arbitramur, rejectis & exploſis illorum prædicationibus ſignatis & prædicationibus exercitis, & ſuppoſitionibus omnibus tam pro prima quam pro ſecunda intentione, & aliis multis ineptiis, quas Dialectici excogitare fuerunt coacti propter ignorationem locutionum propriarum & figuratarum. Nam poſitis & vere intellectis locutionibus propriis & figuratis, quibus Scriptores tam Græci quam Latini, & omnes recte loquentes, atq; adeo etiam communis omniũ loquendi conſuetudo utitur, quemadmodum nos ſupra docuimus, poſitis inquam & intellectis his locutionibus figuratis & propriis, nihil amplius opus eſt prædicationibus ſignatis aut exercitis, nec ullis ſuppoſitionibus aut intentionibus primis vel ſecundis, præſertim barbaris, quæ omnia ſunt meræ inſaniæ, & meræ nugæ Dialecticorum. Ex eis igitur quæ hactenus dicta ſunt in hoc Capite ſatis, ut opinor, rejectæ & exploſæ ſunt illæ tres præclaræ & egregiæ cauſæ, quibus Dialectici & Philoſophaſtri moti univerſalia realia eſſe vera, & neceſſario eſſe ponenda fabulantur. Docuimus enim, quod ad traditionẽ artiũ & ſcientiarũ

& de-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [134] - 66

& definitionum attinet, hæc omnia non de universalibus tradi, sed de singularibus: & modum, quo trahuntur aperuimus, demonstrantes ea omnia tradi de universis singularibus & universa ea partim fieri, non per commentitiam illam abstractionem à singularibus, ut Dialectici somniant, sed per comprehensionem omnium simul singularium, partim percipi atq, intelligi nō solum ab intellectu, sed etiam à sensu, partim esse immortalia & æterna non per naturam singularem, sed per continuam successionem. Quod autem pertinet ad secundā causam de syllogismis & aliis argumentationibus faciendis, ostendimus in syllogismis conformandis procedi nō ab universalibus ad particularia, ut Dialectici nugantur, sed ab universis ad singula, sive à toto continuo vel discreto ad unam vel plures eorum partes continuas vel discretas. In inductionibus verò faciendis progressum fieri non à particularibus sive singularibus ad universalia, ut iidem garriunt, sed à singulis partibus totius discreti vel continui ad universum totum continuum vel discretum, & propterea propter fabricationem syllogismorum & inductionum non esse ponenda universalia. Postremo verò ad tertiam causam, hoc est, ad prædicationem superiorum de inferioribus, admonuimus in tota illa arbore prædicamētali substātias revera nihil aliud esse, nisi singularia & singularium multitudines, ut probabitur infra, & hominem & animal & cætera superiora quatenus res sunt nec dici nec prædicari de ullo inferiore, sed tantum quatenus sunt voces. Atq; ideo ad prædicationes faciendas & servandas, solas voces sine ullis universalibus realibus per se esse idoneas, ut nulla supersit amplius causa probabilis, quam quidem ego sciam, propter quam universalia in rebus ponenda esse videātur.

CAPUT OCTAVUM.

Universalia realia vere in rerum natura esse non posse & propterea non esse, ut rectissime dicunt Nominales, contra stultam illam Realium opinionem de Universalibus realibus, quorum rationes omnes plusquam inanes labefactantur.

NUNC causis, quibus universalia realia à Dialecticis ponebantur destructis, supereſt, ut doceamus, quemadmodum initio promisimus, etiam si aliqua esset eorum ponendi causa, tamen ipsa, eo modo quo à Dialecticis Realibus statuuntur, nec esse ullo

modo in rerum natura nec esse posse, nisi ficta & commentitia, quem admodum Chimeræ atq; Centauri. Quod ita esse, ut dico, tribus potissimum argumentis iisque valdissimis probatur, ac primo quoniam abstractio illa, ex qua tanquam ex parente universalia gigni putantur, mendacissima & falsissima est, ut nos infra probaturi sumus in Capite de Comprehensione vere philosophica, quam loco abstractionis illius monstrosæ atq; chimericæ in philosophiam introducimus. Quod si recte fiet, ut certe fiet, quis erit post hac tam demens & ineptus, qui universalia vera ex abstractione falsa, & tanquam filios legitimos ex legitima matre procreari posse arbitretur? Deinde quoniam illa, quæ à barbaris Philosophastris dicitur Sufficientia universalium sive prædicabilium, ex qua tanquam ex altera parente numerus universalium stabiliri creditur, ipsa quoque falsissima est, & non nisi ab indoctissimis imperitissimisq; hominibus excogitata, ut nos infra monstrabimus. Quod cum factum erit, tum vero constabit universalia non solum non esse vera, sed nec si vera essent, posse esse quinque numero, ut à Philosophastris statuuntur. Postremo vero quoniam si universalia realia essent, hoc est, talia qualia describuntur à Pseudophilosophis, necessario sequerentur multa absurdissima & impossibilia, quæ natura rerum ferre non posset. Etenim si ista universalia realia, quemadmodum isti blaterant, concipiuntur, ut naturæ unæ quidem in se, sed communicabiles pluribus, hoc est, quæ unæ eædemq; cum sint, eodem tempore totæ & integræ reperiantur in multis speciebus vel individuis numero distinctis, dico istas naturas nullo pacto esse posse & propterea non esse, quia neq; rerum natura neq; experientia mundana neq; ratio humana tale quicquam ferre aut pati potest. Si enim tale quicquam esset in mundo, ipsum à se ipso totum esse distractum & divulsum, planeq; tale quoddam sequeretur absurdum, ut si unus & idem homo singularis uno eodemq; tempore totus & integer diceretur esse Londini, Romæ, & Babylone, & in plurimis aliis locis, toto terrarum spatio separatis & longinquis. Quod cum superet omnem insaniã & stoliditatem, primum nescio quo pacto Pseudophilosophi istiusmodi universalia sua defendere ac tueri audeant: & si auderent, ut sunt importuni, quo pacto vitare possint, quin eodem modo, ut illa, quæ dixi, absurde & plusquam stulta esse videantur. Præsertim cum jam constet ea, neque ad scientias artesq; tradendas, neq; ad syllogismos inductionesq; formandas, neq; ad prædicationes faciendas esse necessaria, destructis illis omnibus causis, quibus introducta esse dicuntur. Deinde nullam video causam aut rationem, cur non in infinitum verior atq; omni rationi magis consentanea sit opinio Nominaliũ qui voces solas universales esse asserentes, & universalia nullo prorsus modo

in

in rebus esse affirmantes, nullum tale absurdum ac impossibile in rerum natura ponere coguntur. Sed hic mihi respondent Pseudophilosophi ab Aristotele videlicet Hæresiarcha suo docti, Absurdum illud & impossibile, quod diximus, tum sequi, cum illud, quod totum & integrum uno eodemq; tempore in multis esse dicitur, est materiale & individuum perfectum, &, ut ipsi loquuntur, hoc aliquid, ut Socrates, Plato, & cætera singularia perfecta, quæ in multis eodem tempore, & quodammodo à se ipsa discreta esse non possunt. Sed universalia realia non esse materialia, nec hoc aliquid, nec unum numero perfectum: sed immaterialia & quale quid, & minora unitate numerali, atque ideo nihil prohiberi uno eodēq; tēpore tota & integra in multis esse, & ad talē positionem nullum sequi inconveniens nec absurdum, Sic inquam respondēt Dialectici, perinde ac si nemo de istis universalibus dubitaret an vere in rerum natura essent nec ne, & si maxime essent, rursus pro certo constaret ea esse non materialia, sed immaterialia, ut Dialectici stulte sibi sumunt. Sed oportebat ô Domini Philosophastri prius ut probaretis universalia realia vera esse, deinde cum id probavissetis, ut postea rursus planum faceretis, ea esse immaterialia. Quorum neutrum cum feceritis & tamen sumatis, universalia realia non solum esse, sed etiam esse immaterialia, quis non vestram istam responsionem rideat tanquam imperitam & stultam? Item perinde quasi in rerum natura reperiretur quippiam, quod posset esse quale quid, & non esset, hoc aliquid, & quasi non eadam incommoda & absurda sequerentur ex istius, quale quid, positione, quæ ex universalis realis introductione sequi dicebamus. At nos æque atq; adeo multo magis negamus hoc, quale quid, quam universale reale, tanquam id quod est multo absurdius & multo minus tolerabile. Nam per deos immortales quæso, quidnam rei est, hoc, quale quid, nisi est hoc aliquid? & quid sibi voluit Aristoteles, cum in Categoria substantiæ excogitavit hoc verbum, vel potius hoc monstrum? Certe ego cum dicitur, quale quid, aut hoc aliquid, hoc est, qualitatem aliquam singularem aut nihil prorsus vere intelligi posse arbitror, & Aristotelem cum id ænigma protulit, certum habeo nec ipsum intellexisse quid diceret, nec ab ullo unquam postea fuisse intellectum. Ut mihi quidam magnus & senex philosopiæ licet barbaræ professor rectissime & verissime videatur respondisse discipulo cuidā suo adolescentulo affirmanti se intelligere quid esset istud, quale quid, & universale reale. Euge (inquit) fili, si ita est, tu enim id intelligis, quod ego in totis quadraginta annis, quos in hisce rebus quærendis consumpsi, nondum tamen unquam intelligere potui. Hæc ille. Ego vero eâdem ratione eâdemq; de causa, improbo ac rejicio istud qnale quid, nisi est, hoc aliquid, qua ante

rejeci & improbavi universale, hoc est, utrunq; tanquam falsum, cõmentitium & inutile, & supervacuum, & inintelligibile, dicens rursus & affirmans nihil posse esse quale quid, quod non idem sit, hoc aliquid, hoc est, quod non sit aut una aliqua qualitas singularis, aut una aliqua multitudo qualitatum singularium, ut supra dixi in nostra generali rerum divisione. Cui etiam hoc addimus nos putare, si quis dicit se intelligere quid sit istud quale quid, præter, hoc aliquid, eum sibi ipsum mentiri & dicere contra suam ipsius conscientiam. Certe ego quod ad me attinet, si quale quid, nõ est hoc aliquid, ingenue fateor me non intelligere sed prorsus ignorare quid sibi velit istud plusquam ἐοικὸτιον ἄινιγμα. An vero ab Aristotele atque à Dialecticis ipsis unquam perceptum & comprehensum fuerit ipsi viderint. Sed rursus fortasse objicietur nobis Boethius ille magnus videlicet Dialecticorum Realium Coryphæus, qui in secunda editione in Porphyrium statim inter initia cum talem quandam adversus universalia realia quæstionem proposuisset, & ea non posse esse in rerum natura propter easdem ferè, quas nos diximus, causas, docere cœpisset, tandem unà cum Alexandro suo ita eam solvit, ut non ad id quod objectum erat, sed ad aliud omnino diversum respondeat, Objectum enim fuerat universalia esse non posse, cũ propter alias quasdam tum maxime propter eas, quas dixi, rationes: ipse vero ita solvit, ut si concessum & non controversum esset, universalia esse, & docet modum quo intelligi ac percipi possint. Intelliguntur autem & percipiuntur, ut ipse dicit, per divisionem & abstractionem à singularibus. At ô bone Boethi oportebat te prius ostendere & probare universalia realia non solum posse esse, sed etiam vere esse in rerum natura, & respondere ad multas maximasq; absurditates, quæ positionem eorum sequuntur: Deinde cum id feciſſes, si tibi videretur, tum demum docere & ostendere quomodo ea ipsa intelligerentur & perciperentur. Nam eo modo respondendo & solvendo ostendis, differendi ac disputandi te prorsus esse imperitũ. Perinde enim deliras, ut si quis negaret Phœnicem esse, & tu eam esse probaturus, ostenderes eam albo vel nigro colore esse præditam. Sed non ita recte disputatur, tum deniq; enim fortassis tibi concedi posset, universalia, sic ut tu dicis, intelligi ac percipi, per divisionem & abstractionem, si constaret ea vere existere in rerum natura, & ad aliquam rem hominibus necessariam esse utilia. Sed refutatis primum & explosis causis propter quas poni dicebantur, deinde probato, ea esse non posse propter maxima & absurdissima incommoda, quæ sequerentur, omnes illæ tuæ rationes & similitudines de intellectione linearũ mathematicarum, ad confirmandam intellectionem universalium prolatæ, prorsus vanæ sunt & inanes. Et eo magis quod res mathematicæ non intelliguntur

liguntur nec sunt abstractæ eo modo, quo tu & reliqui Philosophastri putatis, sed alio quodam & vero modo, ut ostendemus infra loco suo. Atq; ita respondsum sit Boethio & Alexandro & Aristoteli & omnibus illis vetustioribus, qui universalia dialectica & esse in rebus, & per abstractionem fieri intelligiq; affirmant. Namq;, ut supra docuimus, non magis opus est ulla intellectus abstractione in intelligendis universis generibus & speciebus rerum, quam in percipiendis universis populis & universis exercitibus & aliis multitudinibus, quæ universæ & sunt & dicuntur, ut etiam infra dicemus in Capite de genere. Nunc supersunt quidam ex recentioribus, & iis quidem non solum barbaris & Philosophastris, sed etiam doctis & eruditis viris universalium assertoribus, inter quos vel in primis est, *Rodulphus Agricola in libello de universalibus*, si tamen credendum est librum illum ab Agricola fuisse compositum: & *Lurovicus Vives* in Opusculo de explicatione cujusque essentiæ, qui omnes in eundem cum Boethio errorem & peccatum incurrerunt. Docuerunt enim omnes, quid esset universale, & quomodo intelligeretur, & multa alia, cum interim esset incertum ac prorsus ignotum, an vere ipsum existeret in rerum natura nec ne, & utrum extaret aliqua vera & solida ejus ponendi causa vel necessitas. Quare omnis eorum doctrina vana fuit & inutilis, quorsum enim attinebat docere nos, quid & quale esset universale, cum id ipsum, verene esset in mundo & an necessarium ad aliquid agendum foret, ignoraretur? At ego contra primum, universale reale, nec quid sit, nec quale sit, nec quomodo intelligatur, vere sciri posse affirmo, quia non vere est, nec vere esse potest, sed totum est fictum & commentitium: cujus nomini vano nihil prorsus in re ipsa solidi respondet aut subjectũ est. Deinde etiã si esset, tamen prorsus foret inutile & nullam ad rem necessarium, nisi forte ad altercandam tanquam de lana caprina & ad garriendum inaniter, ut Dialectici facere solent, & denique ut aliquando clare dicam quod sentio, ad bonas horas frustra inutiliterque consumendas. Sed ex alia parte objicit & opponit sese mihi magna Juniorũ Dialecticorum turba totis viribus adnitens non solum tueri ac defendere universalia, sed etiam dicere ac definire quot numero sint. Aiunt enim in summa esse quinq;, hoc est, genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens; idq; probare conantur non ulla quidem earum, quas supra refutavimus, rationum, sed per eam, quam ipsi vocant, sufficientiam universalium, sive prædicabilium, in qua sibi sumunt tanquam certum, universalia, sua dici & prædicari de multis tum in quid, tum in quale, tum de differentibus specie, tum de diffrrentibus numero, tum essentialiter, tum accidentaliter, tum convertibiliter, tum non convertibiliter. Sed incassum laborant & nihil agunt, eo

quod

quod hæc omnia quæ ſibi ſumunt tanquam certa & vera, nec certa nec vera ſunt, ſed incerta & falſa, ut nos infra luce clarius probaturi ſumus in Capite De falſa univerſalium Sufficientia. Itaque ea pro refutatis hic relinquimus, & ad reliqua pertranſimus quæ ad propoſitum caput perficiendum pertinent. Quibus ita expoſitis & explanatis jam nihil difficile eſt reſpondere ad difficultates illas, quas Porphyrius in principio Iſagoges dicit ſe prætermittere tanquam nimis arduas & obſcuras, dum quæritur primo utrum univerſalia ipſa per ſeſe, an in ſolis animis ſint, & ſi conſiſtant per ſe, utrum corpora ſint, an corporis expertia, & utrum avulſa ſint & diſtracta à ſenſibilibus, an in his ipſis hæreant & nitantur. Itaq; quas alii quidam proponunt hoc modo, primo utrũ univerſale ſit extra animam, deinde ſi ita ſit, rurſus an ſit diverſum à ſingularibus, & poſtremo ſi non ſit diverſum, quomodo differant inter ſe Socrates & Plato quatenus individua diſtincta, conveniant autem quatenus homines. Quibus omnibus quæſtionibus tametſi ridiculis & minime dignis, quibus reſpondeatur, tamen breviter reſpondeo, & primum dico, univerſalia Realia ſive in rebus, hoc eſt, extra vocem vel mentem noſtram, eo modo quo ponuntur à Realibus, nec per ſeſe conſiſtere in re, quia non ſunt, ut dixi, nec eſſe poſſunt, nec in intellectu eſſe, niſi ficta & commentitia, quia nihil eis reſpõdet in re, Deinde nec corporea eſſe nec incorporea, quia non ſunt, niſi, ut ante dixi, falſa & commentitia, Tum nec à ſenſibilibus avulſa nec in illis conſiſtentia eadem ratione, quia quod non eſt, id nec avulſum à ſenſibilibus nec in ſenſibilibus eſſe poteſt. Poſtea nec diverſe eſſe à ſingularibus, niſi quemadmodum id quod non eſt, vel quod fictum eſt, differt à rebus veris. Nec poſtremo ſequi, etiam ſi nulla extent univerſalia, ut Socrates & Plato quatenus homines non poſſint convenire inter ſe, quatenus vero duo individua diſtincta & ſeparata, eſſe differentes. Conveniunt enim quatenus ambo idem hominis nomẽ habẽt & in eodem genere hominum tanquam duo milites in eodem exercitu militũ continentur, & omnino quatenus uterque eorum prædictus eſt ratione & aliis multis ſimilitudinibus. Differunt autem quatenus appellantur duobus diverſis nominibus propriis, & ſunt duo diverſa individua unius generis hominum tanquam duo diverſi milites unius & ejuſdem exercitus Athenienſium. Et denique quatenus uterque multas habet proprietates & qualitates, quas alter non habet. Atq; hoc modo conveniunt inter ſe & differunt duo individui homines, nec ad eorum ullam convenientiam aut differentiam oſtendam opus eſt ullis univerſalium fabuloſorum ſubſidiis. At enim, inquiunt, poſſumus in Platone delonginquo veniente cognoſcere eũ primo tantum animal eſſe, non hominem nec Platonem; Deinde cum proprius acceſſerit, præter animal cogno-

cognoscere etiam hominem esse, sed nondum Platonem. Postremo vero cum proximus est nobis factus, non solum animal, & hominem, sed etiam Platonē esse : ex quo fieri ut animal, & homo, & Plato, sint tria diversa : Et cum aliqua multa ita se habent, ut unum eorum cognosci queat ignoratis reliquis, ea necessario diversa esse, & eadem esse non posse, At animal hominem & Platonem talia multa esse. Quare colligunt hæc esse tria inter se differentia, longeque diversa, ex quibus cum Plato solus singularis sit & individuus, reliqua duo, hoc est, hominem & animal affirmant aut prorsus nihil, aut universalia realia esse dicenda : & non solum à Platone, sed etiam inter se differentia, nam animal magis universale quàm hominem esse aiunt. Atque hac futili argumentatione cum multi alii Dialectici, tum maxime Rodulphus Agricola in eo, quem dixi, libro conatur persuadere universalia realia non solum vera esse, sed etiam alia ab aliis differre, & esse magis universalia. Sed & ipse Agricola, quamvis alioqui Vir doctissimus, tamen hac in re in eundem cum cæteris Dialecticis errorem præcipitat, nec distinguit res à verbis, nec verba à rebus. Nam ego, & his & aliis multis hujusmodi nugis respondeo, verum quidem esse, animal & hominem & Platonem esse tres diversas voces, sive tria diversa nomina : sed non tres diversas res, sive tria diversa subjecta: Una enim eademq; res singularis & individua, & animal & homo & Plato appellatur, & diversa nomina sortitur, propter diversas res quas habet, vel ex quibus constat. Quæ cum talis sit, hoc est, singularis & individua, nullo pacto potest esse universalis, etiamsi universalia essent vera, non enim hoc rerū natura patitur, ut res eadem subjecto, simul & universalis sit, & singularis. Quare tametsi Plato de longinquo veniens, primo tantum ut animal, deinde tantū ut animal & homo, postremo ut animal & homo & Plato, simul cognoscitur, tamen est semper una eademq; res, id est, unum & idem singulare animal, unus & idem singularis homo, unus & idem singularis Plato : tria nomina sortitus, non propter ullam multiplicitatem substantiæ singularis, quæ in eo sit, sed propter differentiam rerum atque accidentium, quæ alteri videtur, hoc est, ei qui de longinquo venientem videt. Quod cum ita sit valde miror, ista tam levia & futilia nugamenta, non quidem aliis vulgaribus Dialecticis, quibus nihil est rudius & stolidius, sed Rodulpho Viro alioqui eruditissimo in mentem venire potuisse, & unà cum cæteris barbaris Dialecticis ita cæcutivisse, ut non animadverterit Platonem de longinquo venientē videri quidē & ut animal, & ut hominem, & ut Platonem, sed ita tamen ut semper videatur, unum & singulare animal. unus & singularis homo, unus & singularis Plato. Quod rursus cum ita sit, qui potest obsecro, animal singulare,

homo ſingularis, in Platone veniente eſſe univerſale? profecto nullo modo poteſt. Præterea etiam non minori admiratione afficior, Ludovicum Vivem ipſum quoq; alioqui virum doctiſſimum, tamen vana iſta univerſaliũ opinione uſq; adeo infatuatum fuiſſe, ut ea nulla alia de cauſa ponere videatur, niſi quia ſunt, ut ipſe inquit, ſimilitudines & conformitates quædam in natura rerum, quæ ad eſſentiam ſemper, non ad accidentium rationem referantur, & iſtas ſimilitudines ac conformitates ait in ſcholis univerſalia nominari. Qua quidem univerſalium poſitione, nunquam quicquam vidi ſtultius. Nam ego à Te quæro Ludovice, quænam ſint iſtæ ſcholæ, quæ has ſimilitudines appellant univerſalia? certe non græcæ, in quibus inauditum eſt hoc nomen, non modo non græcum, ſed nec latinũ ſatis bonum. Item nec latinæ antiquiores, cum nec ætate Ciceronis nec ſuperiore nec etiam inferiore per multa ſecula quiſquam doctus nomen univerſalis uſurpaverit eo, ſcilicet, modo, quo Dialectici faciunt. At dices fortaſſe, Boethius & omnes ferè latini poſteriores uſurparunt. Audio, & hoc magis Te reprehendo, qui putaſti Boethium vix ſemilatinum, aut alium quenquam poſtea ex Philoſophaſtrorum numero idoneum hujuſce latinitatis ac tantæ rei authorem fuiſſe. Nam ſimilitudines quidem & conformitates, ut tu dicis, ſunt in rerum natura: & ego eas vere eſſe & ſimilitudines ſive conformitates, ut tu vocas, vere nominari fateor, ſed univerſalia, aut quemadmodum alii vocant, prædicabilia, aut eſſe aut recte appellari, etiam atque etiam pernego. Atque hoc amplius adjungo, univerſalia etiam ſi vera eſſent, quemadmodum dicunt Dialectici, tamen ab iſtis ſimilitudinibus & conformitatibus forent longe diverſa. Iſtæ enim ſimilitudines eſſentiales ſine ulla dubitatione in rebus ſubſtantialibus ſunt ſubſtantiæ, & hoc aliquid, at nullum univerſale nec eſt ſubſtantia, nec hoc aliquid, ut probat Ariſtoteles in in vii τῶν μετὰ τὰ φυσικά. Quare nullum univerſale eſt ſimilitudo aut conformitas eſſentialis, atque ita ad confirmandum univerſalia nihil Tibi proſunt, nec iſtæ ſimilitudines & conformitates, ô Ludovice, nec ſcholæ illæ, quæ eas univerſalia, ut tu dicis, appellaverunt, quia fuerunt imperitæ & inepta quædam barbarorum hominum conventicula. Sed jam ſatis reſponſum eſt ad ea, quæ pro univerſaliũ defenſione à Philoſophaſtris communiter dici ſolent, & abunde oſtenſum univerſalia realia in rerum natura nec eſſe nec eſſe poſſe, niſi commentitia, & ſi maxime eſſe poſſent, tamen propter eas cauſas, quas Dialectici dicunt, non eſſe ponenda. Quibus ita probatis abſque ulla alia refutatione noſtra ſatis patet univerſalitatem illam & communicabilitatem univerſalium, quam Dialectici frequenter in ore habent & cujus auxilio potiſſimum univerſalia defendere conantur, eſſe mera vocabula barbara, & res

plane

plane fictas & fabulosas. Nos enim prorsus ita dicimus & affirmamus, in tota rerum natura nihil esse nec esse posse, quod unum & idem cum sit, eodem tempore totum & integrum possit esse in multis, vel singularibus subjecto distinctis, vel speciebus quomodocunq; differentibus. Et hoc non minus alienum esse à natura rerum, à ratione humana, ab experientia mundana, & denique à veritate ipsa, quam duo contraria eodem tempore, eadem in parte, tota & integra esse in uno & eodem subjecto, atque adeo quam album esse nigrum, & calidum frigidum. Atque in summa sic absolvimus hanc partem, nihil superesse propter quod quisquam non omnino stultus credere possit universalia realia esse vera, nisi nudam ac vanam Aristotelis authoritatem, & Porphyrii, & cæterorum Græcorum, qui de eis scripserunt, & ea magno consensu ab Aristotele primum introducta approbaverunt. Nam Latini præsertim recentiores, & Arabes omnes plane tanquam cæci, & prorsus omni judicio carentes, Aristotelis, & aliorum Græcorum vestigia sunt secuti. Sed quantum Aristoteli, ac Porphyrio, cæterisque Græcis hac in re credendum sit, antequam hoc opus absolvatur, omnibus (ut spero) palam fiet. Itaque de eis nunc plura dicere supersedemus, tantum concludentes id, quod ab initio cæperamus probare, hoc est, in quarto divisionis generalis rerum loco, ponendas esse multitudines rerum singularium universe acceptas, & hoc modo divisionem esse faciendam, ut in primo loco ponantur, res per se stantes, hoc est, substantiæ: in secundo res in alio existentes, hoc est, qualitates: in tertio res singulares singillatim sumptæ, ut individua: in quarto multitudines, ut dixi, rerum singularium universe acceptarum, sive genera universa, sive naturæ universæ, sive res universæ, quæ omnia idem sunt: rejectis & explosis universalibus realibus: & nominatim secundis substantiis, & una cum illis cuncta ea, quæ à Pseudophilosophis dicuntur sic esse quale quid, ut non sint, hoc aliquid: eo quod hæc omnia partim falsa sunt, partim barbara, partim inutilia, partim non necessaria, partim etiam ridicula. Ut partim jam probatum est, partim infra probabitur in sequenti Capite, ubi etiam si concesserimus universalia esse, tamen & numerum quinque universalium, & sufficientiam illam, quam vocant, qua Dialectici quinque esse universalia probare conantur, improbabimus. Et denique ne ulla cuiquam dubitatio supereſſe possit, quin universalia prorsus falsa sint & inania, etiam loco suo demonstrabimus, abstractionem illam, quam appellant, universalium à singularibus per intellectum factam, esse mendacem & falsam: contra vulgatam illam Aristotelis sententiam falso dicentis, abstrahentium non esse mendacium: cum qui ita abstrahunt, ut ille vult, apertissime mentiri convincantur.

CAPUT NONUM.

Universalia realia etiam si vera esse concedantur, tamen non fuisse facienda quinque numero, sed vel unum tantum, hoc est, genus, vel plura quam quinque, hoc est, septem vel octo adjecto communi, simili, contrario, atque substantia: & simul de falsa universalium sufficientia, quam vocant.

SEd quanquam universalia realia sint falsissima, & nullo pacto esse possint in vera rerum natura, ut probatum est Capite superiori, tamen concedamus Pseudophilosophis, ea non solum posse esse, sed etiam esse: & doceamus etiam si ita esset, tamen non recte factum ab illis, qui ea posuerunt quinque numero, hoc est, genus, speciem, differentiam, proprium & accidens: cum aut tantum unum fuisset ponendum, hoc est, genus, aut plura quàm quinque statuenda, adjectis aliis quatuor, hoc est, communi, simili, contrario, atque substantia: ut in summa essent non quinque universalia, sed septem vel octo numero. Nam ut ab eo quod primo positum est, incipiam, dico tantum unum universale fuisse ponendum, hoc est, genus, eo quia cætera vel non possunt esse universalia, ut species, vel à genere non sunt diversa, sed tanquam species sub genere contenta, ut differentia, proprium, & accidens. Non potest autem species esse universale, quoniam, ut species est, semper sursum versum aspicit ad genus suum, eique subjecta est, nunquam deorsum spectat ad aliqua sibi subjecta, ut de illis dici ac prædicari universalisque officio fungi possit. Quod si deorsum convertatur, ut ad inferiora aspiciat, & de illis prædicetur, statim speciei proprietatem & nomen amittit, & generis naturam induens ex specie genus efficitur, ut etiam infra clarius ostendetur in Capite de specie, quare species, ut species est, universale esse non potest. Quod autem pertinet ad reliqua tria, hoc est, ad differentiam, proprium, & accidens, dico ea non posse esse species universalis oppositas generi, & à genere diversas, eo quia *differentia nihil aliud est, nisi genus differens. proprium nihil aliud, nisi genus proprium: accidens nihil aliud, nisi genus accidens*: ex quo patet ea non esse à genere diversa, sed in natura atq; intellectu generis inclusa: Quod ut etiam exemplis melius intelligatur

ligatur, rursus dico, rationale & mortale, quas illi differentias esse ajunt, esse quidem differentias, sed etiam genera, & multo magis genera quàm differentias. Siquidem communiter loquentes magis recte magisque usitate dici-

(Non recte dicetur homines in genere rationalium mortalium contineri, quia genus hominum, & genus rationalium mortalium æque late patent. Genus humanum igitur non est species generis rationalium. Quare hoc in loco ab autore dissentiendum, & omnino statuendum est Nomina Universalia esse 5. Nam Nomen Universale est vel subjectum, quod dicitur *species* vel prædicatum. Prædicatum vel necessarium vel contingens. Necessarium Prædicatum vel ~~est species Totius, & dicitur *Genus*, vel ei æquale, & dicitur *differentia*, vel arctius, & dicitur *proprium*~~, Contingens dicitur *accidens*.)

mus hominem esse in *genere rationalium & in genere mortalium*, quam in differentia rationalium & in differentia mortalium Et similiter affirmamus risibile & hinnibile, album & nigrum, quorum illa Dialectici propria, hæc vero accidentia nominant, esse quidem propria & accidentia, sed etiam genera. & multo magis genera quam propria & accidentia: cum & communiter & latine loquentes rectius usitatiusque dicere solcamus, hominem esse in genere risibilium quam in proprio risibilium & equum esse in genere hinnibilium quam in proprio hinnibilium, & cicnum esse in genere alborum quam in accidente alborum, & corvum esse in genere nigrorum quam in accidente nigrorum. Ex quibus communibus & usitatis loquendi modis, luce clarius palam fit, quæ à Dialecticis appellantur differentiæ, propria, & accidentia, ut rationale, risibile, & album, non minus atque adeo multo magis esse genera quam differentias, propria, & accidentia. Atque ideo non quinque universalia, sed unum tantum universale, hoc est, genus, ponendum fuisse: reliqua vero omnia, præter speciem, tanquam generis vel modos vel differentias vel species statuenda, quemadmodum nos infra facturi sumus in Capite de Genere, Revera enim differentia, proprium, & accidens non species universalis sunt à genere diversæ, sed sub genere, ut dixi, tanquam vel modi vel differentiæ vel species generis continentur, ut etiam probabitur paulo infra. Sed rursus esto, non unum sed plura sint ponenda universalia, dico ea non quinque, sed octo vel novem poni debere. & ad differentiam, proprium, & accidens, addendum esse, commune, simile, contrarium, & substantiam: Nam quemadmodum differentia, ut dixi, nihil aliud est nisi genus differens, proprium nisi genus proprium, accidens nisi genus accidens, sic etiam commune nihil aliud est nisi genus commune, simile nisi genus simile, contrarium nisi genus contrarium, substantia nisi genus substantia. Atque ut hoc exemplis fiat manifestius, iterum dico, quemadmodum rationale est genus differens ab irrationali, risibile est genus proprium homini, album vel nigrum est genus accidens parieti vel panno, sic etiã animal esse genus cõmune homini & bruto, Formicam esse genus simile homini, eo quia ambo longe in posterum prospiciunt: vitium esse genus contrarium virtuti, & deniq; substantiam esse genus substans accidentibus, Et rursus quemadmodũ rationale, risibile, & album, hoc est, differentia, proprium, & accidens, ut Dialectici ajunt, dicuntur de suis inferioribus, sic etiam animal, formicam, vitium, & corpus, hoc est, commune, simile, con-

trarium, & ſubſtantiam de ſuis ſubjectis prædicari. Quod cum ita ſit, quæro quæ cauſa, aut quæ ratio poteſt afferri, ut differentia, proprium, & accidens inter univerſalia recipiantur, commune autem, & ſimile, & contrarium, & ſubſtantia non recipiantur, aut cur quinq; tantum non ſeptem vel octo ponantur univerſalia. Certe ego nec cauſam nec rationem ullam videre poſſum, cur illa magis quàm hæc fieri debeant univerſalia, & cur accidens, quod eſt ignobilius, ſtatuatur eſſe univerſale, ſubſtantia vero quæ multo nobilior eſt, non ſtatuatur. Præſertim cum omnia, ut dixi, de ſuis inferioribus æque dicantur & prædicentur, quod eſt proprium univerſalis officium, ut Dialectici affirmant. Sed hic mihi præclaram quandam quinque univerſalium ſuorum defenſionem afferunt, per illam, quam vocant, quinq; univerſalium, ſive quinq; prædicabilium ſufficientiã, hoc modo ratiocinantes, Omne quod prædicatur, inquiunt, aut in quid aut in quale prædicatur, & ſi in quid aut de differentibus ſpecie, & ſic eſt primum univerſale, quod vocatur genus: aut de differentibus numero tantum, & ſic eſt ſecundum univerſale, quæ dicitur ſpecies: & ſi in quale aut eſſentiale, & ſic eſt tertium univerſale, cui nomen eſt differentiæ, aut accidentale, & hoc quoque duobus modis: aut convertibiliter, & ſic eſt quartum univerſale, quod appellant proprium: aut non convertibiliter, & ſic eſt quintum & ultimum univerſale, quod eſt accidens. Atq; hâc brevi ratiocinatione quaſi demonſtratione quadam geometrica Dialectici putant ſe probare univerſalia realia non ſolum eſſe vera ſed etiam quinque numero. Quibus breviter reſpondeo, quemadmodum ſupra jam multoties dixi, nihil horum hoc eſt, neq; genus, neq; ſpeciem, neq; differentiam, neq; proprium, neq; accidens, prout res veræ ſunt à vocibus nominibuſque diſtinctæ, neque dici neque prædicari nec in quid nec in quale, nec de differentibus ſpecie, nec de differentibus numuro, nec eſſentialiter nec accidentaliter, nec convertibiliter nec non convertibiliter: eo quia dici & prædicari, non rerum verarum, cujuſmodi ſunt genera, ſpecies, differentiæ, propria, & accidentia, ſed vocum & nominum propriũ eſt, Atq; ideo univerſalia per iſtam pſeudophiloſophicam & barbaram ſufficientiam non poſſe probari eſſe quinq; numero, ut infra etiam in Capite de genere & aliis ſequentibus, clarius apparebit. Quatenus vero hæc eadem omnia, non res veræ ſunt, ſed voces & nomina rerum, ut animal, vox ejus rei, quæ eſt genus animalium, homo vox ejus rei, quæ eſt ſpecies hominum: eodemq; modo, rationale, riſibile, & album, voces earum rerum, quæ ſunt differentia, proprium, & accidens: hoc modo non nego, ſed ingenue fateor, ea vere dici ac prædicari poſſe de rebus illis, quibus ſignificandis fuerunt impoſita, & vere eſſe univerſalia, non quidem realia, ſed, ut ita dicam, vocalia vel nominalia-

minalia, quemadmodum Dialectici, ii qui Nominales vocantur, recte & vere affirmant. Sic enim vere dicimus vocem animalis, dici de omni genere animalium, vocem hominis prædicari de omni specie hominum, vocem rationalis, risibilis, albi vel nigri, de omnibus rationalibus, risibilibus, albis vel nigris. Præter ea dico, has voces animalis, & hominis, & alias similes, ut significant & usurpantur figurate pro genere animalis, pro specie hominis, & cætera vere quidem dici & prædicari de rebus, quæ sunt vera animalia & veri homines, sed non in recto casu, vero in obliquo tantũ, ut ita dicendo homo est in genere animalium, non homo est genus animalium, vel homo est animal, quia falsum est hominem esse animal, intelligendo animal figurate pro toto genere animalium. Item dicendo Socrates est in specie hominum, non Socrates est species hominum, vel Socrates est homo, accipiendo hominem pro tota specie hominum, quia falsum esset. Quas falsitates Dialectici Reales idcirco intelligere non potuerunt, quia nesciverunt in his enuntiatis, homo est animal, Socrates est homo, nec animal esse genus, nec hominem esse speciem indivisibilem, eo quia si sic esset, propositiones essent falsæ non veræ, & utrunq; significaret tantummodo unam rem individuam, hoc est, unum individuum animal, & unum individuum hominem. Cujus rei hæc est causa, quia tãm animal quàm homo est numeri singularis non pluralis, proprie positum non figurate, semel tantummodo enuntiatum non multoties. Cum quibus tribus conditionibus adjunctis jam supra non semel monui appellativa simplicia semper unum tantum, nunquam plura significare, & propterea nomen generis aut speciei divisibilis esse non posse. Atque ita patet Dialecticos, etiam si concederetur eis, universalia esse vera, tamen in statuendis quinq; universalibus in duo maxima incidisse errata, vel quia non unum universale tantum, ut debebant, sed plura fecerunt, vel quia etiam si darentur plura esse universalia, tamen non septem vel octo, ut par erat, sed quinq; tantummodo facienda putaverunt. Ex iis ergo quæ & in hoc & in duobus superioribus proximis Capitibus dicta sunt, patet quanta fuerit ruditas & inscitia eorum qui posuerũt universalia, & quanta sit falsitas ipsorum universalium, quæ & sine ulla idonea, aut necessaria causa fuerunt posita, & si etiã fuisset aliqua eorum ponendi causa, tamen nullo pacto esse possunt, & si essent, tamen deberent esse non quinq; sed aut unum tantum numero, aut certe plura quam quinque contra stultam & vanam Dialecticorum de eis opinionem. Et præcipue partim supra destructis, partim infra destruendis duabus illis, tanquam parentibus universalium, hoc est, & mendaci illa abstractione, ex qua gigni putantur universalia, & sufficientia illa fallaci, ex qua non quidem gigni, sed quinq; numero probari creduntur.

CAP.

CAPUT DECIMUM.

De totis, & eorum divisionibus, ac partibus, compositionibusq; vere contra falsissimam Dialecticorum de his omnibus Doctrinam.

DE totis, eorumque divisionibus, & partibus, & compositionibus, quid sint & quæ sint, & quomodo fiant, vere cognoscere ac scire, in primis necessarium est iis, qui recte philosophari volunt, idque non solum propter summam cognitionis harum rerum utilitatem, nihil enim est in tota philosophia de quo frequentius loqui ac differere contingat, quam de his: sed etiam quia Dialectici & Philosophastri partem hanc pene totam fœdissime perverterunt ac corruperunt, partim excogitantes & introducentes quædam tota, quæ non reperiuntur in rerum natura, partim ea, quæ sunt male definientes & non recte appellantes: idemque facientes de divisionibus eorum, & partibus, & compositionibus. Quocirca mihi faciendum existimavi, ut partim correctis, partim sublatis Dialecticorum erroribus, hæc omnia recte philosophari cupientibus, quàm verissime & quam brevissime per me fieri posset, traderem: & quæcunque à me dicerentur ex superioribus rebus jam probatis confirmarem. Diximus in generali divisione rerum, omnia quæcunque sint in tota rerum natura, in summa esse, aut substantias aut qualitates, & omnes tam substantias quam qualitates, rursus esse, aut res singulares aut multitudines rerum singularium: quod cum ita esse probatum sit in superioribus Capitibus, refutatis & eversis universalibus, necesse est omne totum esse aut unam rem tantum singularem, aut unam multitudinem rerum singularium, cum nihil tertium esse possit & si sit res aliqua singularis, totum continuum, si multitudo rerum singularium, totum discretum esse: ita ut in summa in tota rerum natura non sint, nec esse possint, nisi *duo totorum genera, totum continuum, & totum discretum.* Quod confirmatur etiam ex eo, quia omne totum est quantum, sive quantitas quædam, omnis quantitas est vel continua vel discreta, ut etiam Aristoteles testatur in Categoriis: quare omne totum aut continuum aut discretum sit, necesse est. Omne autem totum esse quantum sive quantitatem quandam, partim jam manifestum esse arbitror ex Capite illo superiore, in quo funditus sustulimus universalia, quæ à Dialecticis finguntur esse tota quædam, & tamen non quanta, cum ea immateria-

(Imo datur tertium totum disjunctivum, v.g. *animal est aut homo aut brutum*; non, *& homo & brutum.* Nec *omnia animalia sunt & homines & bruta, sed aut homines aut bruta.* Multitudo vero omnium animalium est & homines & bruta. Aliud igitur sunt omnia animalia, aliud multitudo eorum. Aliud genus, aliud totum, Aliud totum distributivum, aliud collectivum.)

terialia esse dicant: partim etiam clarius manifestiusq; patebit ex iis, quæ infra dicturi sumus. Atq; ita constituto generaliter totorum numero, superest ut breviter dicamus & exemplis doceamus, quid utrunq; totum sit, Est ergo totum continuum nihil aliud nisi res una singularis, ut in naturalibus unus homo, unum animal, una arbor, una herba: In artificialibus una domus, una navis, unum plaustrum, una vestis, & similia. Totum autem discretum, nisi multitudo una rerum singularium simul acceptarum, ut populus Romanorum, exercitus Germanorum, genus animalium, species hominum, grex ovium, armentum boum, & alia hujusmodi tàm naturalia quàm artificialia. *Reliqua vero omnia quæ feruntur tota, ut totum essentiale, totum potentiale, totum integrale, totum universale, aut ad alterum horum duorum referantur & reducantur necesse est, aut si reduci non possint, ut prorsus in vera rerum natura non reperiantur, sed sint omnino falsa & commentitia.* Sed ut hæc quoq; tota quid sint, breviter intelligi possit, singulorum exempla ponemus, & quæ reduci aut non reduci possint, ostendemus. Totum essentiale est, ut homo, & lapis, & quodlibet aliud singulare, quatenus constat ex anima & corpore, vel ex materia & forma: Totum potentiale est, ut anima hominis ex vegetante, sentiente, movente, & intelligente vi, tanquam ex partibus suis quasi conflata, & alia hujusmodi quæ ex potentiis, vel virtutibus, vel qualitatibus componuntur: Totum integrale est ut iterum, homo quatenus compositus est ex capite, brachiis, ventre, cruribus, & quodlibet aliud singulare ex suis partibus continuis, vel discretis constans: Totum universale est, ut Dialectici volunt, quod dividitur vel in suas differentias, ut animal in rationale & irrationale, vel in sua individua, ut homo in Socratem, & Platonem, & alios homines singulares. Ex quibus totis sine dubio id quod dicitur essentiale, ad totum continuum reducitur, cum anima & corpus in homine, & materia & forma in aliis rebus non videantur posse dici discreta, atq; ideo totum hoc, quoniam continuum esse apparet, nec tamen vere est, à nobis appelletur quasi continuum: Totum autem potentiale ipsum quoq; cum aut continuum aut discretum necessario sit, potius ad discretum quàm ad continuum referendum videtur, & totum quasi discretum appellandum, ut anima humana suis, quas diximus, potentiis comparata: Totum vero integrale, licet ad utrunq; reduci possit, tamen est supervacaneum, & temere introductum, tanquam ab aliis separatum, cum omne totum ex suis partibus integretur, alioqui non sit totum, atq; ideo integrale non immerito dici possit. Quare cum integrale, nomen sit non modo non satis probum, sed etiam commune omnibus totis, ad nullum speciale totum fuit accomodandum. Postremo totum universale quod ab aliis

dicitur ἐν μέρεσι, & item illud quod vocatur πρὸ μερῶν, ex ſententia illorum qui ea poſuerunt, ſine ulla dubitatione nec ad continuum, nec ad diſcretum referri poſſunt, cum ſint, ut ipſi dicunt, ab omni quantitate aliena: cæterum, ut nos arbitramur, cauſa quamobrem ad neutrum reduci poſſunt, hæc eſt, quia non reperiuntur neque exiſtunt in vera rerum natura, ſed plane falſa ſunt & commentitia, ut in fine Capitis probabimus. Homo enim & animal & reliqua hujuſmodi quatenus genera vel ſpecies ſunt, nihil aliud ſunt niſi multitudines ſingularium ſimul & ſemel acceptorum, ut toties diximus, Univerſale vero, ita ut à Dialecticis ſumitur, & extra intellectum in rebus ponitur, nihil aliud eſt niſi nomen barbarum & vanum, cui nihil in re ipſa reſpondet niſi fictum &, ut ita dicam, Chimæricum. Nam de Ideis ſive totis ante partes, nihil dico, cum Ariſtoteles ea ſatis ſuperque labefactaverit. Sic igitur nos tantum duo in ſumma totorum genera ſtatuimus, continuũ & diſcretum, cætera vero omnia ad hæc reduci cenſemus, ut eſſentiale ſive quaſi continuum ad continuum, potentiale ſive quaſi diſcretum ad diſcretum, aut prorſus eſſe ſupervacanea & temere poſita, ut integrale, aut deniq; falſa & commentitia exiſtere, ut univerſale. Quæ cum ita ſint jam non difficile eſt videre, quot genera diviſionum, & partium, & compoſitionum ſint ſtatuenda. Nam ſi omne totum per compoſitionem ex partibus fit, & omnes partes per diviſionem ex aliquo toto emergunt, neceſſe eſt hæc quatuor, totum, partes, compoſitionem, & diviſionem inter ſe eſſe reſpondentia: & quot unius totidem quoque reliquorum genera reperiri. Quare cum tantum ſint duo ſumma totorum genera, neceſſario erunt etiam duo tantum partium, compoſitionum, diviſionumq; genera, nec plura nec pauciora. De quibus omnibus ſingillatim & breviter dicendum eſt, & primo de partibus quæ reſpondent totis. Omnis pars ex qua totũ conſtruitur, eſt aut continua, ut caput, venter, brachia, crura, & cæteræ animalis partes, ex quibus totum continuum componitur: aut quaſi continua, ut anima & corpus, ex quibus homo: & materia & forma, ex quibus cætera hujuſmodi tota quaſi continua conflantur: aut diſcreta, ut patritii & plebei in populo Romanorum, rationalia & irrationalia in genere animalium: & cæteræ id genus partes, ex quibus conſtant tota diſcreta: aut quaſi diſcreta, ut vegetans, ſentiens, & intelligens pars in animo, & aliæ ſimiles partes, totum quaſi diſcretum componentes. Hæc itaq; nos quatuor genera partium ſtatuimus, & non plura, quæ tamen ad duo poſſunt reduci, ſi partes quaſi continuæ ad continuas, & quaſi diſcretæ ad diſcretas referantur. Quod dixi de totis & partibus, idem etiam affirmo de diviſionibus & compoſitionibus, hoc eſt, totidem harum quot illorum eſſe genera. Eodem enim modo duo in ſumma diviſionum

sionum genera ponuntur à nobis, & non plura: unũ genus divisionis est, quod respondet toti cõtinuo vel quasi continuo; ut cum partimur hominẽ in caput, brachia, ventrem, crura: & domum in parietes, tectum & fundamenta: & eundem hominem in animam, & corpus & omnia corpora in materiam, & formam: Alterum vero genus divisionis est, quod respondet toti discreto, vel quasi discreto, ut cum dividimus vel populum Romanorũ in patritios, & plebeios: vel exercitum eorundem in turmas, & legiones: vel genus animalium sive animalia, sive animal, in rationalia & rationis expertia: & denique animam humanam in vegetantem, sentientem, & intelligentem. *Ex quibus duobus divisionum generibus, superius illud quod est totius continui vel quasi continui, proprie vocatur partitio: hoc vero posterius, quod ad totum discretum vel quasi discretum pertinet, commune nomen retinet, & apud Latinos proprie appellatur divisio.* Nam, ut recte scribit Quintilianus libro VII. Capite primo, Divisio est rerum plurium in singulas, Partitio, singularum in partes discretio. Et ante Quintilianum Cicero in Topicis ita scriptum reliquit, Partitionum autem, & divisionum genus, quale esset ostendimus, sed quid inter se differant, planius dicendum est. In partitione membra sunt, ut corporis, caput, humeri, crura, pedes, & cætera: In divisione formæ sunt, quas Græci Ideas vocant: nostri (si qui hæc forte tractant) species appellant. Sic itaque Quintilianus, & Cicero de divisione, & partitione: & post hos Rodulphus Agricola libro primo de Dialectica Inventione, capite nono idem dixit: Ex quorum verbis, & ex iis, quæ nos supra diximus, patet primo divisionem à partitione differre, quod partitio sit totius continui in partes, Divisio autem totius discreti præsertimque generis in formas, sive species: Deinde inter partes & formas hoc interesse, quod ex sectione continui partes gignuntur, ut ex partitione corporis humani, vel domus, vel navis: ex sectione autem totius discreti formæ, sive species efficiuntur, ut ex divisione generis animalium, generis arborum, & aliorum hujusmodi discretorum: ex quibus etiam apparet, nomen partis esse generalius, quam nomen formæ vel speciei: cum omnis forma, sive species sit & recte appelletur pars, non autem omnis pars, formæ & speciei appellationem recipiat. Non enim caput, & cæteras humani corporis partes recte quis formas, sive species hominis dixerit: neque vere puppim navis, aut tectum domus, speciem vel formam domus appellarit. Præterea constat etiam illud quod diligenter attendi, & memoriæ mandari cupimus, in eo enim omnis nostra veritas, & Dialecticorum falsitas consistit, Constat inquã *cum genera dividuntur in species sive formas, nihil aliud dividi, nisi quasdam multitudines singularium majores, & tota quædam discreta majora, in alias*

plures multitudines ſingularium minores, & in alia multa tota diſcreta minora: ut, cum animal dividitur in rationalia, & rationis expertia, ipſum animal nihil aliud eſt, nec quicquam aliud dividitur, niſi multitudo quædam ſingularium animalium maxima, quæ per diviſionem ſecernitur, in duas multitudines minores, hoc eſt, in multitudinem ſingularium animalium rationalium & in multitudinem ſingularium animalium ratione carentium. Quæ multitudines minores communiter partes, proprie autem formæ vel ſpecies ſuperioris illius generis, hoc eſt, multitudinis animalium appellantur. Atq; in dividendis generibus nihil aliud dividi, niſi multitudines quaſdam ſingularium, ex eo quoq; vel manifeſtiſſime licet intelligere, quod in dividendo animal exempli gratia, nihil refert ſive ita dicas, in ſingulari numero & figurate, animal aliud eſt rationale aliud irrationale, ſive in plurali & proprie ita, animalia alia ſunt rationalia, alia irrationalia: ſive ita, animalium alia ſunt rationalia, alia irrationalia: ſive ita, generis animalium alia ſunt rationalia, alia irrationalia: ſive ita, genus animalium dividitur in rationalia, & irrationalia: Et denique ſive loco generis ponas vocabulum multitudinis, & ita diviſionem facias, multitudinis ſingularium animalium alia ſunt rationalia, alia irrationalia: vel ita, multitudo animalium ſingularium dividitur in rationalia & irrationalia: ex quibus tam variis dividendi unius generis modis, luce clarius apparet, contra ſtultas & vanas Dialecticorum opiniones, genera, & ſpecies, atque etiam differentias, & quicquid tale dividitur, nihil aliud eſſe, niſi multitudines ſingularium majores, quæ dividuntur in plures alias multitudines ſingularium minores: eodem plane modo quo exercitus dividitur in turmas & legiones, legio in plures cohortes, cohors in plures manipulos. Et cum genera ſine ulla dubitatione ſint multitudines ſingularium, & tota quædam diſcreta, tàm falſum & abſurdum eſt, dicere genus prædicari de ſpecie in recto caſu, quàm ſi quis diceret, & populum de uno cive, & exercitum de uno milite dici in eodem caſu, hoc modo, unus civis eſt populus, unus miles eſt exercitus: utrobique enim ſunt multitudines ſingularium, nec alia eſt differentia, niſi quod ſupra multa ſunt animalia ſingularia, hic vero multi cives, & multi milites ſingulares. Namq;, ut etiam ſupra docui, cum dicitur *homo eſt animal*, in hac enuntiatione, nec homo eſt ſpecies, nec animal eſt genus, nec ea quicquam aliud *ſignificatur proprie*, niſi *unũ hominẽ eſſe unum animal*, hoc eſt, unum ex genere, ſive ex multitudine, ſive ex numero animalium. Quam generis diviſionem ideirco pluribus explicandam putavi, ut oſtenderem cum genera dividuntur, non univerſalium, ut Dialectici putant, ſed multitudinis ſingularium, atque individuorum fieri diviſionem: cujus ignoratione, natum

natum est illud longe absurdissimum & stultissimum, quod & Aristoteles scribit in Topicis, & Boethius in secunda Editione in Porphyrium confirmat. Nempe differentiam non prædicari de genere, & non recte dici, animal est rationale, cujus rei causam assignantes, inquiunt, Quoniam eadem ratione recte dici posset, animal est irrationale, atque ita sequeretur, magnum quoddam, ut ipsi putant, absurdum, hoc est, animal unum & idem existens, eodem tempore esse & rationale & irrationale, & propterea id, quod fieri non potest, ut duo contraria eodem tempore, in eodem subjecto reperirentur. Et quoniã animal solitario intellectu, ut inquit Boethius, neq; rationale est, neque irrationale: rursus oritur alia magna dubitatio, unde ergo hæ differentiæ in specie nascuntur, quæ in genere ante non fuerint? Idcirco huic dubitationi respondet idem Boethius, hoc modo, Genus, hoc est, animal nõ esse actu utrunque, & rationale & irrationale, sed utrunque vi ac potestate sua continere: ut differentiæ, quæ ante divisionem non actu, sed potentia tantum erant in genere, per divisionem quasi exoriantur, & exurgant ex genere, & actu in speciebus reperiantur. Hac inquam ratione Dialectici, rationale & irrationale de animali, & omnino omnes alias differentias de suis generibus prædicari, & dici nullo pacto volunt: & hanc, quam dixi, rationem afferunt, cur differentiæ, quæ ante in genere non fuerant, postea per divisionem quasi de nihilo in speciebus enascantur. In cujus rationis, & causæ redditione Dialectici, Dii boni, quantam præ se ferunt ignorantiam & ruditatem, qui non sentiunt nec intelligunt, in quantos quamque fœdos errores incidant, dum assidue ineptiunt & delirant, una cum illis suis sexcenties stultis universalibus, & dum plusquam stolidissime putant, animal illud, quod dividitur in rationale & irrationale, esse tanquam unum totum continuum & singulare, in quo contraria duo simul & semel esse non possint. At ego contra dico & affirmo, id animal quod dividitur in duas differentias contrarias, vere esse multitudinem quandam singularium, & totum quoddam discretum, ex singularibus & speciebus, quæ & ipsæ ex singularibus constant, compositum: cujus pars una habet rationem, altera ratione caret: nec ullum sequitur inconveniens, aut impossibile, dicendo animal esse rationale, & animal esse irrationale, non magis quam cum dividimus populum in pauperes & divites cives, & exercitum in albos & nigros milites; & vere dicimus figurate populum esse pauperem, & populum esse divitem; exercitum esse album, & exercitum esse nigrum: eo quod una pars populi pauper est, alia dives: & pars una exercitus alba est, altera nigra. Eodem enim modo cum dividitur animal figurate acceptum pro omnibus animalibus, in rationale & irrationale, nihil aliud dividitur pro-

propriè, nisi multitudo singularium animalium. Ex qua divisione quod obsecro inconveniens, aut quod impossibile sequitur, in tanta singularium animalium multitudine, si alia sunt rationalia, hoc est, homines? alia irrationalia, hoc est, bruta? & si eadem multitudo simul semel est rationalis, ut dixi, & irrationalis non solum potestate, sed etiam actu? profecto nullum. Sed ita est re verâ, ut dicitur: cum semel concessum est unum absurdum, statim ex necessitate multa alia consequuntur. Sic enim Dialectici posteaquam temere statuerunt suum illum totum universale portentosum, & ipsum stulte putaverunt esse quiddam à singularibus per intellectum abstractum, & propterea ab eis diversum, quasi totum quoddam singulare & continuum, non potuerunt effugere si fatentur animal simul & rationale & irrationale esse, quin concederent etiam duo contraria simul in eodem subjecto reperiri, Quo concesso, ut reddere rationem possent, quomodo differentiæ, quas antea in genere non esse arbitrantur, per divisionem in species pervenirent, coacti fuerunt excogitare remedium actus & potentiæ, dicentes, Differentias esse in genere potentia, non actu: sed genere diviso statim eas, ex potentia in actum exire, & in speciebus residere. Hæc illi: quæ usque adeo sunt absurda & futilia, ut valde mirer, quomodo non solum literis mandari, ut à tam multis mandatæ sunt, sed etiam in humanum ingenium unquam cadere potuerint. Animal enim sive animalia, sive genus animalium revera simul & semel & rationale est, & irrationale, non solum potentia, sed etiam actu, hoc est, ut ante dixi, una ejus pars est particeps rationis, nempe homines, altera vero rationis expers, videlicet bruta. Atque ita dicendo ad solvendum illam dubitationem nihil necesse est incassum excogitare quasi medicinam actus, & potentiæ, nec quicquam opus est temere vereri, ne duo contraria simul in eodem subjecto consistant. Hoc igitur est illud absurdissimum & stultissimum, in quod supra dixi, & Aristotelem, & Boethium, & omnes Dialecticos præcipitasse, dum excogitant & introducunt suum illud, plusquam monstrosum & stultum totum universale. Quæ omnia nos incommoda & absurda, facile vitamus abjiciēdo & deridēdo illud universale, ut meretur, & statuendo affirmandoq; animal, & cætera genera quemadmodum sunt, sic etiam esse veras multitudines singularium, & tota quædam discreta, quæ cum dividuntur, nihil aliud dividitur nisi multitudo, & eorum divisio nihil aliud est nisi multorum singularium in partes deductio. Sed ut redeam unde discessi, tot sunt genera divisionum, ut dixi, & ita ut ait Quintilianus libro VII. inter se differunt divisio & partitio, ut partitio sit totius continui, & tanquam continui in partes: Divisio vero totius discreti præsertim generici, & totius quasi discreti in species, sive formas.

Quo

Quo cognito non difficile eſt intelligere, quot itidem ſunt genera compoſitionum, & quomodo ex quibuſq; fiant. Nam quemadmodum totum continuũ, & quaſi continuum per partitionem reſolvitur in partes continuas, ſic idem per compoſitionem ex eiſdem partibus redintegratur: & rurſus quemadmodum totum diſcretum maxime genericum, ac totum quaſi diſcretum per diviſionem diducitur in ſpecies ſive formas, ſic idem quoq; per compoſitionem ex eiſdem ſpeciebus ſive formis reficitur. Atq;, ut melius quod dico intelligatur, quemadmodum ex diviſione animalis oriuntur formæ, ſive ſpecies, ſive differentiæ, ut rationale & irrationale, ſic ex compoſitione eorumdem rurſus quaſi conflatur animal, ſive genus animalium. Sicq; hactenus oſtenſum ſit in ſumma eſſe tantum duo genera totorum, hoc eſt, totum continuum, quod eſt, unum ſingulare & individuum: & totum diſcretum, quod eſt multitudo ſingularium: & tantum duo genera partium, unum quod toti continuo, alterum quod toti diſcreto reſpondet: ſimiliterq; eſſe tantum duo genera diviſionum, hoc eſt, partitionem, quæ ad totum continuum, & diviſionem, quæ ad totum diſcretum refertur. Itemq; duo genera compoſitionum, unum quo ex partibus totum continuum, alterum quo ferè ex formis vel ſpeciebus totum diſcretum quaſi regeneratur. *Præterea totum eſſentiale ad totum continuum referri, & quaſi continuum vocari. Totum vero potentiale ad totum diſcretum reduci, & appellari quaſi diſcretum. Totum autem integrale tanquam ſeparatum ab aliis non recte poſitum fuiſſe, eo quod omnia tota ex partibus ſuis integrantur*, atq; ideo integralia recte vocari poſſunt. Ad hæc totum illud quod vocant univerſale, quia nec ad totum continuum, nec ad totum diſcretum, nec ad ullum totum referri poteſt, idcirco verum totum non eſſe, ſed fictum & commentitium, atque ideo à numero totorum prorſus rejiciendum. Poſtremo genera vera, & ſpecies veras diviſibiles, nihil aliud eſſe, niſi multitudines ſingularium, tùm majores tùm minores, ita ut cum dividitur animal, ſive genus animalium, nihil prorſus aliud dividatur, niſi multitudo omnium ſingularium animalium: tum etiam rectiſſime veriſſimeque dici, animal eſſe rationale, & rurſus animal eſſe irrationale, non ſolum in potentia, ſed etiam in actu, nec ullum eſſe periculum ne duo contraria ſimul & ſemel in eodem ſubjecto reperiantur: quemadmodum Dialectici ſtulte nimis & imperite reformidant: atq; ideo remedium illud actus, & potentiæ excogitarunt, quod jam non ſolum eſt imperitum & ſtolidum, ſed omnem adeo imperitiam ſuperat & ſtoliditatem. Ac de totis, partibus, compoſitionibus, & diviſionibus ſatis jam dictum arbitrarer, niſi mihi ſuccurreret Rodulphus Agricola, qui in primo libro de Inventione Dialectica, Capite nono, docens quomodo totum & genus differant, ita

ſcribit

ſcribit, Sed hoc differunt quod quemadmodũ genus ad conſtituendam ſingularium ſpecierum ſubſtantiam adſit oportet, ſic totum non ſingularium partiũ ſubſtantiam conſtituit, pleręq; earum, ut interierit totum, permanere tamen poſſunt, & contra quemadmodũ ad conficiendam totius ſubſtantiam unamquanq; partium eſt adhiberi neceſſe, ſic ad explendã generis ſubſtantiam non utiq; unamquanq; ſpeciem adeſſe natura illius expoſcit, Præter hoc quoq; genus de ſpeciebus ſuis affirmatur, totum de partibus nequaquam. Hæc Rodulphus, in quibus Vir ille alioqui doctiſſimus penè tot errata admiſit, quot verba ſcripſit: atq; ideo breviter refutandus mihi viſus eſt. Putat Rodulphus unà cum Pſeudophiloſophis omnibus ad conſtituendam ſingularum ſpecierũ naturam genus adeſſe oportere: Atq; ego contra, dico id eſſe abſurdiſſimum, nam ſi ita eſſet, ſequeretur ad conſtituendam hominis naturam totum genus animalium requiri, & ita homo non ſolum ex rationali, ſed etiam ex irrationali parte generis animalium conſtitueretur, atq; adeo conflaretur ex omnibus ſingularibus animalibus, quod quàm ſit abſurdum & ſtultum quis non videt? At enim inquiunt, ad definiendum hominem nonne aſſumitur animal loco generis? quod unà cum differentia rationali & mortali hominem conſtituit, hoc modo, homo eſt animal rationale mortale? Reſpondeo in ea definitione, ſi homo, & animal accipiuntur proprie, nihil aliud ſignificari, niſi unum hominem eſſe unum animal rationale mortale, & ſic proprie non eſt definitio generis hominum, ſed unius tantum hominis: ſin capiantur figurate & improprie, ut in omnibus ferè definitionibus capi ſolent, ut homo pro hominibus, & animal pro animalibus ponatur, tum eâ oratione hoc declarari, hominem, ſive homines, ſive omnes homines, ſive hominum genus eſſe animalia ratiõalia mortalia. Et hoc modo eſt vera definitio: ita enim exponi debent omnes definitiones, quæ in ſingulari numero aſſignantur, ut partim ſupra docui, partim etiam infra ſum docturus in Capite de Definitione. Ex quo patet falſum eſſe id quod Rodulphus primo dicit, ad conſtituendam ſingularum ſpecierum naturam genus adeſſe oportere, niſi forte intelligat, tantum de parte generis, quo in caſu verum diceret, non enim poteſt effici ſpecies ſine genere, cum ſit pars generis, ſed ipſe ſibi hanc excuſationem præcidit, quia intelligit totum genus ad ſpeciei conſtitutionem requiri, alioqui non differret à toto continuo. Præterea dico contra Rodulphum ad explendam generis ſubſtantiam, tam neceſſe eſſe unamquanq; illius partem adeſſe, quam ad perficiendam totius continui ſubſtantiam. Nam ſi generi animalium, exempli cauſa, defuerit una tantum ſpecies, puta bovis vel equi, nunquam perfectum erit genus, nec perfecte genus appellari poterit, non magis quam domus & navis perfecta, ſi huic carina,

illi

illi fundamentum abſit. Poſtremo illud quoq; adverſus Rodulphum affirmo, nullum genus unquam de ſuis ſpeciebus affirmari in recto caſu, nec magis falſum eſſe, ſi quis dicat, fundamenta eſſe domum, aut carinam eſſe navem, quàm ſi affirmet, hominem eſſe animal, & lactucam eſſe herbam, ſi animal pro genere animalium, & herba pro genere herbarum, in his propoſitionibus accipiatur. Quare in illis Rodulphi verbis tria maxima & abſurdiſſima ſunt errata, quorum unum eſt, totum genus ad conſtituendam ſingularium ſpecierum ſubſtantiam adeſſe oportere, alterum ad explendam generis ſubſtantiam non omnes ſpecies adeſſe neceſſarium eſſe, tertium & ultimum, genus vere de ſuis ſpeciebus in recto caſu affirmari. Quæ omnia Rodulphus inconſiderate à Pſeudophiloſophis accepit, & unà cum eis in profundiſſimum erroris quaſi barathrum delapſus eſt. Nam quemadmodum illi in loquendo nimium imperite, ut ſupra dixi, non diſtinguunt res à verbis, nec verba à rebus, nec ſermones figuratos à propriis, nec proprios à figuratis : ſic ipſe quoq; in hujuſmodi enuntiatis, ut homo eſt animal, accepit vocem generis proprie pro ea re, quæ eſt genus, hoc eſt, vocem animalis pro ea re, quæ eſt animal, & eandem vocem proprie tanquam figurate uſurpatam intellexit : ſi enim ita eſſet, ut ipſe exiſtimavit, ſine dubio vera eſſent quæ ab eo dicuntur. Nam & vox animalis proprie dicitur de ſpeciebus animalis in recto, ut cum dicitur, homo eſt animal, & eadem vox animalis figurate accepta ſignificat genus animaliũ, ut cum dicitur animal eſt ſubſtantia animata ſentiens, hoc eſt, omnia animalia ſive genus animalium, ſunt ſubſtantiæ animatæ ſentientes: & tertio loco eadẽ vox ad definiendum ſingulas animalis ſpecies tota requiritur, ut homo eſt animal, bos eſt animal, leo eſt animal, & ſic cætera. Quod ſi in his omnibus locutionibus, quas dixi, non de vocibus, ſed de rebus intelligeretur, & proprie ſemper voces acciperentur, ex veriſſimis ſtatim efficerentur falſiſſimæ, non enim animal ut res vera & genus verum eſt, de homine dicitur in recto, ſed ut vox & vocabulum generis exiſtit. Quare caveant qui recte philoſophari cupiunt, ne unà cum Rodulpho, & Pſeudophiloſophis ita decipiantur, ut & voces pro rebus, & ſermones proprios pro figuratis accipiant. Hæc enim res primo Ariſtotelem decepit, & poſt Ariſtotelem omnes qui eum ſecuti ſunt in eundem pertraxit errorem: quia non animadverterunt totum & genus aliquando eſſe voces multa ſignificantes, aliquando vero non voces, ſed res multisnominibus præditas. Nam totũ modo accipitur pro voce totius modo pro re, quæ eſt totum: & hæc eadem res modo eſt totũ continuum, quod proprie dicitur totum, modo totum diſcretum, quod privatim appellatur genus, vel multitudo. Atq; ita & cõmunis loquendi conſuetudo, & doctiſſimi quiq; viri

tam Græci, quam Latini in ſua utrique lingua uſurpant. Et quoniam de totis continuis & diſcretis, eorumq; cõpoſitionibus & diviſionibus locuti fuimus, illud quoq; poſt omnia non ignorari volumus, omne totum diſcretum ex multis totis continuis, vel ſaltem ſingularibus eſſe compoſitum, & inter omnia tota diſcreta multo nobiliora & excellentiora eſſe ea, quæ appellantur genera & ſpecies, & ex generibus & ſpeciebus ea eſſe præſtantiora, quæ ſunt naturalia & eſſentialia eis, quorum ſunt genera & ſpecies, ut genus animalis omnibus hominibus, & ſpecies hominis omnibus ſuis individuis. Nã Thebanus & Trojanus, ſpecies quidem hominis ſunt, ut recte inquit Cicero, ſed accidentales & extraneæ, non naturales & eſſentiales, ſicut illæ ſuperiores. Quod quanquam ita ſit, non propterea tamen minus recte & ſunt & appellantur ſpecies, quàm quæ naturales & eſſentiales exiſtant. Idemque ſentiendum eſt de generibus, non minus vere & eſſe & appellari genera, quæ ſunt accidentalia, & quodammodo extranea, ut homo comparatione Thebani & Trojani, quam naturalia & eſſentialia, ut animal homini, & vivens animali comparatum. Infra enim in Capite de Genere inter alias generis & ſpeciei differentias, docebimus etiam eſſe illas duas, ut ex iis, quæ vere appellantur genera & ſpecies, alia naturalia & eſſentialia ſint, alia accidentalia & extranea. Quod idcirco monitum eſſe volui, ut tollerem ſtultam illam, & imperitam opinionem Philoſophaſtrorum, qui pro certo putant, nulla eſſe vere genera, niſi naturalia & eſſentialia, & nullas vere ſpecies, niſi naturales & eſſentiales. Atque etiam, ut reſponderem quibuſdam ineptis *qui Ciceronem reprehendunt, eo quod Thebanos & Trojanos hominis ſpecies eſſe dixerit*, cum Cicero rectiſſime & doctiſſime, illi vero perverſiſſime & indoctiſſime ſenſerint. Sed ut redeam unde diſceſſi, hoc quoque notum eſſe volumus, ex omnibus totis diſcretis nullum eſſe majus & capacius quam genus rerum, ſive res: eo quod complectitur & comprehendit omnia ſingularia cujuſcunq; generis, quæ ſunt in mundo, & vox rei de omnibus, quæ ſunt aliquo modo vere dicitur & affirmatur. Atque ideo res, ſive genus rerum maxime proprium, & maxime verum eſt genus, contra falſiſſimam & ſtultiſſimam Dialecticorum opinionem, qui dicunt res, ſive ens non eſſe genus, vel ſaltem non eſſe verum genus, cum ſit & certiſſimum & ſummum genus, atque adeo genus omnium generum, intelligendo genus pro re, quæ vere eſt genus, hoc eſt, pro multitudine omnium ſingularium rerum, quæ in quocunque genere continentur. In mundo enim proprie non eſt, nec reperitur ullum aliud genus, niſi multitudo ſingularium, ut etiam dicemus in Capite de genere. Ab hoc igitur ſummo & veriſſimo genere quod eſt genus rerum, exordiũ capit & incipit ſumma & prima diviſio totorũ diſcre-

discretorum in partes discretas, hoc est, in species sive formas, & ab eo deorsum versum currens per omnia genera inferiora & minora, tandem pervenit usq; ad singularia & individua, & ibi consistit. Sic ut ubi desinit divisio discretorum, ibi initium sumat partitio continuorum, hoc est, singularium singillatim acceptorum, quæ non amplius in formas sive species, sed in partes rursus continuas & imperfectas secantur, ut infra ostendetur, cum refutata illa falsissima & absurdissima Dialecticorum arbore prædicamentali, nostram veram & rectam arborem generum & specierum ab ea longe diverso modo descriptam, omnibus inspiciendam & dijudicandam proponemus. Ex qua quidem una cum iis omnibus, quæ supra fuere dicta de totis & partibus, divisionibus & compositionibus apertissime constabit, omnibus modo non obstinatissimis, & veritatem scire recusantibus, quam falso & imperite de his ipsis rebus scriptum ac sensum fuerit, partim ab Aristotele in quarto τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ, in Capite de toto & parte, partim à Boethio pene in toto eo libro, quem composuit de divisionibus, partim ab Eustratio in suis Commentariis super primo Ethicorum Aristotelis, ubi loquitur de totis: partim etiam à nonnullis aliis tam Græcis quam Latinis, subinde ingerentibus, & inculcantibus nobis tota quædam monstrifica & portentosa, quæ nusquam sunt in vera rerũ natura: atque in primis totum illud quod sic affirmant esse πρὸ μερῶν, hoc est, ante partes suas, ut non sit ἐκ μερῶν, hoc est, ex partibus: Cujusmodi feruntur esse Ideæ illæ Platonis, sive Socratis, vanæ & inanes: Atque ideo non immerito ab Aristotele refutatæ tot in locis, & ab Aristophane Poeta suaviter derisæ ἐν ταῖς νεφέλαις. Deinde etiam illud totum, quod ipsum quoque asserunt ita esse ἐν μέρεσι, hoc est, in partibus, ut non sit ἐκ μερῶν, hoc est, ex partibus, qualia dicuntur esse universalia realia Aristotelis, partim à nobis supra, partim etiam ante nos à Nominalibus jure optimo refutata, tanquam multo magis falsa, magisque absurda, quam Ideæ Platonis. Quæ quidem duo totorum genera, quamvis utraque non solum falsa sint & absurda, ut dixi, sed etiam inintelligibilia & incomprehensibilia: Nam per Deos immortales, quis unquam cogitare possit, aut intelligere totum quoddam, quod sit ante partes suas, & non constet ex partibus suis? quasi dicas reperiri, & esse in rerum natura, aut hominem aliquem, qui sit ante caput, pedes, brachia, ventremque suum: aut arborem aliquam, quæ existat ante radices, truncum, ramos, foliaque sua: aut domum aliquam, quæ constet ante fundamentum, parietes, tectumque suum: aut navem aliquam, quæ consistat ante proram, puppim, carinam, lateraque sua: aut quamplurima hujusmodi, quæ ita sint, ut dixi, ante partes suas, ut ex illis nullo pacto constent. Et rursus quis unquam

animo comprehendat, aut satis percipiat, extare in eadem rerum natura totum aliquod, quod ita sit in partibus suis, ut tamen non constet ex illis? quale ajunt esse universale reale Aristotelis, non aliter, nec alio modo, quam si affirmarent esse in mundo, aut hominem aliquem, qui esset in capite, pedibus, brachiis, ventreque suo, & tamen non esset compositus ex eis: aut arborem unam, quæ esset in radicibus, trunco, ramis, foliisque suis, & tamen non constaret ex ipsis: aut domum aliquam, quæ sit in fundamento, parietibus, tectoque suo, nec tamen componatur ex iis: aut navem aliquam, quæ esset in prora, puppi, carina, & lateribus suis, & tamen ex illis non constaret: Quamvis inquam hæc duo totorum genera, utraque talia sint, ut dixi, *tamen multo minus falsæ magisq; ferendæ sunt Ideæ Platonis, quam universalia Aristotelis. Plato enim sive Socrates apud Platonem in Parmenide, non tam ut Philosophus gravis & severus, quam ut Poeta lepidus & facetus, nec tam serio ex animoq; loquens, quam ludo & joco scribens, ut delectaret Lectores, videtur introduxisse Ideas suas, non aliter quam Poetæ fingunt, Scyllas, Chimæras, & Centauros suos.* At vero Aristoteles contra, tanquam tristis & tetricus philosophus, & omnino quidvis aliud potius quam Poeta, non jocans, neque ludens, sed maxime serio, maximeque ex animo loquens ac scribens, non solum sine ulla Lectoris delectatione, sed cum maxima ingeniorum quasi excarnificatione, partim in Libro Περὶ ἑρμηνείας, partim in Posterioribus Analyticis, partim etiam alibi ita inducit & confundit universalia sua, ut non tanquam res, quæ falsæ sunt, quales sunt Ideæ Platonis, & figmenta Poetarum, tamen aliquo modo mente comprehendantur, sed tanquam res, quæ omnino sint incomprehensibiles nullo pacto intelligi, aut percipi posse videantur. Quamobrem nos utroque horum totorum ejecto & explosо, tantummodo recipimus, retinemus & approbamus totum illud quod vocant ἐκ μερῶν, hoc est, ex partibus, qualia sunt omnia tota continua & quasi continua, discreta & quasi discreta, quæ supra à nobis fuerunt constituta, & eadem quoque aliis omnibus, qui recte philosophari cupiunt, recipienda, & retinenda, & approbanda censemus.

FINIS LIBRI PRIMI.

MARII

MARII NIZOLII BRIXELLENSIS

De veris Principiis, & vera ratione Philosophandi, contra Pseudophilosophos, & simul de falsis eorum principiis.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

De vere Philosophico & oratorio genere, & de vera ejus definitione: contra falsum genus dialecticum, & falsam ejus definitionem.

IN superiore Libro satis præclare videmur jeciſſe fundamenta totius futuri operis nostri: non enim poteramus docere reliqua philosophandi principia nostra esse vera, nec demonstrare illa Adversariorum esse falsa, nisi prius distinctis generibus nominum, & diligenter explicatis eorum significationibus: Ut appareret in primis & genus & speciem esse vocabula collectiva, multitudinem singularium proprie semper significantia, & simul quomodo locutiones figuratæ differrent à non figuratis, & enuntiationes simplices à non simplicibus: Ut intelligeretur quomodo appellativa simplicia vel posita vel enuntiata, significent modo genus, modo non genus, modo unum, modo plura. Deinde similiter divisis & explanatis rerum generibus veris, & radicitus eversis universalibus realibus, eorumque ponendorum causis: Ut constaret in quarto divisionis nostræ rerum membro, statuendas esse multitudines rerum singularium, non universalia, sive universales naturas, ut Pseudophilosophi falso simul & stulte existimant. Postremo vero constitutis in summa tantum duobus generibus totorum, partium, divisionum & compositionum: ut totum universale, quod vocant, & ejus partes, divisio universalis & ejus cõpositio ab omni totorũ, partiũ, divisionum, compositionumque

numero ac consortio ejicerentur : quæ omnia satis jam à nobis probata esse arbitramur. Quare nunc jam constitutis hisce primis & maximis recte philosophandi principiis, & eversis totidem fundamentis falsitatis Adversariorum, jam accedemus ad vulgatissima illa & eadem stultissima Dialecticorum principia, hoc est, ad quinq; universalia, sive quinq; prædicabilia, sive quinque voces, ut Græci vocant, Porphyrii, Quæ sunt exempli causa, ut ipsi dicunt, genus ut animal, species ut homo, differentia ut rationale, proprium ut risibile, accidens ut album. Et ostendemus ea omnia à Pseudophilosophis fuisse male exposita, pejus definita, & paulo minus quàm tota falsa, Initium sumentes à genere, tanquam à capite omnium falsissimo. Si prius tamen docebimus quid proprie significetur vocabulo generis, & quænam sit vera generis definitio, & denique quot & quinam sint veri generis modi, sive differentiæ, sive species, ut quemadmodũ antea fecimus sic hic quoq;, prius doceamus nostra vera, quàm aliorum falsa refutemus. Itaque dico & *affirmo voce generis apud Latinos & τῦ γένους apud Græcos recte loquentes, nihil aliud proprie significari, nec intelligendum esse, nisi multitudinem quandam sive totum discretum, ex omnibus suis speciebus tàm individuis quàm dividuis compositum* : quod communiter latine genus, græce γένος dicitur, Et nullum omnino reperiri genus in mundo, sive id rerum civilium sit, sive naturalium, sive mathematicarum, sive ad sermonem orationemq; pertinentium, sive aliarum quaruncumque quod proprie non sit multitudo aliqua singularium, & totum quoddam discretum ex singularibus constitutum. Quam ad rem probandam primum sumo mihi id, quod etiam supra dixi, & probavi in Capite de nominibus collectivis, Nempe generis nomen vere esse collectivum, & inter collectiva vere numerandum, quo fit ut non possit non significare plura, tàm in singulari numero quàm in plurali : & si plura significat, quomodo quæso potest non etiam habere significationem multitudinis? certe non potest. Præterea illud quoque ad idem probandum affero ubicunque in oratione ponitur vox generis, ibidem ferè etiam recte poni posse nomen multitudinis. Ferme enim nihil refert aut differt communiter loquendo, utrum dicatur non solum universum genus Heraclidarum, an universa multitudo Heraclidarum : universum genus Tantalidarum, an universa multitudo Tantalidarum, & alia hujusmodi genera, quæ Porphyrius in primo suo generis modo ponit, & aperte fatetur esse multitudines : sed etiam universum genus hominum, an universa multitudo hominum : universum genus animalium, an universa multitudo animalium : universum genus colorum, an universa multitudo colorum : universum genus triangulorum, an universa multitudo triangulorum : & eodem modo in aliis hujusmodi locutionibus.

Quod

Quod idem postremo confirmatur authoritate Ciceronis in primo de Inventione, cum definiens genus ita inquit, Genus est quod plures amplectitur partes, ut animal. Nam si genus totum quoddam non esset, quomodo plures amplecteretur partes? & si totum quoddam est, aut continuum sit necesse est, aut discretum: nam supra docuimus omnia vera tota ad duo hæc referri, & totum quod dicitur universale esse falsum & commentitium. Sed genus totum continuum esse non potest, ut etiam Dialectici confitentur, ergo discretum est, & si discretum, ergo multitudo. Quamobrem si nomen generis vere collectivum est, ut certe est, & proprie semper significat plura, & si ubicunque ponitur nomen generis, ibidem ponere licet nomen multitudinis, & si deniq; genus totum quoddam est, & totum discretum, & multitudo quædam, authore etiam Porphyrio, ut diximus, profecto ex his omnibus manifestissime convincitur, vocem generis tàm in sermone communi quàm apud Scriptores recte loquẽtes, tàm Græcos quàm Latinos, proprie nihil aliud significare, nisi multutidinem quandam talem, & totum quoddam discretum tale, ex qua & ex quo si auferantur omnia singularia, ex quibus constant, & composita sunt: non magis præterea quicquam remaneat aut supersit ex genere, quàm ex populo, si auferantur omnes singulares populares, & de exercitu si tollantur omnes singulares milites. Ac talis quidem multitudo, & tale totum discretum, ut diximus & affirmavimus, proprie significatur vocabulo generis, tàm apud Græcos quàm apud Latinos, ut dixi, recte loquentes, cujus potestas ac significatio refertur atq; extenditur ad omnia singularia ejus multitudinis & totius discreti, cujus sunt singularia, non solum præsentia, sed etiam præterita & futura, ut infra docebimus, cum respondebimus ad objecta Adversariorum. Nunc ex iis, quæ hactenus dicta sunt, facile intelligi posse arbitror, in definiendo genere quæ vox, & quæ res generis loco maxime poni debeat; nam si quamlibet diligenter quæras, & omnem vocum ac rerum seriem percurras, nullam unquam nec vocem, nec rem invenire poteris, quæ sit ad definiendum genus accommodatior, quam vocem multitudinis & totius discreti, & quam ea res, quæ vere est multitudo & totum discretum. Cum autem dico in definiendo genere, per genus, intelligi volo non vocem & nomen generis, nec cogitationem aut conceptum generis, sed eam rem, quæ extra vocem & cogitationem vere est genus. Aliud est enim vox ipsa quâ utimur in definiendo genere, aliud cogitatio & tanquam vox mentalis rei definiendæ, aliud res ipsa vera, quæ definitione exprimitur, & voce ac cogitatione repræsentatur. Atque ut quod dico exemplis manifestius fiat, si velim definire vocem hominis, sive hominem ut est in voce, ita dicam, Homo, exempli gratia, est nomen appellativum simplex,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [163] - 95

plex, proprie ſignificans eam rem, quæ eſt homo. Sin libeat non vocem, qua homo profertur, ſed cogitationem, qua concipitur definitione oſtendere, ſic dicam, Homo eſt notio, qua tanquam in ſpeculo menti noſtræ repræſentatur animal rationale mortale. Quod ſi non vox hominis, nec cogitatio ejus, ſed ea res, quæ vere eſt homo definienda mihi ſit: rurſus aliam definitionem afferam, & ita dicam, Homo eſt animal rationale mortale. Ut manifeſte appareat aliud eſſe vocem rei, aliud cogitationem ejus, aliud rem ipſam definire. Qua de re idcirco Lectores admonendos putavi, ut intelligant, in definitione generis aliarumq; rerum, duo maxima vitia potiſſimum eſſe vitanda. Quorum unum eſt, ne vox generis pro ea re, quæ eſt genus definiatur: in quod vitium definiendi maximum, & turpiſſimum primo Ariſtoteles in Topicis, deinde Porphyrius in Iſagoge, poſtea Dialectici, & Pſeudophiloſophi omnes Ariſtotelem Porphyriumq; ſecuti turpiſſime ceciderunt. Nam volentes definire, quid eſt genus, & dicentes, genus eſt quod dicitur de pluribus & cætera, attulerunt definitionem vocis generis, non rei, quæ eſt genus: & in ſumma in duobus prope millibus annorum, cum nunquam laborare deſtiterint in definiendo genere, tandem nihil aliud definierunt, niſi vocem generis, hoc eſt, nomen appellativũ Grammaticorum, ut paulo infra magis clare oſtendemus, cum labefactabimus definitionẽ generis, à Dialecticis & Pſeudophiloſophis traditam. Alterum definiendi vitium eſt, cum non vox quidem rei, ſed cogitatio & conceptio rei in mente, pro re ipſa vera definitur: in quod vitium cum alii multi ſæpe lapſi ſunt, tum in primis Stoici, qui (ut teſtatur Laertius in Zenonis vita) cum vellent definire genus, dixerunt, Genus eſſe conceptionem plurium & manentium notionum. Qua in definitione rurſus ſicut in illa ſuperiore, non definitur genus ut res quædam vera exiſtit extra mentem animamque poſita, ſed ut res cogitata, mente animoque concepta. Quod non eſt verum, neque proprium definiendæ rei genus. Itaque quemadmodum Ariſtoteles, & ſuperiores illi turpiter erraverunt, quia vocem rei pro re ipſa definierunt; ſic Stoici vehementer peccaverunt, quia definitionem generis afferre volentes, non rei ipſius definitionẽ attulerunt, ſed cogitationis atq; conceptus rei. Vera enim eſſentia, quæ definitione explicanda eſt, non in vocibus oris, nec in conceptis mentis eſt, ſed in rebus ipſis extra vocem mentemque conſiſtantibus, *ut definitiones proprie rerum ſint, non vocum,* neque nominum, ut

(Imo vero *definitio* nihil aliud quam accurata nominis explicatio eſt.)

recte inquit Galenus in ſecundo de Differentiis pulſuum, neq; cogitationum atque conceptuum, ut nos quoque ad Galeni ſententiam addimus. Quod uſq; adeo verum eſt, ut etiam ſi vox aliqua, aut conceptus definiatur, tamen non ut vox, neque ut conceptus, ſed ut res aliqua definiri videatur. Quibus ita

tanquam

tanquam fundamentis quibuſdam jactis, nunc aggrediamur ad definiendum genus vere, & ante omnia doceamus, quot modis accipiatur vox generis, & quot ſignificet: ne nos quoq; incidamus in aliquod unum ex illis duobus definiendi vitiis, quæ ſupra fuerunt à nobis reprehenſa. Quare dicimus vocem generis ſicut omnes alias fere tribus modis accipi, & tria ſignificare poſſe: primo enim accipitur pro ſe ipſa, hoc eſt, pro hac voce, genus, ſive ut Græci dicunt, τὸ γένος, ſive ut Dialectici barbari loquuntur, ly genus; & ſic genus nihil aliud eſt, niſi vocabulum ex quinque literis & duabus ſyllabis conſtans: quo ſignificatur vox animalis, vox herbæ, vox arboris, & cæterorum hujuſmodi generum appellationes. Animal enim & herba & arbor, generum voces ſunt. Deinde ſumitur pro voce generis, ut hæc vox animal, hæc vox arbor, hæc vox herba, & cæteræ, quibus ſignificantur eæ res, quæ extra vocem, & mentem, & ſcriptum vere ſunt genera. Et hoc modo genus eſt nomẽ appellativum ſimplex figurate ſignificans eam rem, quæ proprie eſt genus, hoc eſt, vel multitudinem omnium ſingularium animalium, vel multitudinem omniũ ſingularium arborum, vel multitudinem omnium ſingularium herbarum, & cætera. Hæc enim omnia & alia ſimilia, & vere ſunt & recte appellantur genera, extra vocem, & mentem, & ſcriptum omne conſtantia. Poſtremo vero capitur vox generis non pro ſe ipſa, nec pro alia voce generis, ſed pro ea re, quæ voce illa ſignificatur, & quæ demum revera definiri debet. Quod quidem genus, & vere & perfecte ita definiendum eſt, ut in ejus definitione multitudo ſive totum diſcretum aſſumatur loco generis, & ita dicatur, Genus eſt multitudo, ſive totum diſcretum ex omnibus ſuis ſpeciebus, tam individuis quam dividuis, tam præteritis & futuris quam præſentibus conſiſtens: ut animal, ſive ut animalia, ſive ut genus animalium. Sic tamen ut ex tribus hiſce exemplis, quæ ad illuſtrandam definitionem generis afferuntur, primum, hoc eſt, animal accipiatur figurate pro omnibus ſingularibus animalibus mundi: reliqua autem duo exempla, hoc eſt, animalia & genus animalium, non figurate, ſed proprie ſumantur pro omnibus individuis animalibus. Hæc igitur eſt, ut nos arbitramur & non dubitanter affirmamus, vera & perfecta definitio generis, hoc poſtremo modo accepti, hoc eſt, non pro ipſa voce, genus, nec pro aliqua voce generis, ſed pro ea re, quæ vere eſt & recte appellatur genus: quod eſt unum & verum & proprium genus. Sic ut quodcunq; aliud ab hoc diverſum, ſive in mente ſive in voce ſive in ſcripto ſit, non verum ſit genus, ſed proprii generis tantum velut umbra, & ſimulachrum inane. Quale eſt illud, quod ab Ariſtotele, Porphyrio, cæteriſq; Pſeudophiloſophis & falſiſſime intelligitur, & perverſiſſime definitur, ut mox docebo, ſingulas definitionis

eorum particulas refutans, & deridens tanquam non ſolum falſas, ſed etiam ſtultas, fatuas, & inanes. Nunc ratio ſingularum definitionis noſtræ partium nobis reddenda eſt, ne magis aliena refellere quam noſtra confirmare velle videamur. Ergo quod definientes genus, pro ea re, quæ eſt genus, diximus primo eſſe multitudinem, ſive totũ diſcretum, id fecimus ut oſtenderemus, multitudinem ſive totum diſcretum eſſe verum generis genus, & ipſum genus, ut res eſt, in multitudine ſive in toto diſcreto, tanquam in ſuo & proprio genere contineri, & locatum eſſe, & in ſumma nihil aliud eſſe, niſi multitudinem & totum diſcretum. Sic enim omnes Scriptores tam Græci quam Latini recte loquentes genus intelligunt, ut ſupra monui, tum quia nomen generis vere collectivum eſt, tũ quia loco generis in oratione identidem ponitur, vel ſaltẽ poni poteſt, multitudo. Dixi autem recte loquentes, ut excluderem Dialecticos, & cæteros Pſeudophiloſophos comunis ſermonis & linguarũ corruptores, à quorum numero non excipimus Ariſtotelem, in multis ſcriptis operum ſuorum præſertimque in Dialecticis, & Metaphyſicis, ſi tamen Ariſtoteles horum librorum, qui nunc ſub ejus nomine leguntur, verus Author fuit: id quod poſtea videbimus, cum pervenerimus ad ultimam hujus operis partem. Adjunxi vero & proprie loquentes, quoniam, ut docui ſupra Capite quarto, cum de nominibus figurate poſitis loquebamur, genus aliquando figurate non pro multitudine, ſed pro uno tantum ponitur, ut apud Horatium in Odis,

Audax Japeti genus, pro ſolo Prometheo Japeti filio: & apud Aratum in Phænomenis, κείνη δ' ἀ ϛραίου γένος. Illa autem Aſtræi genus, pro ſola Juſtitia Aſtræi gigantis filia. Sed ut redeam unde diſceſſi, multitudo, & totum diſcretum in definitione generis, genus ejus, ut res eſt, recte poſita ſunt: nunc ſequitur, ut rationem etiam reddamus aliarum proprietatum, ſive partium, in eadem definitione poſitarum, quibus genus in ſua ſpecie cõſtituitur, & ab aliis omnibus multitudinibus & totis diſcretis, quæ non ſunt genera, ſeparatur. Eſt enim genus ſpecies quædam multitudinis, ſive totius diſcreti: ſed quædam ſunt multitudines, quæ non ex omnibus ſui generis ſpeciebus conſtant, ut grex, armentum, populus, exercitus. Non enim unus grex ovium, exempli cauſa, comprehendit omnes oves mundi ſingulares, neq; unus populus omnes qui ubiq; ſunt, ſingulares cives, neq; unus exercitus omnes ſingulares milites: nam qui dicit gregem ovium, & armentum boum, multas ille quidem oves, & multos boves ſimul dicit, ſed non omnes quæ vel qui ſunt in mundo. At vero, qui dicit genus ovium, & genus boum, is proprie loquendo nullam omnino ovem, & nullũ omnino bovem relinquit nõ comprehenſum. Quod dixi de grege, & armento, idem quoq; intelligi volo de populo, & exercitu,

citu, & aliis similibus: ac tales quidem sunt hæ, quas dico, multitudines. Aliæ vero multitudines existunt, & hæ quidē longe majores, quibus omnes species tam individuæ quam dividuæ sui cujusque generis continentur nulla prorsus excepta, qualia sunt omnia genera proprie accepta. Sic enim & genus animalium complectitur in se omnia singularia animalia, & genus arborum omnes singulares arbores, & genus magnitudinum omnes singulares magnitudines, & genus colorum omnes singulares colores, & sic reliqua omnia genera suas cujusque species dividuas & non dividuas. Quæ cum ita sint, ut distingueretur nomen generis collectivū à cæteris nominibus collectivis, & separaretur multitudo generis à grege, armento, populo, & exercitu, aliisq; similibus, in ejus definitione postquam dictum est, genus esse multitudinē sive totū discretum, etiam additum est, consistens ex omnibus suis speciebus, eo quod cæteræ multitudines, ut dixi, ex omnibus suis speciebus non constant, sed tantum ex aliquibus. Grex enim ovium præterquam quod non constat ex omnibus singularibus ovibus mundi, ut genus ovium, etiam non proprie est compositus ex speciebus ovium, sed ex singularibus tantum ovibus. Nihil enim proprie ex speciebus constat, nisi genus, nec species ulla proprie dici aut esse potest, nisi ubi est genus, & comparatione generis, sicut neque genus, nisi ubi est species, & respectu speciei. Atq; ideo in definitione generis necessario ponitur species, & contra in definitione speciei genus: ut infra monstrabitur in Capite de specie. Ergo ut distingueretur & separaretur multitudo generis, à cæteris multitudinibus, quæ non sunt genera, additum est, ex omnibus suis speciebus consistens. Quod autem apposui, tam individuis quam dividuis, hoc volui significare, duos esse specierum modos: unum, qui dividitur, & est idem quod genus subalternum, sive species subalterna, ut homo, qui comparatus animali species est, collatus vero cum Thebano, & Trojano, & omnibus suis individuis, generis sortitur nomen, & dividitur, ut genus. Alter vero specierum modus, est individuus, qui tantum species est, & nunquam potest esse genus, quia est idem quod individuum, & recte dici potest, tum individuum, tum singulare, tum species individua, tum species singularis, tum etiam species specialissima, ut infra probabimus in Capite de specie. Ex hujusmodi ergo speciebus tam individuis quam dividuis, constat & compositum est omne verum genus, & his proprietatibus separatur ab omni alia multitudine, quæ non est genus. Quod autem pertinet ad exempla definitioni subjecta, cum dicimus, ut animal figurate, id volumus declarare, idem valere, animal figurate acceptum, & omnia singularia animalia, sive genus animalium proprie sumptum. Nanq; ut supra dixi, cum aliis in multis locutionibus, tum maxime in exemplis proferen-

ferendis, ſingularis numerus pro plurali, & unus pro omnibus poni conſuevit ut in illo Ciceronis exemplo, quod ex primo de Inventione ſupra citavimus, cum ſic ait. Genus eſt quod plures amplectitur partes, ut animal: ibi enim animal figurate poſitum eſt pro omnibus animalibus, ſive pro genere omniũ animalium, quod idem eſt, ut perinde ſit, ac ſi dixiſſet, quemadmodum nos in ſecunda parte exempli noſtri poſuimus, ut animalia, ſive ut genus animalium. Idem enim valent, ut animal figurate, & ut animalia ſive ut genus animalium proprie. Quibus loquendi modis, hoc eſt, tam figuratis quam propriis utuntur & Ariſtoteles, & Cicero, & Scriptores omnes veteres, tam Græci quam Latini, idque non ſolum in verſu, ſed etiam in ſoluta oratione, & præſertim cum aut exempla proferunt, aut libros inſcribunt, aut leges ſanciunt, aut definiunt aliquid, quemadmodum ſupra oſtendimus. Ac talem quidem nos veri generis definitionem eſſe debere arbitramur & affirmamus, tot ac talibus rationibus per ſingulas partes comprobatam, ac demum tribus exemplis eandẽ rem, ſed diverſo modo ſignificantibus, illuſtratam. Adverſus quam, quæ dici poſſe videbuntur, iis poſtea reſpondebimus, cum refutaverimus totam definitionem Adverſariorum. Modi autem, ſive differentiæ, ſive ſpecies generis hoc pacto, ut dictum eſt, definiti, plures ſunt. Nam ex omni generum numero, quæcunque reperiuntur in rerum natura, unum eſt tantummodo ſummum & maximum, quod quoniam omnia alia genera continet, ipſum autem à nullo alio continetur, idcirco à nobis appellatur genus generaliſſimum, ut infra cõſtabit in Capite de uno ſummo vero & generaliſſimo genere, & rurſus in deſcriptione arboris noſtræ genericæ. Id autem genus, eſt genus rerum proprie, & res figurate, pro omnibus rebus, ſive pro omni genere rerum: non ſubſtantia, neque ens, aut ullum aliud ex prædicamentis, aut tranſcendentibus Pſeudophiloſophorum: ut ibidem probabimus. Cætera vero omnia genera, præter *generaliſſimum, hoc eſt, genus rerum*, eo quod continentur in illo generaliſſimo, & tum genera, tum ſpecies eſſe poſſunt, ad aliud tamẽ & aliud comparata: idcirco à Dialecticis non male appellata fuerunt, genera ſubalterna. Quorum multi reperiuntur modi, ſive differentiæ, ſive ſpecies: nam ex eis alia ſunt *communia*, ut corpus, exempli gratia, quod eſt genus commune viventibus, & vita carentibus: alia *propria*, ut ſentiens, quod eſt genus proprium animalibus, & nullius alterius præterea: alia *differentia*, ut rationale, quod eſt genus differens ab irrationali, & à brutis omnibus: alia *ſimilia*, ut formica, quod eſt genus ſimile homini, eo quod formica ſimiliter ut homo longe in poſterum proſpicere videtur: alia *contraria*, ut vitium, quod eſt genus contrarium virtuti: alia *ſubſtantialia*, ut animal, quod eſt genus ſubſtantiale homini, eſt enim:

enim animal ita in ſubſtantia hominis inſitũ, ut homo ſine animali nullo pacto eſſe poſſit. alia *accidentalia*, ut calidum, quod eſt genus accidentale aquæ, aqua enim cum eſt calida, ſine dubio eſt in genere calidorum, non ſubſtantiali quia calor non eſt de ſubſtantia ejus, ſed accidentali, eo quia in contrariam qualitatem facile mutari, & in genus frigidorum pertranſire poteſt. Ut in ſumma ſint *ſeptem generum ſubalternorum, ſive modi, ſive differentiæ, ſive ſpecies*, commune ſive genus commune, proprium ſive genus proprium, differens ſive genus differens, ſimile ſive genus ſimile, contrarium ſive genus contrarium, ſubſtantiale ſive genus ſubſtantiale, accidentale ſive genus accidentale: & ſi qua forte alia hujuſmodi reperiuntur, quæ vel reducantur ad aliquod unum horum, vel ſi reduci non queant, ne ſint quidem genera ſubalterna. Ac nos quidem facimus & ſtatuimus tot ac tales ſive modos, ſive differentias, ſive ſpecies, generis ejus, quod à nobis ſupra definitum fuit, & quicunque alii generis modi, præter hos quos diximus, afferuntur vel à Porphyrio, vel ab Ariſtotele, vel ab alio quocunque Dialecticorum, eos ſine ulla dubitatione pronuntiamus eſſe mendaces, & falſos. Nam ex tribus generis modis, quos Porphyrius in Iſagoge ſua poſuit unus tantum, hoc eſt, primus eſt verus, eo quia dicitur, ut ipſemet inquit, eſſe multitudo quorundam, quemadmodum & nos omnia noſtra genera proprie multitudines quaſdam eſſe volumus, reliqui autem duo poſteriores prorſus ſunt mendaces, & falſi, ut oſtendemus infra. Ex illis vero quatuor generis modis, quos Ariſtoteles protulit in quarto τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ, ne unus quidem eſt verus, ut etiam probabimus, ut in ſtatuendis generis modis, multo magis Ariſtoteles quam Porphyrius erraſſe videatur. Nam quod communiter Interpretes quatuor illos generis Ariſtotelici modos, ad tres illos Porphyrii reducere conantur, prorſus nihil agunt, niſi nugantur & operam ludunt, ſimul & ſe ipſos, & miſeros philoſophiæ ſtudioſos decipientes. Quod ut clariſſime intelligatur eſſe verum, primo oſtendamus modum illum generis, quem philoſophicum vocant, qui apud Ariſtotelem eſt quartus, apud Porphyrium vero tertius, & ab utroque ita definitur, ut dicatur, Genus eſſe illud quod dicitur de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quid eſt, hunc inquam generis modũ oſtendamus ut ſupra polliciti ſumus à Dialecticis fuiſſe male expoſitum, peius definitum, & omnino ſi fieri poteſt, pluſquam falſum: Deinde reliquos proſequemur. Ergo quod Ariſtoteles in Topicis, & Porphyrius in Iſagoge, ita definiunt modum illum generis, ut dixi, vel quod Juniores Dialectici vocem generis addere volentes, ajunt, genus eſſe univerſale, ſive prædicabile, quod dicatur de pluribus, ut ſupra: ad has inquam Dialecticorum generis defini-

tiones primo dicimus eos non recte feciſſe, Partim quia generis genus nullum determinatum in definitione appoſuerunt, ut Ariſtoteles & Porphyrius dicentes, genus eſt quod dicitur, & non addentes quid nam rei eſſet iſtud quod diceretur. Quanquam hoc ſi cætera recta eſſent, facile poſſet tolerari, cum idem à multis aliis viris doctiſſimis factitatum eſſe reperiatur: Partim quia non omiſerunt quidem generis genus, ſed falſum & barbarum adjecerunt, ut Recentiores Dialectici, qui univerſale, ſive prædicabile generis genus ſtatuerunt. Nam, ut omittam vocabula univerſalis & prædicabilis, quæ in ea ſignificatione, quam illis tribuunt, ſunt prorſus barbara, etiam res ipſæ, quæ vocabulis illis ſignificantur, nullam habent nec ſoliditatē nec veritatem: ſed ſunt mera tanquam vel figmēta Poetarum, vel ægrotantium ſomnia, ut oſtenſum eſt ſupra, ubi univerſalia radicitus à nobis fuerunt exſtirpata & everſa. Et ſi univerſalia falſa ſunt, ut certe ſunt, ipſa quoque prædicabilia non poſſunt non eſſe falſa: cum nihil aliud ſit prædicabile, ut Dialectici volunt, niſi univerſale prædicatum. Atque hæc ſunt prima in definitione generis à Dialecticis admiſſa vitia, quia vel genus prorſus omiſerunt, vel loco multitudinis, & totius diſcreti univerſale & prædicabile, hoc eſt, duas voces plane barbaras appoſuerunt. Præterea etiam turpiſſime, & ſimili quodam modo erraverunt quo Archigenes in definitione pulſus pleni, qui, ut refert Galenus in ſecundo de Differentiis pulſuum, videtur non rem definiviſſe, ſed vocem ac nomen rei. Sic enim Dialectici genus definire volentes, non rem, quæ vere eſt genus, ſed vocem ac nomen generis definiverunt: quod eſt vitium, ut ante dixi, in definiendo maximum. Etenim genera rerum res quædam veræ ſunt, non voces neq; nomina, ut genus animalium, & genus arborum, & cætera hujuſmodi genera: Atque ideo cum dicunt, genus eſſe id quod dicitur de pluribus & cætera, incipiunt tribuere generi ac rei, proprietatem vocum ac nominum, hoc eſt, dici & prædicari: & definire genus ac rem, perinde ac ſi eſſet vox & nomen. Nanque, ut ſupra docuimus, dici ac prædicari de pluribus, non rerum, ſed vocum proprium eſt: & quicquid dicitur ac prædicatur, proprie eſt nomen non res. Quamobrem ita definiendo ſimiliter peccant, ut ſi volentes definire populum vel exercitum, ita dicerent, populus eſt quod dicitur de pluribus & cætera, exercitus eſt quod dicitur de pluribus & quæ ſequuntur. Nanque & populus & exercitus quatenus non res veræ, ſed voces & nomina ſunt, recte hoc modo definiri poſſent. Eſt enim revera vox populi nomen quoddā, quod dicitur de pluribus populis, ut de Parmenſi, de Placentino, de Romano, & aliis ſimilibus. Et eodem modo vox exercitus, quæ dicitur de Germanico, Hiſpano, & Gallico exercitu. Quocirca hujuſmodi definitiones recte conveniunt

veniunt populo & exercitui, quatenus sunt non res veræ, sed voces ac nomina appellativa res significantia: Cæterum idem populus & idem exercitus quatenus res veræ extra vocem & animum reperiuntur, nequaquam recipiunt tales definitiones, sic enim acceptus uterq; hoc modo esset definiendus, Populus est multitudo civium, in unis & eisdem mœnibus habitandi causa congregata: & exercitus est multitudo militum, in uno & eodem loco belli gerendi causa collecta. Ex quo intelligitur quantum intersit, inter definitionem nominis & definitionem rei, quæ nomine significatur. Nam cum omnium appellativorum nominum una eademq; sit definitio, & nomen generis ipsum quoq; sit appellativum, sicut & nomen populi, & nomen exercitus, necesse est definitionem ejus unam eandemque esse, quæ cæterorum nominum appellativorum, in quorum definitione in primis ponitur, ut dicantur sive prædicentur de pluribus, si quidem prædicari & dici, ut sæpe jam dixi, non rebus, sed nominibus proprie tribuuntur. At definitio rei quæ nomine appellativo significatur longe est diversa, quando quidem, quot res diversæ sunt nominibus appellativis significatæ, tot earum definitiones existunt inter se plurimum differentes. Itaq; is demum recte definit, qui rem definiens, rei, nomen autem, nominis definitionem affert, Qui vero aut nomen pro re, aut rem pro nomine finit, is maximum in definiendo committit vitium, & eodem modo reprehendendus est, quo modo diximus Archigenem à Galeno in definitione pulsus pleni fuisse reprehensum, οὐ γὰρ τῶν ὀνομάτων ἀλλὰ τῶν πραγμάτων οἱ ὅροι ut idem Galenus vere & recte inquit. Quod usque adeo verum est, ut ante dixi, ut etiam si definiatur aliquod nomen, tamen non tanquam nomen, sed tanquã res aliqua definiri videatur. Quæ cum ita sint, manifeste apparet, quanta reprehensione digni sunt omnes Dialectici, qui generis, hoc est, rei cujusdam definitionem aggredientes, cæperunt definire non rem ipsam, quæ est genus, quemadmodũ nos fecimus, dicentes genus esse multitudinem, sive totum discretum, sed vocem ac nomen rei, asserentes genus esse id quod dicitur, sive prædicatur de pluribus & cætera, quod non rei, sed vocis est proprium. Dicuntur enim voces & nomina rerũ de rebus, ut nomen animalis & nomen arboris, de veris animalibus & de veris arboribus: at res ipsæ neq; dici neq; prædicari vere possunt, nisi auxilio vocum suarum, ut supra diximus. Sed non mirum est homines rudes, & maxima ex parte barbaros, non tam lingua & ore, quam corde & pectore, nunquam vidisse differentiam, quæ est inter res, & nomina rerum, nec animadvertisse quantum intersit definire rem ipsam, ac nominis ipsius definitionem afferre, Cum nec unquã intelligere potuerint quid differat inter locutiones proprias & locutiones figuratas, pronuntiatio-

res

nes ſimplices & pronuntiationes iteratas: quanquam utriuſque rei innumerabilia extent exempla, tam apud Græcos quam apud Latinos. Quis enim præter quam Dialecticus, cujus proprium eſt nihil ſcire, quis inquam neſcit, aliud eſſe rem ipſam, aliud nomen rei? aliud cupiditatem, aliud nomen cupiditatis? aliud imperium, aliud quod ſcribit Cicero in Epiſtolis, nomen imperii quo appellor? aliud honorem, aliud quod idem ſcribit de Claris oratoribus, nomen honoris adeptus eſt, non honorem? aliud pietatem, aliud item apud eundem in Epiſtolis, nomen graviſſimum & ſanctiſſimum pietatis? aliud voluptatem, aliud hæc vox voluptatis, ſive verbum voluptatis? Qui omnes loquendi modi, & alii quamplurimi ſimiles non ſolum apud Ciceronem, ſed etiã apud alios Scriptores tã Græcos quam Latinos reperiuntur, ut maximo argumento ſit Dialecticos omnes non acutiſſimos & ſubtiliſſimos, ut ipſi ſe gloriãtur, ſed hebetiſſimos & indoctiſſimos fuiſſe, qui hæc tam aperta, tamque manifeſta vitia nunquã tamen videre potuerunt. Nam ſi animadvertiſſent aliud eſſe rem ipſam, aliud nomen rei definire, aliud eſſe genus, aliud nomen generis, nunquam profecto nomen generis pro ea re, quæ eſt genus, neque nomen rei pro re ipſa definiviſſent? Et ſi intellexiſſent verba aliud ſignificare cum proprie, aliud cum figurate ponuntur, profecto etiam cognoviſſent, animal cum pro exemplo generis profertur, non eſſe proprie poſitum, ſed figurate, & non pro uno animali tantum, nec pro neſcio quo monſtroſo univerſali, ſed pro omnibus animalibus, ſive pro genere omniũ animalium eſſe accipiendũ. Nam qui definit animal, ut genus eſt, is omnium animalium, ſive univerſi generis animalium definitionem affert. Itaque prima pars definitionis generis à Dialecticis traditæ habet hoc vitium, quo nullum poteſt eſſe in definiendo majus, neque turpius, ut vocem generis & nomen appellativum, quale eſt, verbi gratia, nomen animalis & nomen arboris, pro ea re, quæ eſt animal vel arbor, definire incipiat. Vox enim generis & nomen appellativũ, eſt illud quod vere dicitur, non illud quod eſt verum genus, ut ſupra diximus, cum de nominibus appellativis loqueremur, & nihil dicitur ſive prædicatur de pluribus quin id ſit vox generis & nomen appellativum. Quod autem Dialectici in hac eadem definitione poſtquam dixerunt genus eſſe id, quod dicitur de pluribus, addunt etiam, ſpecie differentibus, hæc quoq; pars, etiam ſi nomen generis definiretur, tamen vitio non careret, quia non neceſſario ſed ſupervacue & omnino fruſtra eſſet addita. Nam quicquid dicitur de pluribus, id quoq; de differentibus ſpecie dicatur, neceſſe eſt, & omnino quæcunq; differunt, ea neceſſario differunt ſpecie vel diviſibili vel indiviſibili. Intelligo autem aliqua differre ſpecie, nihil aliud, niſi ea eſſe ſpecies inter ſe differentes, atque ita in-

ita inter se differunt, primo individua, quæ & vere sunt & recte appellantur species individuæ, ut infra probabimus in Capite de Specie. Deinde species divisibiles eádem ratione, quia sunt species inter se diversæ. Postremo genera, quia nihil potest differre genere, quin etiam aliquo modo specie differens ac diversum existat, ut infra monstrabitur. Quare totam hujusce rei probationem in locum illum differo, nunc tantummodo Lectorem admonitum volo, *quicquid differt, id non posse non aliquo modo specie esse differens*, & propterea partem illam de differentibus specie in definitione generis dialectici supervacue ac frustra fuisse positam: & eo magis etiam quod infra probaturi sumus nec recte dici, nec verum esse aliquid differre numero, eo scilicet modo quo Dialectici intelligunt, sed omne quod more Dialecticorum numero differat, id non posse non etiam specie differens esse. In tertia vero & ultima ejusdem definitionis parte, cum dicitur, in eo quod quid est, non solum id est supervacuum, sed falsissimum, cum genus non solum, ut res est, nullo pacto dicatur in quid, eo quia, dici non rerum sed vocum proprium est, sed etiam, ut vox generis, non magis dicitur in quid quam in quale. Nam quemadmodum quærenti, quid est homo? recte responderis, est animal: sic etiam interroganti, qualis est homo? recte respondeas, est animalis: cum tamen tam animalis adjective, quàm animal substantive sit vox generis, & tam vere dicatur, animale genus quàm animal genus, ut apud Lucretium libro primo,

Unde animale genus generatum in lumina vitæ,
Redducit Venus.

Quare etiam si genus non ut res sed ut vox definiretur, non tamen recte apponeretur illa clausula, in eo quod quid est, loco proprietatis, quia vox generis puta animalis, non magis dicitur in quid quàm in quale, Et quoniam illa dici in quid, & dici in quale, non sunt vere proprietates aut differentiæ generis, sed nominis substantivi & adjectivi. Nam, quemadmodum supra dixi, nomen substantivum est illud quod dicitur in quid, & semper significat rem tanquam per se stantem, Nomen vero adjectivum est illud, quod dicitur in quale, & semper significat rem tanquam in alio existentem. Interrogati enim quid est homo? semper respondere incipimus, per nomen substantivum, vel adjectivum, ut vocant, substantivatum, & dicimus, homo est animal, vel homo est rationale, hoc est, res quæ habet animam, vel res quæ habet rationem. Quod si quis interroget, qualis est homo? non amplius respondendum sit per nomen substantivum animalis, ut ante, sed per nomen adjectivum, & dicendum, homo est animalis, vel homo est rationalis. Interrogatio enim per quid est, substantivi, sicut per quale est, adjectivi responsionem semper requirit:

& propterea vere diximus, dici in quid & dici in quale non generis privatim, ſed nominis ſubſtantivi & adjectivi, eſſe proprietates, quia per illas nomina ſubſtantiva differunt ab adjectivis, & ſic dici in quid non recte appoſitum fuit in definitione generis, non ſolum, ut genus res quædam eſt, ſed etiam ſi vox generis definiretur. Atq; hoc modo refutatis omnibus partibus definitionis generis Dialectici, ſupereſt exemplum ad explicandam definitionem ab ipſis prolatum, quod eſt, animal: quo in exemplo multo magis decepti ſunt & erraverunt Dialectici, quàm in aliis definitionis ſuæ partibus: exiſtimaverunt enim animal ibi accipiendum eſſe pro illo ſuo univerſali ſtulto & ridiculo, & jam antea à nobis refutato, nec intellexerunt, ut in aliis ferè omnibus exēplis fit, ſic in hoc, vocem animalis non proprie, ſed figurate, eſſe accipiendam, & perinde eſſe intelligendam, ut ſi proprie dictum eſſet, ut animalia, ſive ut genus animalium, ſive etiam ut multitudo animalium. Nihil enim differt in proferendis exemplis, ut toties dixi, ſive dicatur, ut animal figurate, ſive ut animalia, ſive ut genus animalium proprie eadē enim ubiq; ſententia eſt, diverſis loquendi modis explicata. Sed jam ſatis dictum fuit de falſitate & abſurditate tertii illius modi generis Porphyriani, & quarti Ariſtotelici: oſtendimus enim definitionem illius eſſe vel falſam, vel ſupervacuam, vel ridiculam, utpote in qua non ea res, quæ vere eſt genus, ſed nomen generis, atq; adeo nomen appellativum definiatur: idq; falſò, cum generis genus vel omnino prætermiſſum, vel non recte appoſitum fuerit: & cum dici de pluribus non ſit proprium generis neq; rerum, ſed nominum atq; verborum: & cum quicquid differat, id ſpecie aliquo modo differre neceſſe ſit, nec aliter etiam quàm ſpecie differens eſſe poſſit: & deniq; cum dici in quid, non magis ſit proprium generis, aut vocis generis, quàm dici in quale, ut patuit in exemplis, quæ ſupra poſuimus. Præterea etiam docuimus eam vocem quæ pro exemplo generis ſubjicitur, hoc eſt, animal, non eſſe vere genus, nec ſignificare proprie genus, ſed figurate & improprie. In ſumma patefecimus Dialecticos in duorum propè millium annorum ſpatio, cum nunquam laborare deſtiterint in definiendo genere, tamen ad extremum nihil aliud definiviſſe, niſi nomen appellativum ſimplex, quod vere & proprie dicitur de multis differentibus ſpecie, non quidem in una ſed in pluribus enuntiationibus, & ſi ſit ſubſtantivum in eo, quod quid, ſi adjectivum in eo, quod quale, prædicatur. Atq; hoc ipſum etiam non recte definiviſſe, propter cauſas & rationes ſupra commemoratas. Neq, ſolum tot ac tantas falſitates Dialecticorum refutavimus, ſed etiā ante docuimus, quid vere ſit genus, & veram illius definitionem attulimus, oſtendentes genus eſſe non univerſale nec prædicabile, quod dicatur de multis differentibus ſpecie,

in eo,

ineo, quod quid est, ut Pseudophilosophi falsò dicunt, sed multitudinem quandam singularium, sive totum quoddam discretum ex omnibus suis speciebus, tam individuis quàm dividuis, tam præteritis & futuris, quàm præsentibus compositum. Quæ quidem definitio penè eadem est, quæ Ciceronis in primo de Inventione, cum ait, Genus est quod plures amplectitur partes: nam si plures partes amplectitur, & illæ partes proprie sunt species, sive formæ, profecto necesse est, genus ex sententia Ciceronis esse multitudinem, ac totum discretum ex speciebus sive formis compositum. Sed differt definitio nostra ab illa Ciceronis, quod in nostra genus generis est additum, in illa Ciceronis, desideratur, sed subintelligitur: & quas ille vocat partes communiter, nos species, sive formas proprie appellamus. Et post omnia nos indicamus, genus tanquam totum quoddam discretum ex omnibus suis speciebus constare, ut differat ab aliis totis collectivis, quod Cicero non facit. Nunc confutata hoc modo per singulas partes definitione Adversariorum, & nostra confirmata, superest respondere ad ea, quæ Dialectici & Pseudophilosophi dicere possent contra nos, partim defendentes definitionem suam à reprehensionibus nostris, partim nostram tanquam non recte confectam redarguentes. Posset enim eorum aliquis ita dicere, & Aristotelem in Topicis, & Porphyrium in Isagoge sua recte definivisse genus, non tanquam rem veram extra prolationem oris & cogitationem mentis positam, sed ut vocem & nomen rei, quod revera de pluribus dicatur, & cætera. Et responsionis suæ rationem hanc afferre: quod Dialectica sit, ut ipsi dicunt, non de rebus veris extra vocem intellectumq; sitis, sed de vocibus & nominibus res illas significantibus. *Atque hanc ob causam Græcos Porphyrii interpretes ferè omnes inscripsisse commentarios suos εἰς τὰς πέντε φωνὰς, hoc est, in quinque voces. Quod non fecissent, nisi putassent, Dialecticam sive Logicam totam esse non de rebus proprie, sed de vocibus sive conceptibus, qui quasi voces & nomina quædam sunt mentalia.* Atq; hâc ratione Pseudophilosophi fortassis contendere possent, genus suum, hoc est, ens dialecticum, non ut rem veram, sed ut vocem rei recte fuisse definitum. Quibus ego vicissim breviter *respondeo: Solius Grammaticæ & nullius præterea alius artis proprium esse officium, ut pertractet de vocibus & earum proprietatibus.* Idque probo primum Authoritate Aristotelis in tertio τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ, qui de Grammatica ita scribit ad verbum, οἷον ἡ γραμματικὴ μία οὖσα πάσας θεωρεῖ τὰς φωνὰς, hoc est, Grammatica unà cum sit, omnes contemplatur voces. Deinde Grammatica ipsa quoque, etiam si Aristoteles hoc non diceret, tamen jure suo tractationem vocum sibi vendicat, ut manifestè apparet ex libris Grammaticorum, in quibus de omnibus octo partibus

orationis copioſe tractatur. Atq; ideo ſi ad Dialecticam ſpectaret per tractare de eiſdem, ſequeretur tractationem unius & ejuſdem rei, hoc eſt, vocum, ad duas artes fruſtra, & ſine ulla neceſſitate æqualiter eſſe pertinemtem, quod eſt abſurdiſſimum: & eò magis quod Dialectica tota falſa eſt, vel inutilis, vel ſupervacua: ut partim jam ſupra probatum eſt in multis capitibus, partim etiam infra clarius probabitur in multo pluribus, & maxime in eo, ubi demonſtrabimus Dialecticam tanquam vel falſam, vel inutilem, vel ſupervacuam ex omni artium & ſcientiarum numero ac conſortio eſſe ejiciendam. Quare qui affirmant Dialecticæ proprium eſſe ut tractet de vocibus, ii manifeſte dicunt, non ſolum contra nos & contra veritatem, ſed etiam contra Ariſtotelem, & contra communem omnium ſtudioſorum profectum, ex quorum utilitate & commoditate non eſt, ut plures artes de una & eadem re tradantur. Idq; etiam ita, ſi Dialectica eſſet vera, utilis, & neceſſaria: Nunc vero cum talis ſit, qualem nos eam ſupra oſtendimus & infra magis oſtenſuri ſumus, nihil amplius dubitationis relinquitur, quin non ſolum à vocum pertractatione, ſed etiam ab omnium artium & ſcientiarum ſocietate ſit removenda. Atque his de cauſis nullo pacto poſſunt defendi aut excuſari, nec Ariſtoteles, nec Porphyrius, quin peſſime ac perverſiſſime genus, quod eſt res vera, tanquã vocẽ & nomen definiverint: nec Interpretes tã Græci quàm Latini & Arabes, quin tanquam imperiti, & ſine ulla conſideratione Ariſtotelis & Porphyrii errata ſint ſecuti: nec omnes deniq; ſimul, hoc eſt, tam Hæreſiarchæ quàm Sectatores, quin fuerunt cæci ac prorſus omni judicio carentes, qui non viderunt genera rerum eſſe non voces nec nomina, ſed res veras, à vocibus longe differentes, ut genus animalium, genus arborum, genus herbarum, & alia hujuſmodi genera. Quis enim, niſi planè ſtultus & inſanus, dicat, genus animalium eſſe vocem non rem? genus arborum eſſe vocem non rem? genus herbarum eſſe vocem non rem? profecto nemo, niſi forte Dialecticus aliquis pluſquam ſtultus & inſanus. Præterea poſſet aliquis objicere nobis definitiones illas generis ac ſpeciei, quas Cicero in Topicis, & in primo de Oratore affert, & dicere eas à noſtra ſuperius tradita longe differentes eſſe, & propterea ſi illæ veræ ſunt, noſtram neceſſario oportere eſſe falſam. Cicero enim in Topicis ſic ait, Genus & formã definiunt hoc modo, Genus eſt notio ad plures differẽtias pertinẽtes, Forma eſt notio cujus differẽtia ad caput generis & quaſi ad fontẽ referri poteſt. Qua in definitione Cicero non multitudinem, ut nos, neq; totum diſcretum, ſed notionem generis genus ponere quidem videtur, ſed non ita eſt: Nam enim Cicero ex ſententia ſua eo in loco loquitur, ſed ex opinione vel Ariſtotelis, quem intetpretabatur, vel Stoicorum, qui tali quodam modo

genus

genus definiebant, ut est apud Laertium in vita Zenonis. Ac Ciceronem quidem ibi non ex sententia sua loqui, illud est signum vel manifestissimum, quod ita ait, Genus & formam definiunt, quasi dicat vel Peripatetici, vel Stoici, vel nescio qui Philosophi: & propterea nihil nobis adversatur illa definitio, quam Cicero non ex sua sed ex aliorum opinione protulit, & quæ sine ulla dubitatione est falsa, propterea quod genus non ut est in re, sed ut in mente concipitur ac cognoscitur, definit. Quem definiēdi modum supra ostendimus esse vitiosissimum, Genera enim rerum res sunt non notiones, & verè rerum definitiones, non ut res ipsæ sunt cognitæ & intellectæ, sed ut extra cognitionem & intellectionem in re ipsa sunt, fieri debent. Alioqui ego quoque si velim eodem genere adhibito possim definire populum & exercitū hoc modo, Populus est notio multorum civium & cætera, exercitus est notio multorum militum & cætera, & tamen me nemo jure posset reprehendere: propterea quod ita faciendo definirem populum & exercitum nō ut verè sunt extra mētem in re, sed ut animo & mente comprehenduntur. Et ita Stoici, sive alii quicunque quos Cicero innuit, genus definiebant, sed non recte. Recte enim, ut dixi, non ex eo, quod cogitantur & mente concipiuntur, sed ex eo, quod revera existunt extra mentem animumque sint definiendæ, & dicendum sic, populus est multitudo civium, exercitus est multitudo militum, genus est multitudo specierum: eodemque modo faciendum in definitione aliarum rerum, quæ extra vocem mentemque & scriptum reperiuntur. Quod dixi de definitione generis à Cicerone in Topicis allata, idem dico de definitione speciei ibidem tradita, hoc est, quemadmodum genus, sic etiam speciem non vere esse notionem, nec in genere notionis vere reponi, cum tam species quam genera rerum, non notiones sint, sed res veræ. Eodemque modo respondeo ad definitiones illas ac speciei, quas Cicero in primo de Oratore scribit, hoc modo, Genus est quod sui similes, communione quadam, specie autem differentes duas aut plures complectitur partes, partes autem sunt, quæ generibus iis, ex quibus manant, subjiciuntur. Has nanque definitiones quemadmodum & illas superiores Cicero non ex suo ipsius ingenio, sed ex falsa Philosophi alicujus doctrina prompsit, Tametsi multo minus falsitatis continent, quam illæ Aristotelis & Porphyrii, cum in eis nec genus nec species affirmetur dici aut prædicari de aliquo, nec de differentibus specie nec de differentibus numero, nec in quid nec in quale, quæ omnia vitia in definitionibus suis generis & speciei Aristoteles & Porphyrius admiserunt. Ad hæc rursus sic objicere possent Adversarii, si genus esset multitudo singularium, ut nos dicimus, fore ut genus aliquando corrumperetur, & interiret, singularia enim esse

corruptioni obnoxia. Cui objectioni breviter respõdemus, ut in septimo Capite supra diximus, singularia quidem singillatim accepta sine ulla dubitatione morti & interitui esse opportuna. Sed si eadem universe sive in universum accipiantur, eo modo esse incorruptibilia & æterna, hoc est, per continuam singularium successionem, quemadmodũ supra in eodem Capite probavimus. Et ita corruptio singularium individuorum definitioni nostræ nihil obest, cũ semper remaneant, ut dixi, universa. Sed rursus nos urgent dicentes tempore hyemis, cum nulla est singularis rosa, ubi erit, aut ex quo constabit genus rosarum? aut de quo erit definitio ac scientia de rosa? Ad hoc quoque eodem modo respondeo, quo supra, *genus rosarum esse perpetuum & immortale, quemadmodum cætera genera, & constare ex rosis non solum præsentibus sed etiam præteritis & futuris.* Ita enim placuit linguarum Authoribus, ut significatio nominis generis non solum ad præsentia, sed etiam præterita & futura singularia referretur. Quod facile probatur primum ex communi omnium consuetudine loquendi, dicimus enim aliquem esse decori vel dedecori generi suo, hoc est, patri, avo, cæterisque majoribus suis, qui jamdiu interierunt. Et alium laborãdo assidue, & amplificando rem suam familiarem, prospicere & consulere generi suo, hoc est, filiis, nepotibus, & aliis quamplurimis nondum natis, sed ex se post multa temporum spatia nascituris. Ex quo patet genus hominum, & genus animalium, & cætera, non solum ad præsentia, sed etiam ad præterita futuraque singularia sua pertinere. Deinde idem quoque confirmatur authoritate Julii Pollucis in secundo Onomastici sui libro, capite primo, qui scripturus περὶ γονέων & περὶ τέκνων & περὶ προγόνων, hoc est, de patribus & majoribus, de filiis & de nepotibus ac posteris, inscriptionem illi capiti fecit, περὶ γένους, hoc est, de genere, tanquam uno illo generis vocabulo intelligens cognatos & propinquos, non solum præsentes & viventes, sed etiam præteritos & mortuos una cum iis, qui postea nascituri futurique sunt. Quo circa manifeste apparet rationem ac notionẽ generis ad omnia tempora referri, tam præterita & futura quàm præsentia: idque semper verum esse non solum in genere hominum, sed etiam in genere rosarum, & cæteris omnibus generibus tam artificialibus quam naturalibus, tam substantiæ quam qualitatis & accidentis. Genera enim rerum semper sunt, eo quo dixi, modo, licet singularia eorum assidue intereant: & revera in hominum genere intelliguntur tam ii, qui mortui sunt multis ante seculis, & qui multis post seculis nascentur, quam qui hodie vivunt. Quare ut ad propositum redeam, & Dialecticis respondeam, genus rosarum tempore hyemis, cum nulla est singularis rosa, tamen est, si non in præsentibus rosis, at certe in præteritis & futuris, & constat ex illis, & de eisdem illis traditur definitio & scientia rosæ. Atque ita re-

ita reſponſum ſit huic, & cæteris ſimilibus vanis & inanibus quæſtionibus Dialecticorum. Ex qua reſponſione rurſus apparet, quanto in errore verſetur Rodulphus Agricola, qui libro ſecundo de Dialectica Inventione, capite octavo, putat ſcientias & definitiones de rebus tradi, cum quadam, ut ipſe ait, conditione, ſi ſunt vel erunt, quaſi timens una cum Dialecticis, ne tempore hyemis, cum nulla eſt roſa, nulla poſſit eſſe definitio, nec ſcientia de roſa, niſi ſubintelligatur, roſam eſſe vel futuram eſſe. At ego Tibi dico Rodulphe, vobisque Dialecticis, nihil eſſe opus ulla conditione aut ſubintellectione, ſi eſt vel erit, quia *ſcientia & definitio roſæ, datur non de ſingulis roſis generis roſarum, ſed de genere ſingularum roſarum, quod ſemper eſt, fuit, & erit, etiam ſi nulla ſingularis roſa in præſentia ſit:* quia veteres nominum Impoſitores generis nomen talem ſignificationem habere voluerunt. Sed jam ſatis reſpondimus ad ea, quæ putavimus afferri poſſe à Dialecticis contra nos partim pro defendenda definitione modi illius generis, qui apud Ariſtotelem in Metaphyſicis quartus eſt, apud Porphyrium vero tertius, de quo apud philoſophos ſermonem eſſe ait: partim pro oppugnanda definitione noſtra generis, quam ſupra poſuimus. Quare nunc tranſeamus ad reliquos omnes generis modos, qui traduntur vel ab Ariſtotele, vel à Porphyrio, & videamus quoque in eis, quantum contineatur vel veritatis vel ſanitatis. Diximus ſupra primum generis modum à Porphyrio traditum eſſe verum, & idem nunc quoque repetimus: propterea quod eodem quo nos modo ait, genus eſſe multitudinẽ quandam, ut genus Heraclidarum, genus Tantalidarum. Quamvis non recte putet, ſola genera familiarum ad hunc modum pertinere, cum etiam genera rerum naturalium, & mathematicarum, & aliarum quaruncunque, ad hunc generis modum ſint pertinentia, ut genus animalium, genus arborum, genus linearum, genus triangulorum: & omnino cum nullum verum genus in natura rerum reperiatur, quod non ſit multitudo quædam, & totum diſcretum, ut ante toties diximus. Contra vero de primo generis modo ab Ariſtotele poſito in Metaphyſicis ſentimus, eo quia dicit, genus eſſe generationem continuam eorum, qui eandem habent ſpeciem, quod eſt falſum, cum genus non ſit continua generatio ſpeciem habentium, ſed ex continua ſpeciem habentium generatione conſervetur. Aliud enim eſt, continua generatio aliquorum, aliud illa aliqua ex continua generatione conſervari, ne prorſus intereãt. Illa nanq; mutatio & quaſi renovatio quædam eſt, hæc vero multitudo generatorum & renovatorum. Quamobrem Ariſtoteles in hoc ſuo primo generis modo peſſime videtur ſenſiſſe, & multo etiam pejus illi, qui modũ illum primum generis

(Si genus roſarum eſt multitudo roſarum præteritarum præſentium & futurarum omnium ſimul ſumtarum; nunquam exiſtet; Quia nunquam exiſtunt præterita & futura ſimul ſumta.)

Ariſto-

Aristotelicum, ad primum Porphyrii reduci posse, & eundem penitus esse affirmarunt, cum tantum differat hic ab illo, quantum mutatio à multitudine, & falsitas à veritate. Quod autem pertinet ad secundum generis modum Porphyrii, si est idem qui & secundus Aristotelis, ut Interpretes omnes volunt, ego ambos sine ulla dubitatione pronuntio esse falsissimos. Nam quod Porphyrius ait, genus secundo modo dici de principio generationis cujusq;, primum dico id esse falsissimum, eo quia talis modus generis apud neminẽ recte loquentem neq; Græcum neq; Latinum reperitur. Quod autem idem Porphyrius ad probandum ita inquit, Sic enim & Orestem à Tantalo, & Hylam ab Hercule genus duxisse dicimus: Itemque Pindarum Thebanum, & Platonem vero Athenienſem: dat enim ut pater, sic patria ortus cuiq; principium. Quod inquam Porphyrius, id quod supra proposuerat, hoc modo probare nititur, rursus dico, ea exempla nullam ejus rei probandæ vim, aut efficaciam habere. Nãq; fateor ô Porphyri omnia, quæ tu tibi in probatione tua sumis, esse vera: concedo Orestem à Tantalo ducere genus & principium generationis, sive Tantalum esse authorem generis & principium generationis Orestis: Sed propterea neq; Tu recte probas, neq; ego Tibi assentior Tantalum esse genus Orestis. Aliud est enim Orestem ducere genus & principium generationis à Tantalo, sive Tantalum esse authorem generis & principium generationis Orestis, aliud Tantalum esse Orestis genus. Illud enim nihil aliud est, nisi Orestem esse unum ex multitudine & cognatione eorum, qui à Tantalo sunt oriundi. sive Tantalum esse authorem multitudinis & cognationis Tantalidarum, & principium generationis eorum, ex quorum numero unus fuit etiam ipse Orestes. Hoc vero, hoc est, Tantalum esse genus Orestis, est ipsum Tantalum unum atq; solum, esse genus Tantalidarum, sive omnes Tantalidas, sive omnem Tantalidarum multitudinem: cum & genus Orestis, & genus Tantalidarum, & omnes Tantalidæ, & omnis Tantalidarum multitudo, unum atque idem sit, & ad primum tuum generis modum referatur. Nihil enim differt utrum dicatur genus Orestis, an genus Tantalidarum, cum Orestes fuerit Tantalides, & unum idemq; sit, genus unius ex gene e, & omnium in genere contentorum. Itaque si Tantalus esset genus Orestis, necessario sequeretur, Tantalum esse omnes Tantalidas, hoc est, ipsum unum ac solũ esse trecentos fortassis vel quadringentos homines, qui in genere Tantalidarum fuerunt. Quod dixi de Oreste & Tantalo, idem dictum intelligi volo de Hyla & Hercule, hoc est, Herculem, si fuisset genus Hylæ, totidem homines futurum fuisse, quot in genere Heraclidarum numerantur. Quare cum exempla tua ô Porphyri tam sint diversa ab eo quod probare vis, & nullam habeant ejus

pro-

probandi vim aut efficaciam: & cum illud quod probare intendis, tam sit falsum & absurdum, ut si concedatur, necesse sit simul concedere, unum hominẽ esse fortassis trecentos homines: quis non demiretur tuam istam tantã ingenii tarditatem atq; ignorantiam? Nec magis falsum est id, quod primo loco dicis, Tantalum, aut Herculem, aut alium quemvis patrem esse genus alicujus, quàm id quod postea statim subjungis, suam cujusq; patriam esse genus. Nam quod ad hoc probandum ais, Pindarum dici genere Thebanum, & Platonem genere Athenienſem, fateor hæc omnia vera esse & vere dici, sed non propterea his exemplis probatur aut Thebas Pindari, aut Athenas Platonis, aut aliam quamvis patriam alicujus sui civis esse genus. Esse enim genere Thebanum, aut Athenienſem nihil aliud est, nisi esse unum ex multitudine Thebanorum vel Athenienſium, ut per genus quemadmodum supra dixi, semper intelligatur aliqua multitudo, nec differat utrum dicatur, Pindarus genere Thebanus, an Pindarus multitudine Thebanus, an Pindarus civitate Thebanus, eo quia Pindarus est unus ex genere, ex multitudine, ex civitate Thebanorum. Quod autem in fine addis, ut Patrem, sic etiam Patriam unicuiq; dare ortus sui principium, fateor esse verum: sed quemadmodum pater propterea non est genus, sic etiam patria non recte genus dici potest. Non enim idem est genus quod patria, sed longe aliud ac diversum: genus enim Thebanorum proprie sunt homines & cives Thebani: Patria vero locus & urbs, atq; adeo ipsi muri parietesq; urbis. Itaque sic concludo, si Porphyrius in hoc suo secundo generis modo dicit, aut patrem aut patriam vere esse genus, aut recte dici posse genus, doctrinam illius esse falsissimam. Et rursus, si Aristoteles in suo item secundo generis modo idem dicit quod Porphyrius, ut Interpretes volunt, qui putant secundum Aristotelis modum, ad secundũ Porphyrii posse reduci: dico Aristotelem eodem modo quo Porphyrium errare, nec verum dicere: At vero Porphyrium existimasse & patrem & patriam vere genus esse & vere genus dici posse, testes sunt illius Interpretes ferè omnes, quos vidi, & inter alios Abenrhois Arabs, qui usque adeo Porphyrii doctrina infatuatus est, ut hunc ipsum generis modum explanans non dubitaverit affirmare, & Adamum esse genus hominum, & Hispaniam esse genus Hispanorum: quorũ utrunq; tam est falsum, ut nihil magis falsum excogitari posse videatur. Nec me latet, nonnunquam provinciam pro hominibus provinciæ, hoc est, continens pro cõtento figurate poni solere, ut Græcia barbariæ lento colliſa duello, pro eo quod est Græci: sed nos de propria non de figurata locutione intelligimus. At inquiunt quidam Porphyrii defensores, nonne Virgilius ipse quoq; dicit quodam loco, Et mi genus ab Jove summo? hoc est, mihi principium

generationis est à Jove? & rursus alio loco de Venere loquens, Unde genus ducis? hoc est, à quo, scilicet, mari ducis principium generationis? Sic enim isti Porphyrii protectores exponunt hæc verba Virgilii, & illis putant se probare, genus, sicut dicit Porphyrius, significare principium generationis, & Jovem esse genus eorum, qui ab ipso originem ducunt. Quare istis ego respõdeo, eorum expositionem esse falsissimam, & Virgilium non ita esse intelligendum, ut ipsi dicunt: sed hoc modo, Et mi genus ab Jove summo, hoc est, Genus meum, sive multitudo generis mei, & cognatorum meorum habet originem à Jove. Et, Unde genus ducis, hoc est, à quo, scilicet, mari habes multitudinem congenerum tuorum, qui sunt omnes, ut ita dicam, marigenę, quasi dicat, Tu quoq; ô Venus es una ex multitudine eorum, qui orti sunt sive qui originem ducunt à mari: quemadmodũ Orestes à Tantalo, & Hylas ab Hercule: sic enim mare est author Veneris, & omnium è mari genitorum, sicut & Tantalus Orestis, & Hercules Hylæ, & Dardanus Æneæ, unde Virgilius ait, Dardanum esse authorem generis Æneæ, non Dardanum esse genus nec authorem esse genus. Quod si concederemus Dardanum esse genus, & authorem esse genus, sequeretur, genus esse genus generis, quæ omnia sunt plusquam falsissima & absurdissima. Atque ideo qui recte philosophari cupiunt, hoc pro certo habeant, ubicunq; reperitur genus tã apud Græcos quàm apud Latinos in oratione positum, sive sit genus civile, sive naturale, sive mathematicum, sive quodlibet aliud, semper ibi intelligendam esse multitudinem quandam & totum discretum: & si tertius generis modus ab Aristotele positus, non est multitudo quædam & totum discretum, ipsum quoq; non posse esse verum. Nam quod Interpretes pro exemplis hujusce tertii modi, aiunt, ut aqua est genus omnis metalli, & superficies est genus omnium figurarum superficialium, dico utrunq; horum exemplorum esse falsum. Nam licet verum sit, omnia metalla generari ex aqua tanquam ex materia & subjecto remoto, & aquam esse subjectum remotum omnium metallorum, non tamen aqua vere est genus metallorum, quia si ita esset aqua esset multitudo omnium metallorum: eodemq; modo licet superficies sit subjectum omnium figurarum superficialium, non tamen earum vere potest dici genus: Aliud enim est genus aliud subjectum: Licet contingat nonnunquam, ut genus & materia & subjectum idem sint, ut cum dicimus, quampiam artem versari in aliquo genere, sive in aliqua materia, sive in aliquo subjecto, idem sunt, genus, materia, & subjectum, sed tamen unumquodq; eorum est multitudo quædam rerum, in quibus illa ars versatur, & de quibus considerat: & si non sit multitudo & totum discretum, non potest esse nec subjectum, nec materia artis alicujus:

cum

cum nulla ars in aliquo uno & solo singulari & individuo versari posse videatur. Sic enim Medicina non in uno morbo aut vulnere, sed in omnibus morbis & vulneribus: & Rhetorica non in una re, de qua dicat, sed in omnibus: & omnes aliæ artes, non in una & sola re, sed in omnibus sibi subjectis, versantur. Ut non sit dubitandum, cum dicimus quampiam artem in aliquo genere, sive materia, sive subjecto versari, quin genus ibi accipiendum sit proprie, pro multitudine rerum, materia & subjectum figurate, pro multis materiis & subjectis singularibus: Et ita intelligit Aristoteles τὸ γένος & τὸ ὑποκείμενον, in primo Rhetorices, cum ait, Quare dicimus ipsam non circa aliquod genus privatum versari: & paulo supra, Aliarum enim unaquæque circa sibi subjectum est doctrinalis, & cætera. Ex quibus omnibus satis jam patere arbitror, ex tribus Porphyrii generis modis, unum tantum esse verum, hoc est, primum, ut ante dixi, reliquos autem duos posteriores falsos. Ex quatuor vero Aristotelis, ne unum quidem esse verum. Siquidem primus illius longe diversus est à primo Porphyrii, ut probavimus: secundus autem & quartus Aristotelici, nihil à secundo & tertio Porphyrianis differunt: & si tertii Aristotelici exempla sunt ea, quæ diximus, hoc est, aquam esse genus omnis metalli, & superficiem esse genus omnium figurarum superficialium: quorum utrumq; non solum apud Latinos, sed etiam apud Græcos falsum est. Atque hactenus satis dictum sit de vero genere oratorio, & vera ejus definitione, contra falsum genus Dialecticum, & falsam ejus definitionem; & simul de omnibus veris generis modis, & de iis, qui ab Adversariis falso traditi, atq; in philosophiam introducti fuerunt.

CAPUT SECUNDUM.

De vera specie oratoria, & vera ejus definitione, contra falsam speciem Dialecticam, & falsam illius definitionem.

SPeciei nomen apud Latinos capitur cum aliquot aliis modis, quos qui noscere cupit, is legat vel Observationes nostras in M. T. Ciceronem, vel Thesaurum linguæ latinæ Roberti Stephani, in capite Speciei, ubi multa hujusce nominis exempla proferuntur; Tum etiam vel in primis dicitur de parte, ea quæ generi subjicitur. Atque hinc Cicero utrunque hoc est, tam genus quam speciem definiens, in primo de Inventione libro, ita inquit, Genus est quod plures amplectitur partes, ut animal: pars

est quæ subest generi, ut equus: sed sæpe eadem res alii genus, alii pars est, ut homo animalis pars est, Thebani & Trojani genus. Ex quibus verbis aperte cognoscitur, species fere idem esse quod pars, cum eo in loco Cicero nomē partis, pro nomine speciei ter usurpaverit. Et revera species à parte nihil aliud differt, nisi quod species à genere, sive pars à toto. Species enim partis pars ac species est, si quidem omnis species pars est quædam, non autem contra. Nam pes, aut manus ab hominis corpore præcisa & separata, pars quidem hominis recte dicitur. species autem & forma hominis non recte. In summa *pars est totius tam discreti quam continui*, & ad totum tam discretum quam continuum refertur, *species vero totius non continui, sed discreti tantum est*, & ad totum solummodo discretum recte referri potest. Præterea hæc eadem species etiam appellatur, tum forma, ut à Cicerone, cum alibi, tum maxime in Topicis: tum differentia, ut à Plinio in quamplurimis locis, cum de differentiis vel animalium, vel arborum, vel herbarum, vel aliarum quarumcunque rerum scribit: quod perinde est, ac si diceret, de speciebus vel animalium, vel arborum, vel herbarum, & cætera. Ac ne multa, speciem etiam recte appellari differentiam usque adeo verum est, ut Galenus in secundo de Differentiis pulsuum vehementer reprehendat Archigenem, qui differentiæ nomen speciebus recte tribui posse pernegabat. Atque hinc ipse Galenus quosdam libros suos ita inscripsit, De differentiis morborum, de differentiis febrium, de differentiis pulsuum: quod perinde est ac si ita inscripsisset, de speciebus morborum, de speciebus febrium, de speciebus pulsuum, ut clarius etiam infra demonstrabimus in Capite de differentia. Sicque species apud Latinos alio nomine dicitur tum pars, tum forma, tum differentia: Et species ipsa pars est generis & totius discreti, sic tamen ut ipsamet species comparata superioribus hoc est, suo generi & toti discreto, semper & speciei, & formæ, & differētiæ, & partis nomen retineat, ut homo cōparatus animali, ipsius animalis & pars, & species, & forma, & differentia est. Si autem species, ut puta idem homo, comparetur inferioribus, hoc est, Thebano, & Trojano, & cæteris partibus suis, statim ex specie efficitur genus, & recte genus appellatur: Thebani enim & Trojani, & Romani partes sive species sunt hominis figurate accepti, sive quod idem est, generis hominum proprie: Ut ex superiore illa generis definitione à Cicerone tradita manifestissime comprobatur, & confirmatur verbis Rodulphi Agricolæ in primo de Dialectica inventione Cap. VI. Qui postea quam definitiones generis & speciei dialecticas attulit, ita inquit, Res quidem hoc pacto se habet, sed quod ad speciem attinet, ea individuis comparata hoc

(At certe miles non potest species exercitus appellari. Falsum igitur idem esse speciem, & partem totius discreti.)

nomine

nomine forte parum apte notetur: ſpeciei nanq; nomē iſtud ſola cōparatione ad genus videtur inditum, Individuis autem comparata non jam ſpeciei retinet, ſed generis potius accipit formam. Hæc Rodulphus, ex quibus & ſuperiore illa Ciceronis definitione, cujus etiam meminit Porphyrius, liquido apparet, ut genus ſemper deorſum, nunquam ſurſum ſpectat, ſic ſpeciem nunquam deorſum reſpicere, ſed ſemper ſurſum, & cum deorſum convertitur, & ad inferiora comparatur, ſtatim ſpeciei nomen amittere, & generis acquirere. Nam ſi ſpecies eſt quæ ſubeſt generi, ut recte dicit Cicero, vel quæ generi ſubjicitur, ut etiam confirmat Porphyrius, quomodo poteſt ſpecies non ſemper alteri eſſe ſuppoſita, hoc eſt, generi, ſed aliquando etiam aliis ſuperpoſita? profecto nullo modo poteſt. Quare nequaquam audiendi ſunt Dialectici, qui plusquam ſtulte putant, hominem, & equum, & cætera hujusmodi, ita eſſe ſpecies, ut nullo modo poſſint eſſe genera: atq; ideo perperam appellant ſpecies infimas, ſive (ut ipſi loquuntur) ſpecies ſpecialiſſimas. Quorum opinio non ſolum indocta, ſed etiam temeraria refellitur ac refutatur, partim ex ea definitione ſpeciei quam, ut dixi, Cicero ponit, & Porphyrius confirmat: partim ex communi omnium Scriptorum recte loquentium & ſcribentiū cōſuetudine: à quibus non ſolum homo, & equus, & cæteræ animalis partes appellantur ſpecies, ſed etiam eodem ſpeciei nomine ſignantur multa alia, quæ ſunt homine & equo & reliquis ſpeciebus animalis inferiora, ut Thebanus & Trojanus, antiquus & neotericus, quæ non minus ſunt veræ & germanæ ſpecies hominis, quam homo & equus animalis, nec alia eſt inter eas differentia, niſi quod Trojanus & Thebanus ſpecies ſunt extrinſecæ, & ut ita dicam, accidentales homini, homo vero & equus intrinſecæ, ut pote ad quorum eſſentiam ſubſtantiamque animal pertinet: Sed hoc diſcrimen non facit, ut aliqua res magis vel minus vere ſpecies appelletur, quemadmodum nec dignitas efficit, ut Reges magis homines ſint quam ſubditi & ignobiles, nec magnitudo elephantū magis animal reddit quam formicam. Sed hoc decepit Dialecticos homines, craſſos & indoctos, quod neſcio quo pacto contra omnem veritatē ſibi perſuaſerunt, nullam poſſe eſſe ſpeciem, niſi quæ à genere ſuo ſeparari non poſſet, & quæ naturalis ei eſſentialisque eſſet, ſicut contra, nullum poſſe eſſe verum genus, niſi quod à ſpecie diſjungi non queat, & de eſſentia illius ſubſtantiaque ſit. Quorum utrunq; eſt falſiſſimum: ſunt enim revera, ut etiam in ſuperiore Capite dictum eſt, quemadmodū ex generibus quædam eſſentialia ſuis ſpeciebus, quædam vero accidentalia, ſic item ex ſpeciebus quædam eſſentiales generi ſunt, quædam accidentales, ſicut cum dicimus, parietem & pannum eſſe in genere alborum, cum eorum uterque albus eſt, & aquam, atq; ferrum eſſe in genere calidorum, quando utrunque calidum eſt. Quibus in

exemplis, & aliis innumeris ſimilibus quis non videat, tam album & calidum eſſe vera genera, illud parietis & panni, hoc aquæ & ferri, quam animal, hominis, & equi, & arbor, fraxini, & ulmi? & tamen nec album à pariete & panno, nec calidum ab aqua & ferro eſt inſeparabile, nec ullum ex his generibus eſt de eſſentia ſpecierum, aut ſpecies de ſubſtantia generum. Quare, ut dixi, craſſa nimis & indocta eſt hac in re Dialecticorum opinio, qui & contra communem uſum Scriptorum, & contra publicã loquendi conſuetudinem, & deniq; contra veritatem ſibi temere perſuaſerunt, inter omnia genera, & omnes ſpecies tantam eſſe cognationem, ut & genera ad ſpecierum, & ſpecies ad generum eſſentiam pertineant, atque ut nec genera à ſpeciebus, nec ſpecies à generibus ſeparari poſſint: quod, ut dixi, in generibus & ſpeciebus naturalibus & eſſentialibus tantummodo verum eſt, in extrinſecis vero & accidentalibus, nequaquam. Atque ut etiam omnes minus mirentur Thebanum, & Trojanum & cæteras hujuſmodi formas accidentales, in quas homo dividitur, ut vere Cicero dicit, eſſe veras ſpecies hominis, dico non ſolum has quas dixi formas accidentarias, ſed etiam earum *ſingularia individua*, ut Pelopidam & Antenorem, Socratem & Platonem, & cætera ſingularia, *& vere eſſe & recte appellari ſpecies.* Idque probo primum apud Græcos authoritate Zenonis Cittiæi Stoicæ diſciplinæ principis, cujus verba apud Laertium Diogenem in ejus vita hæc ſunt, εἰδικώτατον δὲ ἐστὶν ὃ εἶδος οὐκ ἔχει, ὥσπερ ὁ Σωκράτης: hoc eſt, ſpecialiſſima ſpecies eſt, quæ ſpecies cum ſit, ſpeciem non habet, ut Socrates. Deinde teſtimonio Ariſtotelis Dialecticorum ſcilicet numinis, ac Dei, qui in primo de partibus animalium, ita ſcribit, ἐπεὶ ὃ οὐσίαι μέν εἰσι τὰ ἔσχατα εἴδη, ταῦτα ὃ κατὰ τὸ εἶδος ἀδιάφορα ὅιον Σωκράτης, Κόρισκος, hoc eſt, cum ultimæ ſpecies ſubſtantiæ ſint, hæ autem nullo ſpeciei diſcrimine differunt, ut Socrates, & Coriſcus. Apud Latinos vero rurſus primum authoritate Juriſconſultorum veterum, qui ſingulares homines, ut Stichum & Pamphilum, & reliquos hujuſmodi identidem appellant ſpecies, ut Julianus in lege In ſtipulationibus, & Ulpianus in lege, Scire debemus, Digeſtis de Verborum obligationibus. Deinde teſtimonio Grammaticorum ſimiliter antiquorum, ut Servii, & aliorum, qui ſcripta veterum interpretantur, & ſubinde dicunt, & ſpeciem pro genere, & genus pro ſpecie poni figurate: per ſpeciem intelligentes individuum aliquod, puta Padum vel Lycæum, hoc eſt, ſingularem aliquem fluvium, vel ſingularem aliquem montem per genus vero fluvium, vel montem ſimpliciter & abſolute, hoc eſt, quemcunque fluvium, & quemcunque montem: ut ſuper eo Virgilii verſu,

Paſcuntur vero ſylvas & ſumma Lycæi.

Servius

Servius ait, ſumma Lycæi montis Arcadiæ, & eſt ſpecies pro genere. Item ſuper illo alio,

Nec non & torrentem undam levis innatat alnus
Miſſa Pado.

Sic inquit, miſſa Pado, eſt ſpecies pro genere. Idemque faciunt alii Grammatici in nominibus hominum, aliarumq; rerum, quæ tum ſingulariter, tum generaliter à Scriptoribus poſitæ reperiuntur. Quare adverſus falſam & ſtultam Dialecticorum opinionem, qui hominem dicunt eſſe ſpeciem ultimam, & ſpecialiſſimam, & infra hominem nullam eſſe amplius ſpeciem, conſtat & authoritatibus ſummorum Philoſophorum Græcorum, & teſtimoniis Juriſconſultorum, Grammaticorumq; Latinorum veterum, nomen ſpeciei non ſolum homini, ſed etiam iis, quæ ſunt infra hominem, ut Thebano & Trojano, atque adeo etiam ſingularibus ipſis, ut Socrati & Coriſco, Sticho & Pamphilo, Pado & Lyceo, vere & recte tribui poſſe. Atque appellationem ſpeciei ſpecialiſſimæ, non ſpeciei hominis neque equi, ſed ſingularibus hominibus & ſingularibus equis, aliarumque ſpecierum individuis eſſe tribuendam: ſervata tamen ſemper hac differentia, ut & homo, & equus, & alia ſimilia ſpecies dicantur, intrinſecæ, & eſſentiales, & diviſibiles, Trojanus & Thebanus, antiquus & neotericus, & cætera hujuſmodi, nominentur ſpecies extrinſecæ & accidentales, eodemque modo ut ſuperiores illæ, diviſibiles. *Individua vero ipſa quoq;*
(Idem ſentiunt Cornel. Valerius, Nic. Vigelius, Franc. Hottomannus, Petrus Gaſſendus.)
ſimiliter appellentur ſpecies, ſed indiviſibiles & ſpecialiſſimæ, ad differentiam ſuperiorum illarum, eo quia dividi in alias ſpecies amplius non poſſunt, nec alias ſpecies infra ſe habent. Hæc enim eſt vera & Germana ſpeciei doctrina ad recte philoſophandum in primis neceſſaria. Ex qua patet temeraria inſcitia Ludovici Vives in Libello de Explanatione cujuſque eſſentiæ, & Joannis Rivii in primo ſuæ Dialecticæ, quorum uterque audet reprehendere Ciceronem, eo quod in primo de Inventione dixit, Trojanum & Thebanum eſſe hominis ſpecies. Etenim inquit Vives, ſpecies omnia, quæ ſunt naturæ ac eſſentiæ generis continet, additq; inſuper ex ſe aliquid, quod eſt ſuæ eſſentiæ, non inhærentis aut materiæ, ut homo ei quod eſt animalis, nempe vitæ & ſenſui, rationem adjungit, & album colorato ſparſionem intuitus: Trojanus nihil eſſentiale affert homini, ac ne vir quidem aut fœmina: materiæ nanque eſt ſexus non effectionis. Ideo mutaſſe quoſdam ſexum minus eſt mirandum, quoniam non migrabant ab effectione eſſentiali in diverſam. Hæc ſunt verba Vivis viri alias quidem doctiſſimi, ſed hac in re pluſquam ſtulti. Nam quis te docuit ô nugator, neceſſe eſſe ut ſpecies omnia, quæ ſunt naturæ & eſſentiæ generis contineat? aut oportere ut Trojanus, ad hoc ut ſit, ſpecies hominis,

afferat

afferat aliquid essentiale homini ? At ego tibi dico hæc omnia, quæ tu dicis, esse meras nugas, & inde omnia errata tua manare, quod non discernis genera & species accidentales, à generibus & speciebus essentialibus, quæ sunt valde diversa, ut nos supra monuimus: Quamobrem disce primũ non semper nec species ad generum, nec genera ad specierũ essentiam pertinere: cum scilicet sunt accidentalia: Deinde & Trojanum & Thebanum vere esse species hominis, quia Trojani & Thebani vere sunt in genere hominum: Tum etiam virum atque fœminam esse species hominis veras, eadem ratione, quia viri & fœminæ vere sunt in genere hominum. Quomodo enim Trojani & Thebani essent in genere hominum, si utriq; hominis non essent species? Item quomodo viri & fœminæ essent in genere hominum, si utriq; hominis species esse nõ possent? At inquis ideo, mutasse quosdam sexum minus est mirandum, quia non migrabant ab effectione essentiali in diversam. Ego vero Tibi respondeo, Illos si non ab essentiali, at certe ab accidentali effectione migrasse in diversam, & si sexum mutarunt, mutasse etiam genus : quoniam qui antea erant in genere virorũ, postea in fœminarum: & contra, qui prius erant in genere fœminarum, postea in virorum esse cœperunt. Atque ita nihil valet oblatratio illa Vivis contra Ciceronem. Rivius vero ita scribit, Hinc errare jam liquet eos in quibus est Cicero, qui Thebanum & Trojanum species hominis putant, quæ non hominis perinde sunt ac nationis: quoniam neq; ad essentiam hominis pertinent, sed ad accidens, neque de suis individuis in quid prædicantur, sed in cujas. Induit tamen homo formam generis, cum extra ordinem substantiæ egredimur, ut hominum alius mas alius fœmina, hominum alius bonus alius malus. Hæc quoque Rivius, multo quam Vives ineptior, si quidem negat Thebanum & Trojanum esse species hominis: deinde quasi delirans concedit eundem hominem induere formam generis, cum, scilicet, extra ordinẽ substantiæ egredimur. Sed quis Te docuit ô inepte Grammaticule, Hominẽ, etiam si extra ordinem substantiæ non egrediamur, non posse esse verum genus Thebani & Trojani? & rursus Thebanum & Trojanum, etiam si ad essentiam hominis non pertinent, non posse esse veras hominis species? scilicet. Tu quoque ex eadem fece hausisti, ex qua Vives, hoc est, ex volutabro Dialectico. At ego contra te dico idem, quod paulo supra contra Vivem dicebam ad constituendam veram generis & speciei naturam nihil eorum, quæ vos dicitis, necessarium esse, eaq; tantummodo locum habere in generibus & speciebus naturalibus & essentialibus, non accidentalibus & ad essentiam non pertinentibus, qualia sunt ea, de quibus nunc loquimur. Quare Tu quoque disce verum esse id quod dicit Cicero, Trojanum & Thebanum esse veras hominis

species,

ſpecies, ſi non eſſentiales at certe accidentales, & cognoſce ea, quæ Tu ex ſterquilinio Dialecticorum hauriens contra Ciceronem nugaris, nihil aliud eſſe niſi meras inſanias. At inquis Thebanus & Trojanus de ſuis individuis in quid non prædicantur, ſed in cujas, atque ideo non poſſunt eſſe veræ ſpecies: omnis enim vera ſpecies ex ſententia Dialecticorum de pluribus numero differentibus in quid eſt prædicatur. Audio & in his aliisq; verbis tuis duplicem inſaniam dialecticam agnoſco, unam quod una cum Dialecticis putas aliquam eſſe poſſe ſpeciem veram, quæ deorſum aſpiciat, & de aliquibus inferioribus prædicetur, quam opinionem nos ſupra refutavimus, alteram quod ignoras nec generis nec ſpeciei proprium eſſe, ut dicatur in quid, aut in quale de ſuis inferioribus, ſed nominis appellativi ſimplicis, ut nos antea docuimus. Quæ quidem ignoratio hoc tibi turpior eſt, quod Grammaticam profiteris, & quid nominis appellativi proprium ſit nunquam intelligere potuiſti. Sed ita refutatis nugatoribus iſtis, qui contra Ciceronem temere atq; impudenter nugari ſunt auſi, nunc redeo ad id, quod propoſitum eſt, hoc eſt, ad tradendam veram ſpeciei definitionem noſtram, & ad illam Adverſariorum falſam funditus evertendam. Eſt ergo ſpecies vere, ut nos arbitramur, pars una multitudinis vel totius diſcreti, ejus quod appellatur genus, ut homo & equus animalis, Trojanus & Thebanus hominis, Socrates & Coriſcus, Stichus & Pamphilus, Trojani & Thebani, & cæteræ ſpecies tam diviſibiles quam indiviſibiles, & ſpecialiſſimæ ſui cujusque generis. Qua in definitione dictum eſt primo pars loco generis, quoniam, ut ſupradixi, omnis ſpecies eſt pars quædam, & in genere partium vere poſita, neque vero cujuſcunque totius diſcreti ſpecies pars eſt, ſed tantum ejus, quod proprie vocatur genus. Nam quemadmodum ſupra definivi genus eſſe totum quoddam diſcretum ex ſuis omnibus ſpeciebus compoſitum, ſic hoc loco dico ſpeciem eſſe partem quandam, ex qua una cum multis aliis componitur genus, ut genus & ſpecies, cum ſint ad aliquid, veluti totum & pars, alterum in definitione alterius ponatur. Ergo cætera omnia, præter partem in hac definitione poſita, locum differentiæ, ſive proprietatis obtinent. Diſtinguunt enim ſpeciem à partibus aliorum totorum diſcretorũ, ex quibus non componuntur, neq; conſtant genera, ut à partibus populi, exercitus, gregis, armenti, quæ licet conſtent ex partibus, non tamen ex ſpeciebus ſuis. Non enim partes gregis & armenti proprie ſunt ſpecies gregis & armenti. Quod vero in fine addidimus, exempli cauſa, ut homo & equus animalis, id fecimus, quia Dialectici etiam ipſi ita faciunt, & quia verum eſt, hominem & equum eſſe ſpecies animalis, naturales, ſcilicet, & eſſentiales: Deinde ut Thebanus & Trojanus hominis, quia Thebani & Trojani & cæteri

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [189] - 121

similes populi vere sunt species & formæ hominis, si non intrinsecæ & essentiales, ut illæ superiores, at saltem extrinsecæ & accidentales, ut rectissime dicit Cicero, & pessime illi duo inepti quos ante refutavi. Postremo ut Socrates & Coriscus, Stichus & Pamphilus, quoniam summi Philosophi Græci, & Jurisconsulti, Grammaticique veteres Latini, cum exempla singularium & individuarum specierum afferre volunt, his atque aliis hujusmodi nominibus propriis & individuis utuntur. Atque ut quam apertissime intelligatur quale nos volumus esse id genus cui subjicitur species, & quales intelligamus species tam divisibiles quàm indivisibiles, ad extremum id per quam accommodata similitudine quasi ante oculos ponimus, hoc modo, ut genus, hoc est, animal exempli causa, sit tanquam exercitus quidam militum, species vero divisibilis tanquam legio una, ut homo vel equus, altera vero species divisibilis tanquam cohors una, ut Trojanus vel Thebanus, Dardanius vel Cadmeus, postremo individuum vel species individua tanquam miles unus singularis cohorti suæ comparatus. Talia enim nos esse genera, tam naturalia & mathematica, quam oratoria & aliorum quoruncũq; generum & scriptorũ, & tales species tam divisibiles quàm quæ dividi non possunt, arbitramur. Atque ita de genere, & specie sentiendum est omnibus, qui vere & recte philosophari volunt, neglectis & contemptis omnibus nugis Dialecticorum, simulq derisa & explosa falsa illa opinione eorum, qui stulte putant nullam posse esse speciẽ, nisi quæ constituatur per differentias sive proprietates generis essentiales, cum id etiam, quemadmodum supra docui, per differentias sive proprietates extrinsecas & non essentiales percommode fieri possit, concedente id atq; assentiente cõmuni omnium loquendi consuetudine, & usu scribendi doctissimorum quoruncunq; authorum. Sic igitur species à nobis definitur, & omniũ definitionis nostræ partium, hæc est ratio : Nunc excutiamus definitionem speciei Adversariorum, & ostendamus eadem planè vitia hic ab eis, atq; etiã plura & majora quàm in genere definiendo fuisse admissa. Porphyrius, & unà cum Porphyrio omnes Dialectici uno ore speciem esse aiunt, quæ de pluribus numero differentibus in quid est prædicatur, ut homo & equus. Hæc est in summa definitio speciei Dialecticorum, in qua, ut omittam id quamvis leve vitium, quod nullum est appositum genus, item illud aliud eorum, qui multo magis indocte & barbare apponunt universale, vel prædicabile loco generis, quæ à nobis supra fuerunt reprehensa, ut inquam hæc omittam. Primum illud est vitium, quod etiam supra refutavimus in definitione generis Dialectici, quòd non res quæ vere est species, sed nomen speciei, hoc est, nomen appellativum simplex definitur. Namq;, ut supra multoties jam dictum est,

genera

geonra & ſpecies rerum ſunt res, non nomina, ut ſpecies hominum, & ſpecies boum, & tanquam res, non tanquam nomina definiri debent, Nam qui ſpeciē tanquam nomen definit, is ut ſupra dixi, in vitium illud Archigenis cadit à Galeno reprehenſum: & eodem modo peccat, ut qui populi & exercitus non tanquam rerum, ſed tanquam nominum definitiones affert, dicens, populum vel exercitum eſſe qui dicatur vel prædicatur de pluribus, & cætera, ut ante dixi. Quæ definitiones ſi populus & exercitus conſiderentur, ut nomina ſunt ſine ulla dubitatione veræ ſunt. Dici enim & prædicari de pluribus, non rerum, ſed nominum proprium eſt, ut jam toties monui, Præterea etiam ſi ſpecies nomen eſſet, quod ſæpe accidit in ſpeciebus nominum definiendis, tamē adhuc ingenti & fœdo vitio laboraret iſta definitio, quia ſpecies, ut ſpecies eſt, ſemper eſt pars generis, & ſemper ſurſum ad genus & ad totum ſuum diſcretum reſpicit, ut ante dixi, nunquam deorſum verſum convertitur. Namque ut deorſum aſpicit ſpeciei proprietatē amittit, & non amplius ſpecies, ſed genus debet appellari. Et hoc eſt illud quod Cicero in primo de Inventione ſupra citato ait, Eandem rem ſæpe alii genus, alii partem eſſe. Homo enim cum ad ſuperiora reſpicit, hoc eſt, ad animal, proprie ſpecies eſt, cum vero ut ad inferiora ſpectet, detorquetur, ut ad Trojanum vel Thebanum, vel ad ſingularia hominis ſtatim ex ſpecie efficitur, genus. diverſa enim comparatio, diverſum ei comparat nomen. Quod etiam confirmat Rodulphus Agricola, qui ſpeciem definiens dixit, eam eſſe in quam ſub ſe comprehenſam dividitur genus, quaſi innuens ſpeciem ſemper ad ſuum genus, ſurſum aſpicere, nunquam deorſum, Et recte quidem. Nam cum ſpecies ſine ulla dubitatione ſit pars quædam, quemadmodum pars ſemper ſurſum ad ſuum totum cōverſa eſt, ſic etiam ſpecies ad ſuum genus. Et rurſus quemadmodum abſurdum eſt dicere, partem, ut pars eſt, deorſum ad partes ſuas ſpectare, ſic etiam affirmare ſpeciem, ut ſpecies eſt, deorſum ad alias partes ſuas eſſe converſam. Ex quibus manifeſte apparet inſcitia, atque ignorantia Dialecticorum, qui in definienda ſpecie, non ſolum illud vitium admiſerunt, quod nomen rei pro re ipſa definierunt, ſed etiam illud multo gravius, quod putaverunt ſpeciei nomen, dici de rebus, non ut de partibus quibusdam, quæ ſurſum ad ſuum totum, ſive genus ſpectent, ſed ut de totis ſive generibus, quæ deorſum aſpiciant ad partes ſuas, & eas tanquam ex illis compoſita contineant. Quod non ſecus abſurdum eſt, ac ſi quis diceret partem, ut pars eſt, non ut totum eſt, continere alias ſub ſe partes. Nam ſpecies, ut dixi, cum ſemper pars quædam generis ſit, ut primis illis nominum authoribus placuit, nunquam fieri poteſt, ut quatenus talis eſt, continere alia, non contineri ab alio dicatur. Ergo hæc ſunt duo maxima

Dialecticorum errata in definienda ſpecie admiſſa. Quod autem aiunt ſpeciē dici non ſolum de pluribus, ſed etiam numero differentibus, tertium eſt erratum nihil duobus illis ſupra dictis levius. Omne enim quod differt, ut & ante monui, & infra clarius in Capite ſequenti dicetur, vel ſpecie vel genere differt. Differre autem numero & eſſe idem numero eo modo, quo ipſi intelligunt, nemo unquam dixit, niſi Dialecticus, hoc eſt, linguarum depravator, & prave loquendi Author. Nam quod aiunt Platonem, & Socratem, & alia quæcunq; duo individua generis humani differe numero, non eſt verum, quia non differentem, ſed eundem habent numerum, hoc eſt, unitatem, & uterq; eorum eſt unus, quo fit ut differant non numero, ſed ſpecie, cum ſint duæ differentes ſpecies indiviſibiles generis Troianorum vel generis hominum: ſic enim ſpecie non numero differunt omnia individua. Differre autem numero recte dicuntur duo globi hominum, quorum alter decem homines, exempli cauſa, alter viginti contineat, quia habent differentem numerum. At Socrates & Plato cum, ut dixi, uterq; eorum unus ſit, quomodo poſſunt differe numero? Equidem non video qui poſſint. Præterea communiter loquentes dicimus unum numero, duo numero, decem numero, & ſic in infinitum, ut hic loquendi modus communiter ad numerum ſemper referatur. Quare neſcio quâ ratione Dialectici eum, ad id quod eſt eſſe differens, vel idem numero detorquere velint. Nam cum illa ſint eadē magnitudine quæ habent eandem magnitudinem, & differant magnitudine quæ habent diverſam, cur non eadem numero etiam ſint ea, quæ habent eundem numerum? & diverſa quæ diverſum? Quocirca individui homines ſingillatim accepti & eodem numero prædíti, non poſſunt differre numero, niſi etiam differant magnitudine, quæ unam & eandem habent magnitudinem, puta bipedalem vel tripedalem. Quod ſi conſideres eadem individua non ut ſingula ſunt unum numero per ſe, ſed ut ſunt ſpecies generis ſui, non immerito dicentur differre ſpecie, quia ſunt unius & ejuſdem generis ſpecies inter ſe differentes. Sed de hoc poſtea latius in Capite de differentia. Nunc tātummodo Lectorem admonitum eſſe volumus, in definitione ſpeciei à Dialecticis peſſime adjectum fuiſſe illud, numero differentibus, quoniam individua ſingula per ſe non numero, ſed ſpecie & aliis multis modis differunt, ut magnitudine, parvitate, nobilitate, divitiis, & cæteris hujuſmodi. Atq; etiam quia pars hæc definitionis eſt ſupervacanea, & id quod definitur à nullo differre facit, cum omnia tam genera & ſpecies, quàm individua, ſi vera eſſet differentia illa numeri dialectica, poſſent eo modo dici differre numero. Quia quemadmodum in numerandis hominibus dicimus, hunc eſſe Socratem, illum Platonem, & ſic reliquos. Et propterea Socrates & Plato

à Dia-

à Dialecticis dicuntur differre numero, sic etiam in numerandis speciebus vel generibus, dicimus hæc est species humana, illa est species equina, hoc est genus animalium, illud est genus arborum, & cætera: atque ideo quâ ratione singuli homines, eadem quoq; genera & species inter se numero differre non male dicerentur. Sed recte dici non possunt, quia falsum est individua singillatim inter se differre numero, & propterea valde erraverunt Rodulphus Agricola, & Ludovicus Vives, & alii quicunq; hanc falsam numeri differentiam in definitione speciei tanquam veram inconsiderate receperunt, & approbaverunt. Sed quod in fine definitionis addunt speciem dici sive prædicari in quid est, hoc vero eodem modo falsum est, quemadmodum supra diximus, in definitione generis Dialectici, quia species, ut species & res vera est, de nullo proprie dicitur, nec in quid nec in quale, sed hoc proprium est nominis substantivi vel adjectivi, ut supra docuimus in definitione nominis substantivi & adjectivi. Quare si definitio nostra nominis substantivi & adjectivi vera est ut certe est, hæc definitio speciei dialectica nullo pacto vera esse potest. Cujus si partes omnes falsæ sunt, aut supervacuæ, aut barbaræ, ut diximus, certe nec exempla, quæ ad eam confirmandam afferuntur, vera erunt: Nam & homo & equus species quidem sunt, sed ut in animali, hoc est, in genere suo continentur, non ut ipsæ alia continent: hæc enim habitudo continendi & deorsum aspiciendi, non specierum, sed generum propria est. Ex quibus apparet in definitione speciei dialecticæ nihil esse sani, hoc est, nisi vel falsum vel supervacuum vel ridiculum. Quamobrem qui recte philosophari cupiunt, nullo pacto definitionem hanc speciei Dialecticam sequantur, sed aut illam quam nos supra posuimus, aut illam Ciceronis, quæ utitur nomine partis pro nomine speciei, hoc modo, pars est, quæ subest generi, aut deniq; illam Rodulphi Agricolæ, quam supra diximus, quæ talis est, Species est in quam sub se comprehensam dividitur genus. Hæ enim omnes sunt veræ & rectæ. Nam illa quam Cicero affert in Topicis, sic dicens, Forma est notio, cujus differentia ad caput generis & quasi ad fontem referri potest, non Ciceronis, ut supra dixi, sed vel Aristotelis, vel Stoicorum est, & hoc vitio maxime laborat, quod dicendo speciem esse notionem, rem definit non ut extra mentem existit revera, sed ut in mente, tanquam in speculo posita est & cognita. Quem definiendi modum etiam diximus esse vitiosum. Res enim non ut cognoscuntur & intelliguntur, sed ut sunt & existunt revera extra cogitationem nostram definiri debent. Quod & in nostra superiori definitione generis & speciei, & in illis aliis omnibus, quas dixi, servatum est. Ex quo patet in definitione generis ac speciei idem penè vitium fuisse admissum à Stoicis atq; Dialecticis.

Stoici enim ea definierunt ut cognita & in mente collocata, Dialectici vero ut appellationes ac nomina in voce posita. Quorum utrunque vitiosissimum est. Sed hic mihi occurrunt quidam Dialectici dicentes, illa quæ à nobis definita sunt genera & species, non esse vera genera neque veras species dialecticas, & philosophicas, sed grammaticas & oratorias, quæ longe à dialecticis & philosophicis differunt: aliter enim accipere res, & rerum vocabula Dialecticos & Philosophos, aliter Grammaticos & Oratores; & propterea quæ diximus nihil adversari Dialecticis suo quodam & privato more loquẽtibus, nec accipiẽtibus res, & voces rerum eodem modo, quo alii faciunt. Licere enim unicuiq; (ajunt) in arte sua ut vult loqui, & tam rebus quam verbis suo modo uti: Quæ Dialecticorum responsio, licet usque adeo absurda & indocta sit, ut nulla nec absurdior nec indoctior possit excogitari, tamen ut video sic à plerisque etiam doctissimis Viris recipitur & approbatur, ut putent quasi duas diversas esse linguas, & duas differentes rerum naturas: illam Dialecticorum & Philosophorum, & illam Grammaticorum & Oratorum aliorumque Scriptorum, & utrisque licitum esse suo modo, suisq; verbis, quamlibet diversis, loqui & scribere. At ego una cum Laurentio Valensi contra dico, neminem recte philosophantem solere, ac ne debere quidem in veritate investiganda, recedere ab usitata & communi omnium loquendi consuetudine, & quasi à via vulgo trita & silicibus strata, qualis est illa Grammaticorum & Oratorum: Et illud etiam adjungo, quemadmodũ omniũ tã animatorũ quam inanimatorũ una eademq; est rerum natura, sic etiam omnium latine loquentium, esse unam eandemque latinam linguam, sicut unam & Græcorum Græcam, & Arabum Arabicam: nec aliam Dialecticorum & Philosophorum, aliam Grammaticorum & Oratorum esse statuendam, ut ipsi plusquam stultissime arbitrantur: Nisi forte quibusdam in vocibus, quas utrique ipsi sibi pepererunt, ad exprimendas & significandas res ab ipsis inventas, vel ab aliis ante nunquam nominatas. Quibus in casibus licet nova fingere, atque imponere nomina: Idque hac tantum conditione, ut res illæ, quibus nomina imponuntur, sint vel veræ, vel utiles, vel necessariæ, vel saltem delectationis aliquid afferentes. Nam extra hos casus nemini fas est, ut Græci dicunt ὀνοματοποιεῖν, hoc est, nova nomina fingere, nisi populo, Quem penes arbitrium est, & jus & norma loquendi, ut recte inquit Horatius. Atque ideo Dialectici non recte faciunt, sed maximum committunt vitium, qui primum impudenter & barbare nominant res à se non inventas, & ab aliis ante nominatas, ut exempli gratia, quæ Grammatici & Oratores jam inde à principio vocaverunt nomina, verba, adjectiva, substantiva, supposita, apposita, propositiones, assumptiones, & plurima alia hujusmodi,

ipsi

ipsi prætermissis & rejectis penitus nominibus antiquis & rectis, appellant, terminos, copulas, concreta, abstracta, subjecta, prædicata, majores, minores, & alia id genus sexcenta. Deinde etiam nomina imponunt rebus falsis & commentitiis, quæ nusquam vere in rerum natura reperiuntur, ut secundis intentionibus, secundis substantiis, & deniq; universalibus omnibus, ut omittam interim illud unum, quod non est, ut ipsi dicunt, principium numeri, sed cum ante convertitur, & rursus illas alias unitates minores unitate numerali, hoc est meras Dialecticorum insanias, quas multo utilius est ignorari, quàm intelligi: cum nec satis unquam fuerint intellectæ ab iis, qui eas introduxerunt. Et hæc omnia faciunt prorsus non solum sine ulla veritate, sine ulla necessitate, sine ulla utilitate, sine ulla delectatione, sed etiam cum ingenti discentium labore, & maxima ingeniorum excarnificatione, dum compelluntur intelligere & discere, ea quæ intelligi & disci non possunt, quia non sunt: & dum recedentes à scholis Grammaticorum, coguntur obliviscì, & quasi dediscere penè omnia, quæ didicerant: & novam quodammodo addiscere linguam barbaram, horridam, rusticam, spinosam, qua discenda non docti & eruditi, ut par esset, sed morosi, garruli, & supra quàm dici potest, rixosi evadunt. Quæ omnia mala & incommoda, nullam aliam ob causam eveniunt, nisi propter nimiam & immoderatam loquendi, ac fingendi licentiam. Quamobrem respondendo Dialecticis ita concludo, nostra genera, & nostras species à nobis definitas esse veras, & ab omnibus probatis Scriptoribus communiter receptas, approbatas, & usurpatas. Illorum autem genera & species à nemine præter quam ab ipsis probari & usurpari: idq; nullam aliam ad rem, nisi ad nugandum & garriendum, intelligi vero & percipi, nec ab aliis nec ab ipsis, nisi ut Centauros, & Chimæras, & alias res fictas. Itaque cum dicunt alia esse genera & species Dialecticorum & Philosophorum, alia Grammaticorum & Oratorum, fateor id esse verum: sed ita ut illorum falsa & absurda nullamque ad rem necessaria sint, horum autem vera, legitima, ac naturæ rerum, & communi sermoni humanæq; rationi consentanea: sic ut cum dicitur Grammatice & Oratorie, sic accipiatur, quasi diceretur, ad communem omnium sensum, & ad publicam loquendi consuetudinem, & deniq; ad veritatem accommodate: cum autem dicitur Logice sive Dialectice sive Metaphysice, ita intelligatur, ut si ita proferretur, prorsus stulte, & barbare, & in summa more non hominum, qui in hac communi rerum natura versentur, sed Picarũ ac Graculorum ex alio quodam orbe terrarum ac mundo venientium. Id quod à nobis contra Dialecticos omnes, & Metaphysicos semel responsum esse volumus, ne quoniam ipsi ferè ubiq; ad excusandos errores suos hac defensione utuntur, nos

quoq;

quoque identidem cogamur eandem afferre confutationem,& quaſi eandem canere cantilenam. Nihil igitur Dialectici, neque ſibi proſunt iſta defenſione, neque nobis obſunt, cum fingunt aliter à ſe, aliter à nobis verba, ac res accipi, & unicuique licere loqui ac ſcribere modo ſuo: perinde ac ſi quot artes, ac ſcientiæ inveniantur, tot verborum genera, tot linguæ, atque etiam tot rerum naturæ eſſent ponendæ: quo nihil neque magis falſum, neque magis abſurdum excogitari poteſt. Sed omiſſa falſitate & abſurditate Dialecticorum, quæ nunquam ſatis digne vituperari & rideri poſſet, & oſtenſo quid proprie ſpeciei nomine ſignificetur, & quænam ſit ejus vera definitio noſtra, & quæ Adverſariorum falſa, quotque vitia ab illis in ea definienda fuerunt admiſſa, hic jam de ſpecie dicendi finem faciam, & ad Caput de Differentia, proprioque & cæteris ſequentibus pertranſibo.

CAPUT TERTIUM.

De vera differentia, & vero proprio philoſophicis, & oratoriis, & ſimul de eiſdem Adverſariorum vel falſis, vel inutilibus.

EX quinque univerſalibus Dialecticorum realibus, quæ vocantur, jam ſatis reprehendimus & refutavimus duo priora, genus & ſpeciem: idque primum, ut univerſalia, hoc eſt, res omnino falſas & commentitias. Deinde etiam ſi eſſent res veræ, tamen ut prave & perperam definitas. Poſtremo vero quia etiam ſi omnia alia vera eſſent, tamen ſpecies inter univerſalia nõ recte fuit numerata, eo quia, ut ſpecies eſt, de nullo prædicatur, nec ulla habet inferiora, ſed tantũ ut genus, hoc eſt, ut deorſum convertitur, & ex ſpecie genus efficitur, ut diximus in Capite ſuperiori. Nunc tempus eſt, ut tranſeamus ad alia: & ne nimis longi ſimus, ut uno eodemque capite expediamus differentiam & proprium, prius more noſtro oſtendentes noſtra vera, hoc eſt, quid proprie ſignificetur nominibus differentiæ & proprii, & quot & quinam ſint veri utriuſq; modi, & quid denique vere differentia ſit & quid proprium. Deinde refutantes aliena falſa, & demonſtrantes pene omnes differentiarum ac propriorum modos à Dialecticis traditos eſſe vel inutiles vel falſos: & propterea definitiones differentiæ ac proprii à Dialecticis traditas, non poſſe eſſe ſatis utiles ac ſanas. Ad quæ omnia probanda, illud

illud ante omnia sciri volumus, usq; adeo non facile esse intelligere, quid proprie significetur nominibus differentiæ ac proprii, & quid vere sit differentia & proprium, ut in rebus definiendis, quod Aristoteles vocavit differentiam, cum ait definitionem constare ex genere & differentia sive differentiis: id M. Tullius in Partitionibus oratoriis appellarit proprium sive proprietatem, dicens, Non dubium esse, quin definitio genere declaretur & proprietate quadam, aut etiam communium frequentia. Quam ob discrepantiam tantorum virorum Rodulphus Agricola vel non audens affirmare alterum errasse, vel certe existimans utrunq; recte dicere, & volens eos conciliare, sic definit differentiam, in primo libro de Inventione dialectica Cap. V. ut dicat, eam esse proprietatem rei notã, perinde ac si diceret differẽtiam esse proprium, hoc est, ut ita loquar, aquam esse ignem. Nam per deos immortales, quomodo potest differentia, ut differentia est, esse proprium? aut quomodo potest proprium, ut proprium est, de differentia dici? certe non magis quam calidum de frigido, aut album de nigro. At ego longe aliter quam Rodulphus veritatem omnibus etiam quamlibet magnis nominibus præferens dico, Aristotelem, cũ dixit Definitionem constare ex genere & differentia vel differentiis, vehementer errasse, Ciceronem vero rectissime sensisse, cum dixit, definitionem genere declarari, & proprietate quadam, aut etiam communium frequentia, ut infra ostendam in capite de Definitione. Nunc tantum hoc non ignorari volo, vocabulis differentiæ ac proprii, res longe diversas significari, *differentia enim est qualitas quædam, quæ res inter se distinguuntur, ac differentes fiunt, proprium vero sive proprietas, contra est qualitas quædam quæ res inter se, ut ita dicam, uniuntur, & quodammodo redduntur eædem.* Quod cum ita sit, *nihil tamen prohibet, quo minus una eademque res, possit esse & differentia & proprium, ad aliud tamen & aliud comparata:* ut sentire sive sensus sive esse sensibile, si comparetur generi plantarum ac stirpium differentia est, eo quia facit differre animalia à stirpibus: animalia enim à stirpibus differunt, eo quod animalia sentiunt, stirpes vero sensu carent. Sin vero idem conferatur cum genere animalium, non amplius differentia est, sed proprium sive proprietas, qua fit, ut animalia rationalia & animalia irrationalia, non inter se distincta & diversa, sed quasi unum facta, & quodammodo eadem esse videantur: utraque enim sentiunt, & in eo quod sensum habent, non sunt distincta, sed conveniunt. Ac nos quidem tales dicimus esse veras differentias & vera propria, ac nominibus differentiæ & proprii tales quasdam qualitates vere significari. Intelligendo tamen per differentiam, non differentiam differentem, sed differentiam differre facientem, & per proprium non proprium quod ipsum

conveniat, ſed quod convenire alia faciat Quod ut melius intelligatur, atque ut pateat quinam ſint veri & utiles differentiarum & propriorũ modi, ſciendũ eſt, *differentiarum alias eſſe, quæ ipſa differunt ab aliis, atque ideo vocantur à nobis differentiæ differentes:* (concreta) *alias vero, quæ alia differe faciunt, & propterea dicuntur differentiæ differre facientes* (abſtracta.) Differentiæ differentes ſunt, exempli cauſa, ut animatum, rationale, mortale, & cætera hujuſmodi in adjectivi voce pronuntiata, quæ omnes differentiæ revera nihil aliud ſunt, niſi ſpecies & genera quædam. Hæc enim ſex nomina, ſpecies, genus, differentia, ſpecies differens, genus differens, differentia differens, eandem rem interdum planè ſignificant: quæ diverſis comparationibus, diverſa ſortitur nomina, ut rationale verbi cauſa. Rationale enim ſi conferatur cum animali, hoc eſt, cum genere ſuo, cui ſubjicitur, & quod dividit, recte vocatur & ſpecies & differentia. Ac ſpecies quidem dicitur, quia ſic appellat eam communis loquendi uſus, & Boethius Dialecticorum ſummus, in prima Editione in Porphyrium, cujus hæc ſunt verba, Animal ſub ſe habet ſpecies rationale & irrationale, id eſt, hominem, verbi gratia, & equum. Hæc Boethius, ex quibus apparet *rationale & irrationale eſſe non ſolum differentias, ut* Dialecticorum plerique ſtulte putant, *ſed etiam ſpecies veras animalis, & recte,* ut dixi, *tam ſpecies quàm differentias vocari.* Sin vero idem rationale comparetur cum equo, leone, & cæteris animalis ſpeciebus à quibus differt, rurſus non minus recte dici poteſt, & genus differens, & ſpecies differens, & differentia differens, ut per ſe patet: ac tales quidem ſunt differentiæ differentes. Differentiæ vero differre facientes, ſunt, ut puta, anima, ratio, mors, & alia ſimilia in ſubſtantivo pronuntiata, vel in aliquo, quod æquivaleat ſubſtantivo, ut eſſe animatum, eſſe rationale, eſſe mortale. Quæ idcirco ſic appellantur, quia faciunt differre alia: communiter enim loquentes dicimus, animata ab inanimatis differre per animam, ſive animalia à ſtirpibus, per id quod eſt habere animam, ut infra probabimus, rationalia ab irrationalibus, per rationem: ſive homines à brutis, per id quod eſt eſſe rationale: mortalia ab immortalibus, per mortem: ſive homines à Deis, per id quod eſt eſſe mortale. *Et rurſus quemadmodum differentiarum, ſic etiam propriorum aliqua ſunt, quæ ipſa conveniunt alii, aliqua quæ faciunt convenire alia.* Propria quæ ipſa conveniunt alii ſunt, ut latrabile, quod cani, & hinnibile, quod equo, & alia ſimilia, quæ aliis privatim conveniunt. Et quemadmodum differentiæ differentes, ut ante dixi, ſic etiam hæc propria convenientia, ſi conferantur cum ſuperioribus, nihil aliud ſunt quàm ſpecies, ſi cum inferioribus, nihil aliud quàm genera, ſi cum paribus & propria ſimul & genera & ſpecies appellari poſſunt. Si

quidem

quidem communiter loquentes dicimus, & risibile esse speciem animalium, & hominem esse in genere proprio risibilium, & rursus risibile esse proprium hominum: Quæ non recte dicerentur nisi risibile, hoc est, proprium simul & genus & species & proprium esset ad diversa tamen comparatum. In summa hæc omnia, genus, species, differentia differens, proprium conveniens, idem sunt, nec differunt, nisi comparatione, cum partim sursum ad superiora, partim deorsum ad inferiora, partim ante vel retro ad paria convenientia, vel differentia respiciunt. Propria convenire facientia sunt, ut risus, hinnitus, & latratus, & alia huiusmodi in substantivo prolata, vel in aliquo, quod æquivaleat substantivo, ut esse risibile, esse hinnibile, esse latrabile: conveniunt enim interse omnes homines per risum, sive per id quod est esse risibile: omnes equi per hinnitum, sive per id quod est esse hinnibile: omnes canes per latratum, sive per id quod est esse latrabile. Ac tales quidem sunt veri, & ad recte philosophandum necessarii cognitu differentiarum & propriorum modi, qui quemadmodum inter se sunt diversi, sic diversum habent in philosophando & veritate investiganda usum. Namq; *ut differentiis differre facientibus utimur ad probandum aliqua esse diversa, sic propriis convenire facientibus ad confirmandum aliqua esse eadem, vel inter se convenientia.* Atque ut differentias differentes usurpamus ad dividendum genera, sic propriis, quæ conveniunt, ad definiendum species. Exempla autem horum omnium hæc sunt, ad probandum aliqua esse differentia, per differentias differre facientes, hoc modo, Homines differunt à brutis, quoniam hi rationem habent, illa vero non, vel hi sunt rationales, illa vero non. Ad probandum aliqua esse eadem, vel convenientia inter se per propria convenire facientia, hoc modo. Homines & Dii sunt iidem, vel conveniunt inter se, quia utriq; habent risum vel sunt risibiles: nam Deos suos ridentes Homerus introducit. Ad dividendum genera per differentias differentes, hoc modo, Animalia alia sunt rationalia, alia irrationalia, & rationalium alia sunt mortalia, alia immortalia. Ad definiendum species per propria convenientia, vel per genera propria, hoc modo, Equus est animal hinnibile, canis terrestris est animal latrabile: Hiñibile enim est proprium conveniens vel genus proprium omnibus singularibus equis, vel universo generi equorum: ut sic latrabile omnibus singularibus canibus terrestribus, vel universo generi canum terrestrium. Ad definiendum autem idcirco dixi, utendum esse propriis convenientibus, sive generibus propriis, non differentia vel differentiis, quemadmodum Dialectici stulte præcipiunt, partim quia verum est, in definiendo nullis aliis utendum esse, nisi generibus aut communibus aut propriis, ut ostendemus in Capite de

Definitione, Partim etiam, ut oſtenderem, *falſam eſſe illam regulam Dialecti-*

(Hic nihil aliud quam λογομαχεῖ. Et ipſe pag. 200. initio definit per genus & differentiam.)

corum, qui definitiones ex genere & differentia vel differentiis faciendas eſſe ajunt, cum tantum abſit ut definitio ex differentia aut differentiis fiat, ut contra potius conſtet non ſolum ratione, ſed etiam authoritate Quintiliani in Quinto, ubi de argumentis loquitur, definitionem confirmari propriis, differentibus autem ſolvi: nam ſi quis forte diceret, Simiam eſſe animal rationale, & ego hanc definitionem deſtruere vellem, nullo alio argumento melius uti poſſem, quam ſumpto à differentia ſive à differenti, dicens, Simiam eſſe animal irrationale, hoc eſt, in genere differenti conſtitutum. Ex quibus quamvis apertiſſime conſtet de definitione per differentias vel proprietates facienda, longe melius & verius ſenſiſſe Ciceronem quam Ariſtotelem, tamen infra idem hoc etiam clarius probabitur in capite de Definitione. Nunc ſi explicaro, quid proprie ſignificetur vocibus differentiæ & proprii & quinam ſint veri & utiles differentiarum propriorumque modi, non difficile eſt videre quonam pacto vere ſit definiendus unus quilibet eorum: Nam differentia differens eſt eadem, quæ & ſpecies, & ſpecies differens, qua ad dividendum genus utimur, ut rationale animali comparatum, Differentia differre faciens eſt illa, qua fit ut aliqua inter ſe differant, cujus uſus eſt in diſtinguendis rebus, & ad oſtendendum eas eſſe differentes, ut irrationale collatum cum rationali vel cum homine. Proprium conveniens, ſive genus proprium eſt illud, quod uſurpamus in definiendis ſpeciebus, ut hinnibile in definiendo equo, & latrabile in definiendo cane terreſtri. Propriũ convenire faciens eſt illud, quo probamus aliqua eſſe inter ſe eadem vel ſimilia, ut riſus comparatione hominum ac Deorum Homericorum. Quibus ita explicatis, & tanquam aperta via ad demonſtrandum eos modos differentiarum & propriorum, qui à Porphyrio traditi ſunt, eſſe vel inutiles vel falſos, & definitiones differentiæ ac proprii Dialecticorum, non poſſe eſſe veras: nunc demonſtrabimus breviter hæc omnia, ut ante polliciti fuimus. Differentiarum, inquit Porphyrius, alia communiter, alia proprie, alia maxime proprie dicitur: ac differre communiter cenſet eos quavis diverſitate & quomodocunque, vel inter ſe vel ab aliis diſtant, ut cum aliquis vel ſenex differt à ſe ipſo olim juvene, vel ſedens à ſe antea vel ab alio non ſedente. Proprie vero, cum accidens aliquod inſeparabile diverſitatem facit, ut eſſe cæſiis oculis, naſo adunco, Maxime proprie, cum aliqua differunt inter ſe differentiis, iis, quæ ſpecificæ dicuntur, ut eſſe rationale, quæ animali adjuncta, hominis: & eſſe irrationale, quæ eidem animali appoſita, bruti ſpeciem conſtituit. Acrurſus idem propriorum modos quatuor tradit, unum qui ſoli ſpeciei licet non toti conveniat, ut homini Medicum vel

Geo-

Geometram esse: Alterum qui toti speciei licet non soli competat, ut eidem homini esse bipedem: Tertium qui in tota quidem sit specie, sed non nisi certo tempore, ut rursus eidem homini in senectute senescere: Quartum qui in sola & tota specie, & semper reperitur, ut denuo in homine, hoc quod est, natum esse ad risum: & in equo, aptum esse ad hinnitum. De quibus tam differentiarum quam propriorũ modis dialecticis, ut omnes intelligant quid sentiendum sit, breviter ita dico: Porphyrium in tradendis differentiis vehementer errasse: primum quia nõ distinxit differentias differentes, à differentiis differre facientibus, quemadmodum nos antea fecimus: Deinde quoniam usum illarum vel nullum docuit, vel falsum: Ac nullum quidem, ut earum, quas primi & secundi modi esse dixit, cum tamen harum quoque usus aliquis sit ad definiendum non quidem genera, sed species sive singularia. Ut si quis quærat à me, exempli gratia, quis sit Socrates, & ego ita respondeam, is qui sedet vel qui ambulat, vel qui oculis est prominentibus & naso simo: nam talem fuisse Socratem, scribit Plato. In qua tamen rei singularis definitione, & in aliis similibus animadvertendum est, has quas Porphyrius appellat differentias non differentias esse, sed propria sive proprietates saltem tertii modi. Nam ad definiendum non differentiis, sed proprietatibus utimur, ut ante dixi & infra etiam clarius dicam in capite de Definitione. Ex quo licet intelligere Porphyrium etiam in hoc errasse, quod quæ non minus propria esse possunt quam differentiæ, ea pro differentiis tantummodo posuit. Quis enim dubitat sedere vel ambulare frequenter in aliquo loco, esse oculis cæsiis, vel naso adunco, non minus esse vel saltem esse posse propria alicujus quam illius ipsius differentias? certe nemo sanus. Falsum autem usum docuit Porphyrius, cum dixit rationale, & mortale, & alia hujusmodi, quæ ille in differentiis numerat, ad definitiones faciendas esse accommodata. Nanq;, ut jam bis dixi, ad definiendum non differentiarum, sed propriorum sive proprietatum usus est necessarius, & rationale ac mortale, quatenus ad definiendum hominem adhibentur, non differentiæ sunt, sed propria sive proprietates. Itaq; Porphyrius in tradendis differentiis erravit vel quia non recte distinxit differentias inter se, vel quia non separavit eas à propriis, vel denique quia falsum usum earum docuit. In propriis vero exponendis, primum illum admisit errorem, quod nullum eorum tradidit usum, perinde ac si propria præter cognitionem nulli rei præterea usui essent. Alter vero error est, quia quemadmodum ante non separaverat differentias differentes à differentiis differre facientibus, sic hoc loco non distinguit propria convenientia, à propriis convenire facientibus. Præterea in traditione primi modi, non recte dixit, eum convenire soli, sed

non omni, esse enim *Medicum* vel Geometrã non modo convenit soli, sed etiã

(Hic male arguit, nam esse medicum potestate, non propria, sed figurata locutio est & Porphyrius hoc ipsum vult: actu esse medicum, esse proprium primi modi, posse esse quarti.)

omni homini, potestate, scilicet, non actu, quemadmodum risibile. Nam si convenire in illis proprii modis actu tantum intelligatur, neq; risibile conveniet omnibus hominibus, quia nec omnes nec semper rident actu. Atque ideo esse Medicum & esse Grammaticum tam est proprium hominis, quam esse risibile, ut recte inquit Laurentius Vallensis in libro, & capite supra citato. Eodemq; modo non recte, sed malè Porphyrius tertium modum à secundo modo separavit, tam enim homini seni proprium est canescere, quam homini simpliciter esse bipedem. Atque ideo si esse bipedem hominis proprium est secundi modi, etiam canescere hominis senis secundi modi proprium erit, tam enim semper canescit homo senex, quam homo semper est bipes: & quemadmodũ homo si non sit bipes, ne homo quidem vere est. sic homo senex, si non canescat, non vere quidem senex esse possit. Quod autem pertinet ad secundum, & quartum proprii modum, vere quidem illos Porphyrius tradidit, sed ut dixi, nullum eorum docuit usum, nec satis clare explanavit. Quare nos dicimus eorum modorum usum ad definitiones faciendas esse accommodatum. Exemplum definitionis per secundum modum est, ut si ita dicam, Lynceus est animal quadrupes acutissimo visu præditum: Nam ex eo quod dicitur, quadrupes hoc proprio secundi modi Lynceus ab Aquila separatur, quæ & ipsa fertur acutissimum habere visum. Exemplum definitionis in quarto modo est cum homo ita definitur, ut dicatur esse animal risibile. Quæ definitio tametsi non est essentialis, ut Dialectici ajunt, tamen hominem in sua & propria specie constituit, & eum ab omni alio separat, quod non est homo. Atque hic est verus omnium proprii convenientis modorũ usus: qui quidem modi nõ sunt quatuor, ut Porphyrius putavit, sed tantum duo: nanque, ut dixi, primus illius ad quartum, tertius ad secundum reducitur, atque ideo non remanent nisi duo. Quorum unus, hoc est, qui est quartus Porphyrii, habet conditiones duas, ut & inseparabilis sit ab eo cujus est proprium, & nulli alii præter quam ei conveniat, unde non immerito vocari potest proprium inseparabile & privatum, hoc est, non commune alteri. Atque hoc modo dicimus esse hinnibile equi, & esse latrabile canis, esse proprium. Alter vero proprii modus, qui Porphyrii est secundus, ex duabus illis conditionibus, unam tantum retinet, eo quod est inseparabilis maxime per naturam, sicut ille superior, sed non est privatus verum communis etiam aliis. Atque ideo jure dici potest proprium inseparabile tantum, hoc est, nõ privatum sed commune. Juxta quem modum Cicero vere asserit voluptates deorum esse proprias, non quod non in aliis etiam reperiantur, præter quã in deis, sunt enim multis etiam aliis communes,

sed

sed quod à Deis separari atque auferri non possunt. Et Porphyrius recte ait, habere duos pedes esse hominis proprium, non recte autem Valla Porphyriũ

(Imò recte Valla, Porphyrius male. Proprii cum acceptum quatenus separabili opponitur, minus usitata est.)

reprehendit in primo Dialecticæ suæ libro, Cap. XX. ita scribens, Ne hoc quidem homini proprium, quod est ei, cũ tot avium generibus commune. At ego tibi respondeo Valla, hoc est vere proprium hominis, si non privatum, at saltem inseparabile, quod satis est, ad hoc ut aliquid dicatur proprium. Quod si non ita esset, nec Cicero voluptates deorum esse proprias, nec Quintilianus lucere ignis esse proprium recte dixisset. Itaque de hoc proprii modo sic habendum est, eum ita esse verum, ut etiam esse rationale, esse mortale, atque adeo etiam esse animal, & alia omnia similia, vere sint hujus modi propria hominis. Idque nulla alia ratione, nisi quia nunquam ab homine separantur, semper enim vere homo est rationalis & mortalis animal. Quis etenim me audeat reprehendere, si ita dicam? proprium est hominis esse rationale, propriũ est hominis esse mortale, proprium est hominis esse animal, certe nemo, nisi forte Dialecticus aliquis sexcenties stultus, qui barbaros & imperitos Sophistas in loquẽdo potius quam doctissimos & probatissimos Scriptores imitandos censeat, & una cum illis plusquam indoctissime putet, rationale & mortale sic esse differentias, & animal sic esse genus, ut nihil unquam horum possit esse proprium. Cujus contrarium nos supra & rationibus & authoritate probavimus. Ac tales quidem sunt modi differentiarum ac propriorum, tam nostri veri, quam Adversariorum vel inutiles vel falsi: & eo quo diximus modo fiunt veræ nostrorum definitiones. Nunc superest, ut refutemus falsas eorum definitiones à Dialecticis traditas, & ita Caput hoc absolvamus. Differentia, inquiunt Dialectici, est quæ dicitur de pluribus differentibus specie in eo quod quale essentiale, ut rationale. Proprium vero est quod dicitur de pluribus differentibus numero, in eo quod quale accidentale convertibiliter, ut risibile. Sic enim Dialectici præsertim recentiores definiunt differentiam & proprium, & quamvis aliæ quædam utriusq; ferantur definitiones, tamen has duas existimant aliarum omnium maxime esse dialecticas. In quibus quidem duabus definitionibus insunt pene eadem omnia illa vitia, quæ supra fuerunt à nobis refutata in definitionibus generis & speciei dialecticis. Nam in eis & nomen rei pro re ipsa definitur: sunt enim differentiæ & propria maxima ex parte res non verba, atque ideo ut res non ut verba erant definienda, & dicendum quod ad differentiam attinet. vel, ut nos supra diximus, vel ut Valla in primo suæ Dialecticæ libro Cap. XX. Differentia est qualitas, qua species distinguitur à specie: omnis enim qualitas, qua distinguuntur aliqua inter se, qualitas est. Vel ut Vives in libello de Explanatione cujusque essentiæ

Diffe-

Differentia est, qua inter se res differunt, ut Plato & Socrates, nobilitate, formâ, ætate. Quod autem spectat ad proprium, rursus dicendum, vel ut nos ante docuimus, vel ut idem Valla ex Quintiliani authoritate eodem libro & capite: Proprium est aut quod soli accidit, ut homini sermo & risus, aut quod utiq; accidit sed non soli: ut igni calescere, & sunt ejusdem rei multa propria, ut ipsius ignis lucere & calere: Vel ut Vives similiter eodem libro & capite, Proprium cuiq; est, & quod est diuturnum & perpetuum, ut Divorum propriæ sunt voluptates, ait *ille* in Comœdia, & proprium quod cum alio non est commune, ut proprius Pauli mos: ita quod quisq; habet solus, id illi est proprium. Ex quibus duobus proprii modis à Quintiliano primum traditis, deinde à Valla, & à Vive confirmatis, ego superiorem illum, qui omni & soli accidit, supra nominavi proprium inseparabile & privatum; illum vero qui utiq; contingit quidem sed non soli, tanquam deficiens una conditione, appellavi proprium inseparabile tantum, sed non privatum, neq; uni tantummodo contingens. Proprium autem inseparabile & privatum, ut nos quoq; post tot actãtos viros aliquam proprii hujus definitionem & fortassis veriorem perfectioremq; addamus, nihil aliud est, nisi qualitas quædam, sive nota quædam, sive proprietas quædam uni tantum ac soli contingens: qua fit, ut ipsum primo in sua ipsius specie constituatur, Deinde etiam ab omni alio, quod diversum sit, distinguatur. Ex quibus duabus conditionibus in hac nostra proprii definitione appositis, prima illa, quæ est, in sua ipsius specie constituere, tribuitur proprio & est proprii ipsius, ut proprium est. Est enim suum ac proprium proprii officium, ut id cui contingit, in propria specie constituat. Alia vero quæ est, ab omni alio, quod diversum sit distinguere, tribuitur quidem & ipsa proprio, sed non ut proprium est, verum ut differentia est. Ut enim proprii munus est, in sua specie constituere, atque ideo, ut supra dictum est, ejus usus ad perfectas definitiones faciendas est necessarius, sic differentiæ suũ ac privatum officium est, ab omni alio distinguere. Ex quo patet id quod etiam infra melius dicetur in capite de Definitione, Aristotelem & Peripateticos non recte præcepisse, definitionem ex genere & differentia, vel differentiis esse faciendam, cum differentiæ partes non sint, ut res definiant, sed ut res definitas ab aliis omnibus distinguant. Et quamvis contingat, unam eandemq; rẽ esse & proprium & differentiam, & definire ac distinguere, ut habere tres angulos, exempli gratia, in definitione trianguli, tamen non eadem comparatione est utrunq;, nec eadem ratione facit utrunq;. Nam habere tres angulos ut est proprium trianguli & comparatur triangulo, ipsum definit & in propria specie constituit, ut autem est differentia & comparatur cum aliis, distinguit

& dif-

distinguit & differre facit triangulum ab omnibus aliis, quæ non sunt triangula. Atque hoc modo una eademque res, & proprium & differentia est ac proprii & differentiæ officium facit, sed diversa tamen comparatione & ratione: Quod nec Aristoteles, nec Peripateticorum aliquis unquam vidit, & si vidit, non satis aperte & clare visus est explicare. Sed ut redeam unde discessi, definitiones differentiæ ac proprii, quas attulimus proxime supra, non de differentiis differentibus, nec de propriis convenientibus sunt, sed de differentiis & propriis differre ac convenire facientibus. Hæ namque sunt illæ differentiæ & illa propria de quibus intelligunt disputantes, cum dicunt argumentum à differentia, sive à proprio esse sumptum : cætera non tam differentiæ quàm propria, quod ad argumentandũ pertinet, à speciebus non sunt differẽtia. Omnia vero quæ differunt, ut recte inquit Ludovicus Vives in libro supra citato, sunt aut diversa tantum, aut diversa & varia, aut non solum diversa & varia sed etiam separata. Diversa tantum sunt, exempli gratia, duæ partes, sive duo dimidia hujus chartæ albæ integræ : diversa & varia, ut eadem duo dimidia, si alterum album alterum nigrum sit : diversa & varia & separata, ut hæc eadem dimidia si non solum varia sint, ut dixi, sed etiam discissa in partes duas. Ut diversitas ad essentiam duorum dimidiorum chartæ, varietas ad diversitatem coloris, separatio ad compagem eorum referatur. Quod dixi de iis, quæ differunt, idem dico de iis, quæ conveniunt, ut enim tribus modis aliqua possunt differre, sic etiam tribus modis possunt esse convenientia, hoc est, ut permaneam in eodem superiore exemplo, vel quia duo dimidia hujus chartæ non sint discissa, sed eandem habent continuitatem, vel quia unum & eundem habent colorem, vel quia, si fieri posset, sint omnino unum dimidium non duo. In summa de differentiis & propriis, cõmuniter hoc pro certo haberi volumus, omnem differentiam tã differentem quàm differre facientem, unam & eandem posse etiam esse proprium, tam conveniens quàm convenire faciens, & similiter omne proprium tam conveniens quàm convenire faciens, posse esse differentiam tam differentem quàm differre facentem, utrobiq; tamen hac conditione servata, si ad alia & alia comparentur. Nam ratio, sive esse rationale, exempli gratia, si conferatur cum homine, est proprium inseparabile, licet non privatum & solius si vero non cum homine sed cum cæteris animalibus comparetur, non jam amplius proprium, sed differentia sit necesse est. Differt enim homo à cæteris animantibus, quia rationem habet, qua carent illæ. Item risus sive esse risibile, comparatum homini est proprium inseparabile & privatum : at vero collatum cum aliis animalibus non proprium est hominis sed differentia. Nam sicut omnes singula-

res homines inter se conveniunt, quia ridere possunt, sic etiam differunt à cæteris animalibus, quæ facultate ridendi carent, & sunt, ut ita dicam, irrisibilia, & sic apparet, ut etiam ante dixi, & omnia propria differentias & ferè omnes differentias propria esse posse, pro varia & diversa rerum inter se comparatione. Quod usq; adeo verum est, ut Rodulphus Agricola quodam loco definiens differentiam dixerit eam esse propriã rei notam, deceptus, scilicet, hac quam dico varia rerum comparatione. Sed non ita faciendum erat ô Rodulphe, nam si contingit unam eandemq; rem esse & propriũ & differentiam, non idcirco tamen dicendum est, proprium esse differentiam, aut differentiam proprium, sed utrunq; ab altero comparatione distinguendũ, ut nos facimus. Perinde enim peccasti dicendo, Differentiã esse propriam rei notam, ut si dixisses, aquam esse ignem, aut calidum esse frigidum. Sed ut semel finiam, hæc quæ dixi, omnia sunt non solum contra Rodulphum, sed generaliter contra stultã & ineptam Dialecticorum opinionem, qui & propria & differentias sic immobilia esse putant, ut unum & idem subjectum simul non possit esse & differentiam & proprium, mutata scilicet, ut dixi, comparatione, Cum nec differentiæ nec propria nec adeo species neq; genera sint, id quod dicuntur, nisi certa quadam collatione, qua mutata desinunt esse id quod erant, & in aliam quasi naturam transformata, amittunt pristinum nomen, & aliud novum acquirunt. Sed ut redeam ad supra dictas definitiones differentiæ & proprii à Dialecticis traditas, dico eas totas eodem modo quo illæ generis, & speciei, esse falsas, vel quia res veras definiunt perinde ac si essent voces ac nomina, vel quia etiam si essent voces, tamen non distinguunt ab aliis per id quod est, dici de pluribus vel specie vel numero differentibus, vel in quale essentiale, vel in quale accidentale: eo quia omnes voces appellativæ proprie dicuntur de pluribus & specie differentibus & tam in quid quam in quale. Nam rogatus quis quid sit homo? non minus recte respondere potest, est rationale vel risibile, quàm est animal: & rursus interrogatus, qualis est homo? non minus rectam afferat responsionem si dicat, est animalis, quàm si dicat, est rationalis vel risibilis. Itaque nulla est in istis definitionibus differentiæ ac proprii, quæ à Dialecticis afferuntur, quæ vitio careat. Quod autem pro exemplo differentiæ, afferunt rationale, pro exemplo vero proprii, risibile, non minus recte facerent, si pro exemplo differentiæ ponerent risibile, & pro exemplo proprii, rationale. Cum, ut dixi, hæc omnia non nisi pro varia eorum comparatione modo propria modo differentiæ sint: nec adeo recusent etiam quin sint genera & species, si comparatione mutata pro generibus & speciebus accipiantur. Ex quibus liquet quæcunque à Dialecticis dicuntur de differentia & proprio

proprio pene omnia esse falsa, aut supervacua, aut barbara Quod autem aiunt omnia quæ differunt aut idem sunt, uno aliquo trium modorum differre, aut idem esse, hoc est, aut genere, aut specie, aut numero: nos tantum duos priores differendi & idem essendi modos recipimus & approbamus, tanquam veros & communiter usurpatos ab omnibus probatis Scriptoribus tam Græcis quam Latinis: & eos ita intelligimus, ut differre genere nihil aliud sit, nisi esse in differentibus generibus, ut animal & vitium, quorum unum est in genere substantiæ, alterum in genere qualitatis: esse idem genere, nisi in uno & eodem genere, ut homo & leo in eodem genere animalis, differre specie, nisi esse differentes species vel divisibiles vel indivisibiles. Divisibiles, ut rursus homo, atque leo differentes animalis species existunt: Indivisibiles ut Socrates & Plato, quæ sunt diversæ species indivisibiles generis Athenienſium, vel generis hominum: esse idem specie, ut Numa & Pompilius, vel Marcus & Antonius, quæ sunt duo nomina unam tantummodo speciem indivisibilem significantia. Et sic omnia, quæ differunt vel idem sunt magnitudine, nobilitate, doctrina, divitiis, & cæteris hujusmodi rebus, necessario differunt vel idem sunt, altero horum duorum modorum, hoc est, genere vel specie magnitudinis, genere vel specie nobilitatis genere vel specie doctrinæ, & in aliis eodem modo. Atque ita nos tantum hos duos differendi & idem essendi modos ponimus, & approbamus. At vero tertius ille modus, qui à Dialecticis dicitur *differre numero vel esse idem numero*, eo, scilicet, modo, quo ab ipsis intelligitur, *prorsus rejicitur atque improbatur à nobis*, tanquam à nullo recte loquente Scriptore neque Græco neque Latino receptus aut usurpatus. *Scriptores enim recte loquentes ea intelligunt differre numero, quæ habent differentem numerum*: atque ita globus decem militum differt à globo viginti militum: idem vero numero, quæ habent eundem numerum, & hoc modo, duo exercitus, quorum uterque constet decem millibus hominum, esse idem numero recte dicuntur. Atque hinc passim apud probatos Scriptores reperias decem numero, centũ numero, mille numero, & infinita alia hujusmodi, quæ locutiones non ad id quod esse idem vel differens, sed ad aliquẽ determinatũ numerum semper referuntur. At vero differre numero & esse idem numero ad eum modum, quo Dialectici intelligunt nemo unquã recte loquens, quod quidẽ ego sciam, dixit aut scripsit. Nam Socrates & Plato, quomodo possunt differre numero, ut ipsi volunt, cum uterque eorum eundem habeat numerũ, hoc est, unitatem? Et Marcus Antonius solus, quo pacto potest esse idem numero, aut ipse secum, aut cum alio, cum sit tantum unus & individuus homo? Certe ego nõ video qua ratione Dialectici hæc dicere possint, nisi forte putãt

unum & eundem hominē poſſe eſſe duos homines,& illos duos homines rurſus poſſe fieri unum & eundem hominem numero. Quod quamvis abſurdiſſimum ſit,tamen ab eorum imperitia & ruditate non eſt alienum.Itaque qui recte philoſophari cupiet,iſtas omnesDialecticorum inſanias rejiciet & improbabit,& cū dicere volet,quomodo differantSocrates & Plato,eos non numero,ſed ſpecie differentes eſſe dicet. Et ſi rogetur qua rationale id faciat, reſpondebit, quia Socrates & Plato habent eundem numerum, hoc eſt,unitatem: & propterea non poſſunt differre numero, at vero quia ſunt duæ diverſæ ſpecies indiviſibiles generis Athenienſium, vel generis hominum, idcirco ſpecie differre recte dici: Eodemque modo faciat, cum aliqua idem eſſe probare volet,hoc eſt,oſtendat ea unam eandemque ſpeciem indiviſibilem eſſe.

CAPUT QUARTUM.

De accidente vero quidem ſed inconſtanter definito, & ſimul pauca quædam de falſis univerſalibus, & eorum vanis quæſtionibus in univerſum.

POrphyrius in capite de Accidente, quod eſt quintum & ultimum univerſale dialecticum,recte quidem definivit Accidens cum dixit,ipſum eſſe id quod adeſt & abeſt præter ſubjecti corruptionem. Quicquid enim ita poteſt & adeſſe & abeſſe,ut ſubjectum id,in quo eſt, nō corrumpatur,recte videtur & eſſe & appellari accidens:quo vocabulo uſus eſt etiam Quintilianus in eadem ſignificatione. Et quoniam adeſſe & abeſſe revera non voces ſed res ſunt,idcirco accidens vere & recte non tanquam vox, ſed tanquam res definitum fuit à Porphyrio. Sed tamen in hac ipſa definitione Porphyrius valde inconſtanter & inconſiderate ſe geſſit. Nam cum ſupra definiviſſet genus, & ſpeciem, & differentiam, non tanquam res ſed tanquam voces,hoc in loco neſcio qua inconſtātia vel imprudētia vel oblivione ductus accidentis non tanquam vocis ſed tanquam rei definitionem attulit. Sed quæ (malum) eſt iſta tua vel inconſtantia,vel imprudentia,vel oblivio ô Porphyri? neceſſe eſt enim exiſtimes univerſalia omnia eſſe aut res, aut voces, aut partim res partim voces, aut certe res & voces ſimul: Si omnia univerſalia res ſunt,cur non omnia tanquam res,& ſi omnia voces, cur non omnia tanquam voces definiuntur? quorum neutrum feciſti. Quod ſi forte dixeris, ea eſſe

vel

vel partim res partim voces, vel ſimul & res & voces: ſtatim à te petam, & flagitabo ut mihi tantæ iſtius ac tam monſtroſæ diverſitatis rationem reddas: quam tu nunquam neque veram neque probabilem reddere poteris. Præterea nec illud recte à te factum eſt, quod inter univerſalia numeraveris accidens, ſubſtantiam autem non numeraveris. Nam cum tam ſubſtantia quam accidens de ſuis inferioribus prædicetur, & vere univerſalis ſit, ut Dialectici fatentur, quid cauſæ fuit, cur alterum, unum ex quinque univerſalibus feceris, alterum non feceris? aut cur non ſex potius adjecta ſubſtantia quam quinque tantum univerſalia facienda putaris? At inquis, genus, & ſpecies, & differentia tanquam ſubſtantia de ſuis inferioribus prædicantur, atque ita licet ſubſtantia inter univerſalia non fuerit recepta nominatim, tamen tanquam recepta & nominata intelligitur. Sic enim Dialectici protectores tui te intellexiſſe aiunt. At ego & Tibi & Dialecticis reſpondeo, neque genus verum, neque ſpeciem veram, neque differentiam veram, ſed tantummodo vocem generis, vocem ſpeciei, vocem differentiæ dici ac prædicari de ſuis inferioribus, ut ſupra dixi & probavi: quia dici & prædicari non rerum ſed vocum proprium eſt. Atque ideo non potes non vehementer erraſſe, primũ quod exiſtimaſti genus & ſpeciem & differentiam tanquam non voces, ſed res & univerſalia realia dici & prædicari de aliquo. Deinde quod poſteaquam ita exiſtimaras, nõ omnia univerſalia aut tanquam res aut tanquam voces definiviſti: Et poſtremo quia, cum accidens inter univerſalia numeraſſes, ſubſtantiam non numerandam ſed relinquendam putaſti. Atque hæc ſunt ô Porphyri omnia tua in Capite de accidenti admiſſa errata. Nunc pauca audi de falſis univerſalibus tuis, & eorum vanis quæſtionibus in univerſum. In primo ſtatim procœmio Iſagoges tuæ, quod ais, cognitionẽ univerſalium tuorum valde utilem eſſe ad dividendum, ad definiendum, ad demonſtrandum, dico te non dicere verum, quia quod nõ eſt, nec eſſe poteſt in vera rerum natura, non poteſt ad ullam rem faciendam eſſe utile: ſed talia ſunt omnia univerſalia realia, ut ſupra probavimus: ergo quod polliceris de utilitate univerſalium, non poteſt eſſe verum, ut etiam infra clarius oſtendetur in Capite ſequenti, ubi de falſis dividẽdi & definiendi Dialecticorum præceptis agemus. Quare hic tantummodo Lectorem admonitum eſſe volo, nõ eſſe verum id quod tu ſtatim in ipſo Iſagoges tuæ principio dicis. Quod autẽ ſtatim poſtea addis, te prætermiſſis obſcurioribus quæſtionibus, ea quæ ſint faciliora tractaturum, multo minus verum dicis quam ſupra: Quis enim, non dico puer aut adoleſcens, ſed vir jam ſenior, & totam vitam ſuam in ſtudiis verſatus percipere, aut animo comprehendere queat univerſalia realia? hoc eſt, rem unam uſque adeo dubiam, obſcuram, incertam, controverſam,

ut in duobus prope millibus annorum à tot tantisq; philosophantiũ capitibus & ingeniis nunquam decerni ac decidi potuerit, subsistantne per sese, an in solis animis sint: & si subsistant per se, num corpora sint, an corporis expertia: & deniq; qualiacunq; sint, num abstracta sint à sensibilibus, an in ipsis sensibilibus immersa: quis inquam hanc tam litigiosam, tantisque tenebris obrutam rem unquam percipiat, aut animo comprehendat? certe nemo: nec tu ô Porphyri, nec Aristoteles tuus, nec aliquis unquam Dialecticorum satis intelligere potuistis quid & quale esset universale, sed tantummodo ipsum ab Aristotele inconsiderate acceptum, & temere approbatum, tot tantisque librorum voluminibus celebravistis & diffudistis per universum orbem terrarum: non alia prudentia aut sapientia quam Ægyptii illi, qui allium & cepas inter Deos referunt, & ea tanquam Deos colunt & adorant. Quanquam multo major est insania vestra quam Ægyptiorum illorum, illi enim inter deos referunt ea, quæ licet non sint Dii, tamen vere sunt in rerum natura: vos in Philosophiam introducitis ea, quæ nec unquam fuerunt, nec sunt, nec erunt, & quod peius etiam est, nec esse possunt. Itaque quæstiones illæ omnes de Universalibus Dialecticorum præsertim recentiorum, & ante omnes Reverendi illius Magistri *Philippi Mucagatæ*, prorsus sunt vanæ & futiles.

Utrum universale sit subjectum in libro prædicabilium.

Utrum tantum quinque sint universalia.

Utrum universalia sint extra intellectum.

Utrum universale verius sit in anima, an in singularibus, an in se.

Utrum universalia sint corporalia, an incorporalia.

Utrum universalia sint separata à sensibilibus.

Utrum in definitione generis definiatur prima intentiò, an secunda.

Et aliæ quamplurimæ hujusmodi quæstiones plusquam sophisticæ & inanes, quibus ego omnibus breviter respondeo. Universale non esse subjectum in libro prædicabilium, quia quod non est, in nullo libro subjectum esse potest, & quia cum universalia falsa sint, prædicabilia ipsa, & liber ipse prædicabilium non possunt nõ esse falsa; ut omittam interim profundam barbariem vocabuli prædicabilis falsitati universalis adjunctam: Deinde non esse quinque universalia, quia ne unum quidem verum est. Deinde universalia non esse nec in anima, nec extra animam, nec in se nec in alio, nec in singularibus nec extra singularia, quia nusquam sunt, nisi tanquam Chimæræ, atque Centauri. Deinde universalia nec esse corpora nec incorporalia, nec in sensibilibus nec separata ab illis, eadem, quam supra diximus, ratione. Postremo in definitione generis dialectica non definiri neque primam intentionem neq; secundam, eo quia,

eo quia, ut ante dixi, cum universalia realia sint falsa, nec prima eorum intentio potest esse vera, & cum prima intentio non vera sit, multo minus secundam posse esse veram. Possem hic quoque respondere multis aliis eodem modo vanis & inanibus Dialecticorum quæstionibus, partim de specie, partim de differentia, partim de proprio, partim de accidente: Sed ex his quæ hactenus à nobis dicta fuerunt de universalibus, satis patere arbitror quomodo ad omnes alias hujusmodi Dialecticorum meras nugas & insanias sit respondendum.

CAPUT QUINTUM.

De præceptis dividendi, & definiendi oratoriis veris, & Dialecticorum falsis.

QUoniam, ut dixi in superiore Capite, Porphyrius in proœmio Isagoges suæ falso ait, cognitionem universalium esse utilem ad dividendum & definiendum, idcirco studiosi philosophiæ candidati mihi visi sunt hoc loco admonendi, non esse verum id quod ipse dicit, & pauca de præceptis dividendi & definiendi tam nostris veris quam Adversariorũ falsis esse dicenda. Atque ut à ratione dividendi primo incipiam, ita breviter dico: omne quod dividitur esse totum aliquod vel continuũ vel quasi continuum, vel discretum vel quasi discretum ac præter hæc quatuor totorum genera nihil omnino posse dividi, ut supra diximus in capite de Totis. Ac de toto quidem continuo & quasi continuo, discreto & quasi discreto, quoniam Dialectici nihil vel parum admodum à nobis dissentiunt, idcirco de divisione horũ in præsentia dicere supersedebo, & tantum docebo, cum dividitur genus in species, ut animal, exempli gratia, vel genus animalium in rationalia & irrationalia, nihil aliud dividi, nisi totum aliquod discretum vel multitudo aliqua singularium animalium in suas partes discretas, non totum universale, ut dicunt Dialectici, in partes subjectivas. Jam enim supra satis refutatum est totum istud universale, & ostensum cum universale non sit verum, simul etiam totum universale verum esse non posse. Quod cum ita sit, relinquitur in divisione animalis sive generis animalium, nihil aliud dividi posse, nisi totum discretum & multitudo singularium, ut dixi: & qui genera rerum aliud esse quam res, & tota discreta & multitudines singularium putant, eos vehementer decipi, & toto, ut aiunt, errare cœlo. Dico autem genera esse multitudines quasdam singularium majores, quæ cum dividuntur nihil aliud fit, nisi

diducuntur in alias plures multitudines minores, & rursus minores illæ secantur in alias minores sive divisibiles iterum sive indivisibiles: Inter quas partes minores nulla alia est differentia, nisi quod, cum ad indivisibiles ventum est, ibi cessat divisio discretorum, & incipit partitio continuorum. Ac de divisione totorum discretorum, quæ genera sunt, ita est tenendum omnibus qui recte philosophari cupiunt, atque omnia universalia realia Dialecticorum improbanda & rejicienda, tanquam res prorsus falsas & meras hominum imperitorum nugas. Divisionum autem generis sive totius discreti in partes multi sunt modi: ratio enim dividendi, Alia est ex forma, quam vocant, ut corporum aliud animatum est, aliud expers animæ: Alia ex materia, ut arborum aliæ ex semine sunt, aliæ sponte nascuntur: Alia ex adjacentibus, ut animalium aliud mansuetum, aliud ferum: Alia ex subjectis adjacentium, ut feritas alia serpentis, alia reliquarum belluarum est: Alia ex actibus, ut hominum alius studio, alius lucro, alius voluptati operam dat: Alia ex efficientibus, ut animalium aliud parentis efficacia, aliud calore solis, aliud putrefactione gignitur: Alia ex effectis, ut animalium aliud fœtum, aliud ovum, aliud vermem parit: Alia ex fine, ut rerum domesticarum, aliæ ad usum, aliæ ad voluptatem pertinent: Alia ex iis, quæ ad finem spectant, ut, opum parandarum causa, alii justam operam navant, alii fœnerantur, alii vi rapiunt, alii fraude subducunt: Alia ex loco, ut animalium, aliud in terra, aliud in mari degit: Alia ex tempore, ut flores aut hyberni sunt, aut verni, aut æstivi, aut autumnales: Alia ex connexis, ut homines alii servi sunt, alii domini, alii neutrum: Alia ex contingentibus, ut musicorum quidam literas sciunt, quidam prorsus sunt illiterati: Alia ex pronuntiatis, ut quidam hominum laudati sunt, quidam vituperati, quidam silentio latent: Alia ex comparatione, ut populares, quidam infra regem sunt opibus, aliqui pares, nonnulli superiores: Alia ex similibus, ut aliorum vitæ propositum industria formicam imitatur, aliorum segnities similis est muscis. Atq; his ferè tot modis dividitur omne genus sive totum discretum in partes: quos omnes modos recte recenset Rodulphus Agricola in primo de Inventione dialectica, cap. VII. & ibidem vere ait, divisionē vocis in res significatas, ut tauri, in domesticum animal, sidus, & montem: divisionem rei in nomina, ut non patiar, non feram, non sinam: & rursus recensionem plurium nominum, qualia sunt hæc tria, M. Tullus, Cicero, & alias hujusmodi explicationes, non esse divisiones, sed potius enumeratiōes vel multarum significationum alicujus vocis, vel multorum modorum explicandi eandem sententiam, vel deniq; multorum nominum, quæ alicui insunt. Nec vero nō recte improbat opinionem Boethii in libro de Divisionibus, qui

ait,

ait, omnem diviſionem, quæ non fit per ea, quæ in ſubſtantia ſunt, eſſe aut ſubjecti in accidentia, aut accidentis in ſubjecta, aut accidentis in accidentia. Nam hæc omnia nihil aliud ſunt, niſi diviſiones generum ſive totorum diſcretorum accidentalium in ſuas partes ſive ſpecies accidentales. Itaque nihil erat neceſſe ut à diviſione generis in ſpecies ſive totius diſcreti in partes ſeparatentur. Cum tam ſit diviſio generis in ſpecies hæc, alborum alia ſunt calida alia frigida, quàm hæc, animalium alia ſunt rationalia alia irrationalia: tam enim calida & frigida quandoque ſunt in genere alborum, quàm rationalia & irrationalia in genere animalium. Quod autem ait Rodulphus, oppoſita & differentia prorſus abhorrere à ratione dividendi, eo quod neceſſe ſit, quicquid dividitur, de iis prædicari, in quæ diviſum eſt, longe abeſt à veritate, cum nullum totum diviſum ſive id diſcretum ſit ſive continuum de ſuis partibus prædicetur in recto caſu, idq; non ſolum quia res ſit non vox, ſed etiam quia ſequeretur totum eſſe partem ſuam, hoc eſt, decem fortaſſis eſſe quinq;, & hominem eſſe brachium. At dicet fortaſſe aliquis, nonne ita loquimur? homo eſt animal? candor eſt color? ex quibus loquendi modis videtur animal & color, quæ ſint genera & tota quædam de homine & candore in recto caſu dici? Sed res longe aliter ſe habet, nos enim ſupra oſtendimus in talibus enuntiatis, neque animal neq; colorem eſſe genus aut totum, ſed perinde eſſe ac ſi diceretur, unus homo eſt unum animal, & unus candor eſt unus color: eo quia tam ſuppoſitum quam appoſitum in utroque enuntiato eſt ſingulare, proprie poſitum & ſemel tantùmodo enuntiatum: quo in caſu ſingulæ voces non niſi unum ſignificare poſſunt. Sed de his antea ſatis, nunc breviter pauca quoque ſubjungamus de præceptis definiendi, de quibus hoc ſit primum, omnẽ bonã definitionem fieri non ex genere & differentia vel differentiis, ut Ariſtoteles & cum Ariſtotele Dialectici omnes affirmant, ſed ex genere & proprietate quadam vel communium frequentia, ut Cicero longe melius & doctius quàm Dialectici & Philoſophi omnes, dicit in Partitionibus oratoriis, cujus hæc ſunt verba, Non dubium eſt id quidem quin definitio genere declaretur, & proprietate quadam, aut etiam communium frequentia, ex quibus proprium quid ſit eluceat. Hæc Cicero, quæ verba quoniam ſunt paulo obſcuriora, & à Stræbeo Sturmioq; ejus libri Interpretibus non ſatis intellecta, idcirco à nobis paulo clarius explicãda cenſuimus. Ergo quod Cicero ait definitionem declarari ex genere & proprietate quadam ita intelligendum eſt, ut ſi dixiſſet, ex genere communi, & ex genere proprio ac privato. Nanque, ut nos ſupra diximus, commune, & genus commune, proprietas ſive proprium, & genus proprium idem ſunt: atq; ideo quod Cicero ſimpliciter dicit ex genere

non aliter intelligendum quàm ex genere communi. Quod addit & proprietate quadam, id quoque sic accipiendum est, ut si dixisset, ex proprio sive ex genere proprio. Et quoniam sunt duo modi generum propriorum, unus ut opponitur communi, alter ut opponitur separabili: de eo intelligere debemus, quod communi opponitur, quodq; verissime est, proprium conveniens omni soli & semper, ut esse risibile homini, & esse latrabile cani terrestri: Nam illud alterum quod opponitur separabili, convenit quidem omni & semper sed non soli, ut esse rationalem vel esse bipedem homini, quorum alterum est commune ei cum Diis, alterum cum multis avium generibus: sed quoniam neutrū ab homine naturaliter separari potest, idcirco utrunq; est proprium inseparabile tantum, ut in superiore diximus capite. Ergo cum dicitur in loco illo Ciceronis, & proprietate quadam intelligendum est de genere proprio & privato, quod nulli alteri sit commune, & id genus proprium in definitione, exempli gratia, hominis sic cum genere communi jungendum, ut dicatur vel hoc modo, Homo est animal risibile, quæ definitio constat ex genere cōmuni remoto: & genere proprio privato: Vel hoc modo, Homo est rationale risibile, quæ altera definitio ipsa quidem constat etiam ex genere communi, sed propinquiore, & ex genere proprio privato. Quarum definitionum utraquē quidem est vera & perfecta, quia constituit hominem in proprio & privato genere, & separat eum ab omni alio quod non est homo. Sed quoniam risibile videtur esse non proprium hominis privatum, sed commune etiam Deorum Poeticorum: & quoniam summa est inopia talium propriorum privatorum, & nō cōmunium, idcirco authores, definitionem hominis libentius faciunt ex genere cōmuni remoto, & duobus generibus itē communibus sed propinquioribus, ut cum dicunt, Hominem esse animal rationale mortale: Animal enim est genus commune remotum, rationale & mortale genera cōmunia propinquiora: Et hoc est illud, quod Cicero ait, aut etiam communium frequentia, hoc est, generum communium propinquiorum multitudine, quæ necessario ad definiendum assumūtur, cum nullum reperitur proprium privatum. Nam duo vel plura genera communia propinquiora vicem unius generis proprii privati supplent, & in ejus carentia percommode ad definiendum adhibentur, & hoc est illud alterum, quod Cicero in fine subjungit, ex quibus proprium quid sit eluceat: Hoc igitur modo, atq; his præceptis servandis apud Oratores fiunt bonæ & perfectæ definitiones, in quibus faciendis nulla fit mentio differentiæ aut differentiarum, sed solius generis & proprietatis vel etiam communium frequentiæ, hoc est, ut nos intelligimus, solius generis communis, & solius generis proprii privati, vel multorum generum communium propinquiorum.

Sed

Sed dicent fortaſſe Dialectici, nonne ratio ſive eſſe rationale, facit differre hominem à brutis? & mors ſive eſſe mortale eundem diſtinguit à Deis? certe hoc non poteſt negari: quomodo igitur rationale & mortale non ſunt differentię? aut quomodo tu, aut Cicero, aut quiſquam alius audet inficiari hæc atq; alia hujuſmodi in definitionibus poſita eſſe verras & germanas differentias? Hæc inquam mihi fortaſſe dicent Dialectici, quibus reſpondeo, ut etiam ſupra dixi, rationale & mortale & alia id genus duobus modis comparari poſſe, uno modo ad hominem in cujus definitione ponuntur, & hoc modo non ſunt differentiæ, ſed propria hominis: eſſe enim rationale & eſſe mortale hominis propria ſunt, non quidem ut proprium opponitur communi, ſed ut opponitur ſeparabili, ut ante dictū eſt, neutrum enim eorum ab homine ſeparari poteſt: Altero modo ad differentias oppoſitas, hoc eſt, & rationale ad irrationale, & mortale ad immortale: & hoc altero modo comparata veræ ſunt differentiæ, & differentes & differre facientes: differentes, quia ſunt ſpecies differentes ſui cujuſque generis: differre facientes, quia hominem à brutis & à Deis diſtingunt atq; ſeparant. Ex quo patet *recte Ciceronem dicere, definitionem fieri ex genere & proprietate, aut etiam communium frequentia*, ex quibus proprium quid ſit eluceat: eo quia, quæ unà cum genere communi ingrediuntur in definitionem, neceſſe eſt, ut ſint propria, aut communia proprium efficientia: perverſe autem Dialecticos affirmare differentiam vel differentias ad definitionem faciendam eſſe neceſſarias. Cum quatenus differentiæ ſunt, non ad rem, quæ definitur, comparentur, ſed ad differentias contrarias: & cum tantum abſit, ut definitio differentiis conſtruatur, ut contra potius conſtet eam differentibus deſtrui, ut & nos quotidiana docet experientia, & Quintilianus Ciceronis ſententiam confirmans teſtatur in quinto Oratoriarum Inſtitutionum, cujus hæc ſunt verba: *His adjiciunt propria differentia; à propriis confirmatur finitio, differentibus ſolvitur.* Hæc Quintilianus, qui & rei ipſius veritatem & Ciceronis ſententiam ſecutus, ipſe quoq; aſſerit definitionem non ſolum propriis fieri, ſed etiam differentiis everti: & recte. Nam ſi quis definiens, exempli gratia, ſtirpes, diceret eas eſſe viventia animata, quemadmodum Ariſtoteles & Peripatetici omnes falſiſſime exiſtimant, ego contra ſtatim dicerem, illam definitionem eſſe falſam, & eam deſtruerem argumento ſumpto à differentia, eo quod ſtirpes viventia quidem ſunt, ſed inanimata, quæ ſunt differentia ab animatis: Stirpes autem non animatas eſſe, ſed inanimatas, probarem iis authoritatibus & argumentis, quæ infra dicturus ſum in conſtructione arboris noſtræ genericę, & in deſtructione arboris Dialecticorum: quare ſi quis ea videre vult, inde petat. Item ſi quis definiret hominem

esse animal irrationale, quomodo posset is meliore ulla ratione refutari, quam per differentiam contrariam, hoc modo? immo homo est animal rationale, quia ratione utitur, vel uti potest, vel saltem ut ea utatur natus est, quæ omnia sunt contraria irrationali. Quibus duobus exemplis, & aliis multis hujusmodi sine ulla dubitatione probatur, quod Cicero & Quintilianus de definitione tradunt, nempe, eam fieri ex propriis, non ex differentiis: & differentias non ad construendã. sed ad destruendã definitionẽ esse accomodatas. Nã per deos immortales, quomodo potest quicquã cõstitui ab eo quod ab ipso differat? At enim facit differre id, quod definitur ab omni alio: audio & fateor, sed dico, ea quæ in definitionẽ ingrediuntur, duo facere, quorũ unũ ac præcipuum est, ut constituant id, quod definitur in sua specie, alterũ ut ipsum differre faciant ab omni alio: atq; ita quatenus constituunt, propriorũ, quatenus vero distinguũt, differentiarũ nomen sibi vendicant. Nanq;, ut supra dixi, nihil potest esse proprium alicujus, quin id cujus est propriũ ab aliis distinguat Atq; ideo si quis ita definiret propriũ & differentiã, ut diceret, propriũ id esse, per quod species rei in suo esse constituitur: differentiã vero, per quã species à specie separatur, is & rectam & probabilem afferret definitionem. Ex quo etiam clarius apparet, à

(Hoc totum Vitilitigatio est: nam quod speciei *proprium*, id generis *differentia* esse intelligitur; Idemque est dicere speciem definiri per genus & proprium suum, & eandem definiti per genus & differentiam generis.)

Dialecticis non recte dici, definitionem fieri ex differentia vel differentiis, cum non ex differentiis, sed ex propriis constitui dicatur, & quamvis contingat in eadem definitione unum & idem esse differẽtiam & proprium, ut rationale exempli causa, in definitione hominis, non propterea tamen recte dicas hominem fieri ex rationali, ut est differentia, sed ut proprium est: ex propriis enim, ut ante dixi, constituuntur rerum species, ex differentiis vero sive differentibus distinguuntur & separantur. *Nec illud etiam recte à quibusdam traditur, Definitionem totius rei definitæ essentiam explicare debere, & ad perfectam definitionem faciendam omnes quatuor causas adesse oportere.* Hujusmodi enim definitiones vitiosæ sunt, & multa continent supervacua: nam cum definiens hominem dixeris, eum esse animal rationale mortale, quid opus est addere, ex carne & ossibus cæteris membris constans? quæ est causa materialis: & à sole & homine genitum? juxta illud, Sol & homo generant hominem, quæ est causa efficiens: & ad beatitudinem præsentiamque Dei fruendam natum? quod ad causam finalem pertinet: certe nihil est opus, cum satis ex tribus illis, quæ supra dixi verbis, causam, quam vocant, formalem continentibus, definitio hominis perfecta sit. At Galeuus in quarto de Differentiis pulsuum, duas definitionum formas ponit, unam quæ notionem explicet, quam ipse ἐννοηματικὴν, hoc est, notionalem, Aristoteles vero ὀνοματώδη,

hoc

hoc est, definitionē nominis appellat: alterā, quæ rei essentiā docet, & ideo οὐσιώδης, hoc est, essentialis ab eo dicitur: exemplū notionalis hoc est, ut si quis dicat, pulsum esse motū continuū & naturalē, qui in certis quibusdā corporis partibus non solum tactu, sed etiam visu interdū percipitur: & irā esse libidinē puniendi ejus qui videatur læsisse injuria. Essentialis autem hoc, ut si definiens eundē pulsū, quis ita dicat, Pulsus est actio peculiaris primū cordis, deinde arteriarū, quæ distentione & contractione moventur à facultate vitali, quo caloris innati mediocritas retineatur, generetur autē in cerebro spiritus animalis: aut irā hoc modo definiat, Ira est sanguinis sive caloris ejus, qui circa cor est, fervor & ebullitio. Utramq; enim horū definitionē, hoc est, tam notionalē quam essentialem tradit Galenus in eo, quem dixi libro. *Sed illa essentialis mea quidem sententia, non* (recte) *tā est definitio quam explicatio & enumeratio quædam omniū causarū & qualitatū rei:* Nam qui tot verbis, & tā longa descriptione rē explicat, is mihi videtur fungi officio ac munere non simplicis definitoris, sed doctoris perfectā doctrinam de re aliqua tradere cupientis, & propterea nos hujusmodi causarum enumerationes, potius descriptiones & explicationes quasdam rerum, quam veras earum definitiones appellandas censemus. Alioqui totus liber Theophrasti de Causis stirpium, erit una definitio: & præceptum illud Aristotelis, aliorumque Doctorum in definitione servandum, ut ne quid, scilicet, desit, néve superabundet, non erit verum. Multa enim in illa essentiali definitione Galeni superabundant, sine quibus optime quid sit pulsus cognosci atque intelligi potest. Quare sciat is, qui recte philosophaturus est, aliud esse definitionem perfectā rei, aliud descriptionem & omnium causarum sive qualitatum rei enumerationem. In definitione enim rei satis est, si res ipsa quæ definitur, primo ponatur in genere suo, non solum communi, sed etiam proprio ac privato: quod fit per propria sive proprietates, quæ omni & soli & semper conveniunt: deinde etiam ut eodem tempore separetur ab omnibus aliis, quæ non sunt ipsa res definita: quod efficitur per differentias differre facientes: sic ut nihil deficiat neque superet, hoc est ne definitio alteri cuipiam convenire possit, nisi ei, quod definitum est. In descriptione autem nihil refert, etiam si multa sint supervacua, & in ea congerantur, quæcunque à re non sunt aliena, modo ad explanationem rei pertineant, quibus quidem descriptionibus maxime Oratores uti solent. Fiunt autem perfectæ

(Ita nemo Mathematicus Triangulum definiverit, sufficit dicere quod sit figura trium angulorum, ex qua demonstratione colligitur eos esse rectis æquales, eo ipso quia figuram claudunt.)

definitiones ex genere communi, & genere proprio in Mathematicis, hoc modo: Triangulus est figura habens tres angulos æquales duobus rectis: est enim triangulus in genere figurarum, & ejus proprium privatum est habere

tres angulos, qui duobus rectis sint æquales. Circulus est figura rotunda, à cujus centro ad peripheriam, omnes lineæ ductæ sunt æquales: est enim circulus similiter in genere communi figurarum, & ejus proprium privatum est, quicquid in ipsius definitione cum genere communi positum est. Item in scientiis & artibus generaliter definiendis, hoc modo: *Scientia est cognitio rei vel rerum scitu dignarum, cognitu difficilium, & vulgo ignotarum*: cognitio namque

(Illud: *vulgo ignotarum* supervacuum, nam quod cognitu difficile id vulgo ignotum est.)

genus est scientiæ: est enim omnis scientia cognitio quædam, non contra, cætera vero quæ sequuntur propria sunt. Non enim scientia proprie est omnium rerum quamvis vilium, ut scire haurire aquam de puteo, & fricare equum, sed dignarum quæ sciantur, ut curare morbos & vulnera: nec quamvis facilium ad cognoscendum, ut quæ sit causa umbræ hominis ad solem ambulantis, sed quæ in cognoscendo aliquam habeat difficultatem, ut quam ob causam fiat eclipsis solis: nec quamvis ab omnibus notarum, ut quænam sit lactuca & portulaca, sed quas nemo scit, nisi peritus: ut quam vim atque potestatem habeat eadem lactuca & portulaca & cæteræ herbæ. Hæc enim omnia veræ sunt scientiæ, qualis est Physiologia, Astrologia, Geographia, quarum finis est non agere aut facere aliquid, sed tantum cognoscere & contemplari. Ars vero est scientia bene faciendi aliquid, omnes enim artes sunt in genere scientiæ, ejus quam supra definivimus, eo quod earum præcepta sunt digna scitu, cognitu difficilia & vulgo ignota. Quod autem additum est in definitione artis, ut ejus proprium sit, agere sive facere aliquid: hoc facile apparere potest esse verissimum, si quis animo percurrat omnes singulares artes, omnes enim reperiet in agendo vel faciendo aliquid esse occupatas. Nam & Medicina primum est ars bene curandi morbos & vulnera, ut Cicero in primo de Inventione definit non solum vere, sed etiam multo verius ac rectius quam Hippocrates & Galenus & omnes Medici. ut infra ostendemus in capite de Materia & officio artium. Item Rhetorica est ars bene dicendi de omnibus rebus, quæ definitio Rhetoricæ similiter multo est rectior & verior quam illa, quam tradidit Aristoteles in Rhetoricis, ut probaturi sumus infra libro III, in capite II. de Rhetorica. Item Jus Civile est ars bene respondendi de jure. Militia est ars bene gerendi belli. Arithmetica est ars bene exercendorum numerorum. Musica est ars bene canendi. Geometria est ars bene metiendi omnia, quæ mensuram recipiunt. Et eodem modo si quis scrutetur omnes alias artes, tam mechanicas quam liberales, reperiet eas esse in genere scientiæ ejus, cujus proprium est agere vel facere aliquid. Nam quemadmodum omnes scientiæ definiuntur ex materia, circa quam versantur, & fine communi, quod est contemplari: sic omnes artes definitionem suam mutuantur, ex materia & officio ipsarum: & sic materia

Medi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26:ZEN Leibn. Marg. 26, [218] - 150

Medicinæ ſunt morbi & vulnera, officium autem proprium bene curare. Rhetoricæ autem materia omnes res mundi, de quibus ſermo haberi poteſt, officium proprium, bene dicere: eodemque modo in aliis, ut infra etiam clarius explicabitur in capite de Diviſione artium & ſcientiarum. Quare qui plura hac de re videre cupit, is ad Caput illud confugiat. Interea de definitione hoc dixiſſe ſatis ſit, ut omnes intelligant definitionem non ex genere & differentia vel differentiis conſtare, ut Dialectici imperite nugantur, ſed ex genere communi & genere proprio, vel ex generum communium frequentia, ut & Cicero, & Quintilianus, & omnes Rhetores veriſſime affirmant. Atque ut appareat duos eſſe fines definitionis, unũ ut ponat id quod definitur in genere ſuo privato, quod fit per propria: alterum ut ſeparet ipſum ab omni alio quod eſt extra ſuum genus, id quod per differentias efficitur. Atque ideo multo rectius ſenſiſſe Rhetores, qui dixerunt definitionem conſtare ex propriis, quam Dialecticos, qui eandem ex differentia vel differentiis fieri affirmaverunt. Et deniq; ut cõſtet, duo eſſe definitionum genera, unum quod notionale dicitur à Galeno, ab Ariſtotele autem definitio nominis: alterum quod eſſentiale appellatur ab eodem Galeno, & quod cum deſcriptione quã cum definitione majorem diximus habere ſimilitudinem. Poſt omnia vero eum, qui recte definitiones facere cupit, hæc tandem diligenter cavenda, memoriæ mandare volumus, ac primum ne in definiendo cadat in id vitium, quod ſupra reprehẽ-

(Imò verò nulla niſi nominum definitio eſt, nam realem ſeu eſſentialem ipſe rejecit p. 149. initio.)

dimus, hoc eſt, ut ne res pro vocibus, nec voces ac nomina pro rebus definiat: in quod vitium antea monſtravimus non ſolum omnes Dialecticos & Porphyrium, ſed adeo etiam ipſum Ariſtotelem cecidiſſe in definiendo genere. Deinde ne in definiendo, genus altius vel ſupra quam oportet, repetat: quem errorem infra oſtendemus ab Ariſtotele fuiſſe admiſſum in definitione Rhetoricæ. Deinde in definiendis artibus, ne eas in videndo quid ſit agendum vel faciendum, ſed in agendo vel faciendo conſtituat: qua quidem in re etiam infra probabimus Ariſtotelem peccaſſe in eadem, quam modo diximus, Rhetoricæ definitione. Præterea in eiſdem artibus definiendis, ne prætermittat officium, cujus omiſſione definitio Medicinæ à Galeno tradita ἐν μικροτέχνῃ non eſt recta, ut oſtendemus infra. Ac nos quidem in definiendis vel artibus vel cæteris rebus, hæc pauca potiſſimum ſervanda cenſemus: nam ne in definiendo prætermittatur rei definiendæ genus, & ne aſſumatur genus alienum vel falſum, & ut definitio convertatur cum definito, vel definitio ſit definitio nõ deſcriptio, & ut in definitione nihil ſit nec obſcurum, nec ambiguum, nec ſupervacuum, nec translatum, nec inſuetum, & cætera, quæ tradit Ariſtoteles in ſexto Topicorum, aut ſunt faciliora, quam ut admonitione egere videantur

aut

aut si egent, unde peterentur admonui. Quanquam inter præcepta, quæ ab Aristotele traduntur de faciendis definitionibus, multa sunt vel falsa vel inutilia: & quod peius est, etiam quæ non servantur ab ipso in suis definitionibus faciendis, ut partim probatum est supra in refutatione definitionis generis ab eodem traditæ, partim probabitur infra cum ostendimus *definitionem*

(Definitio non recte dicitur *falsa*: dicenda potius, *inepta* aut *mala*: nam etiam verissima propositio, si convertibilis non est, nec definitio est.)

Rhetoricæ, quam ipse tradit in primo Rhetorices, esse falsam. Nunc quemadmodum supra dividendi, sic etiam hic definiendi, modos omnes à Scriptoribus communiter usurpari solitos, breviter apponendas censuimus, ut recte philosophari cupientibus nulla non pateat consueta definiendi formula. Ergo præter duos illos definiendi modos, à nobis supra positos, quorum primus dicitur οὐσιώδης, hoc est, essentialis sive substantialis: alter vero, ὀνοματικὸς, sive ut Aristoteles appellat ὀνοματώδης, hoc est, notionalis sive nominalis, ut patet exemplis utriq; eorum appositis: sunt alii complures, quorum qui sequitur appellatur ποιότης, sive ut alii scribunt ποιόδης, hoc est, qualitas, sive ut ita dicam, qualitativus, eo quod in eo, qualitates rei definitæ exprimuntur, ut homo est ubi pietas, ubi justitia, ubi æquitas, ubi continentia; ubi rursus malitia, versutia, cæteraq; vitia versantur, qui ingenio valet, artibus pollet: & aut cognitione rerum, quod agere debeat, deligit, aut animadversione quod inutile sit, contemnit, repudiat, & rejicit. Quartus ὑπογραφὴ, hoc est, descriptio: ut illa famæ apud Virgilium,

Fama malum, quo non aliud velocius ullum, & cætera.

& hæc, Luxuriosus est victus non necessarii, sed sumptuosi & onerosi appetens, in deliciis affluens, in libidinem pronus. Quintus κατ' ἀντίλεξιν, quâ utuntur Grammatici cum vocem unam interpretantur, ut librare est ponderare, credere est fidem habere, ζῶον est animal, ἄνθρωπος est homo. Sextus κατὰ διαφοράν, ut odium ab ira differt, quòd hæc brevis sit, illud inveteratum. Septimus κατὰ μεταφοράν, id est, per translationem ut litus est, quo fluctus alludit: adolescentia est flos ætatis: senectus est occasus vitæ: Hæc variis de causis adhibetur: ut moneat, ut nobilitas est virtus majorum apud posteros sarcina: ut designet, ut caput est arx corporis: ut vituperet, ut divitiæ sunt brevis vitæ longum viaticum, ut laudet, ut adolescentia est flos ætatis. Octavus κατὰ ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου, id est, per privationem contrarii, ut bonum est quod malum non est, dives est qui non eget: quid est aliud furere quam non cognoscere leges? non cognoscere homines? Nonus καθ' ὑποτύπωσιν per explicationem quandam, quæ semper fit in individuis, ut Æneas fuit filius Anchisæ & Veneris, & Mummius, is qui Corinthum everti. Decimus ὑποτύπος cum pro definitione ponitur aliquod exemplum

exemplum, ut substantia est, ut animal: quantitas, ut linea: qualitas, ut scientia. Undecimus κατ' ἔνδειαν τοῦ πλήρους, hoc est, per defectum integri seu pleni, ut si quis quærat, quid sit dodrans, & respondeatur, dodrans est cui quadrans deest ad assem integrum. Duodecimus κατ' ἔπαινον, hoc est, per laudem, ut pro Cluentio, Lex est mens, & animus, & consilium, & scientia civitatis: & historia est testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis: & domus Jurisconsulti est oraculum totius civitatis: & servitus est extremum malorum, quæ definitio est non per laudem sed per vituperationem. Tertiusdecimus κατ' ἀναλογίαν, hoc est, per proportionem & rationis similitudinem, ut Prætoris edictum legem annuam esse dicunt, & Magistratus est lex loquens, & lex est magistratus mutus. Quartusdecimus κατὰ πρός τι, qui fit in iis, quæ sub eandem rationem cadunt, quæ Dialectici correlativa vocant, ut pater est qui filium aut filios habet, & filius est qui habet patrem: & genus est quod plures complectitur partes, pars est quæ subest generi. Quintusdecimus αἰτιώδης, in quo causæ ponuntur efficientes, ut dies est, quando sol est super terram: vel quæ finem spectant, ut consilium est aliquid faciendi aut non faciendi excogitata ratio: Aliquando simul omnes causæ colliguntur, ut domus est substructio ex lapidibus & lignis ab Architecto habitandi gratia confecta. Hi fere sunt omnes definiendi modi à Scriptoribus communiter usurpati, quos Boethius omnes in libro de Definitionibus diligenter enumeravit.

CAPUT SEXTUM.

De homonymis & synonymis Grammaticorum veris quid vere sint, & quis verus eorum usus, contra stulta illa æquivoca & univoca & analoga Dialecticorum.

UT in explicandis confirmandisque veris generibus, & speciebus, & differentiis, & propriis nostris, & illis quæ tum eisdem nominibus, tum etiam universalia & prædicabilia à Dialecticis vocantur, refellendis, secuti sumus ordinem eum, qui à Porphyrio servatur in Isagoge, sic etiam in tradendis veris categoriis sive prædicamentis nostris, & refutandis iis, quæ ab Aristotele de eisdem rebus scripta sunt, ab ordine scriptorum ipsius Aristotelis non recedere decrevimus, ut eodem ordine, veritas & recta doctrina demonstretur à nobis, quo falsitas ab Aristotele primũ

tradita: deinde ab omnibus Peripateticis illius ſectatoribus, confirmata fuit. Et quoniam Ariſtoteles ante Categorias tradidit quædam, ut Dialectici putant, principia, quæ vocant, Anteprædicamenta, ut autẽ nos arbitramur, tanquam mera deliramenta: idcirco nos quoq; ab eiſdem incipiamus, & primo ab homonymis & ſynonymis, ſive ab æquivocis & univocis, ut Dialectici appellant, quæ admodum erant facilia cognitu, niſi à Dialecticis uſq; adeo fuiſſent perverſa & corrupta, ut nobis ea nunc corrigere & emẽdare cupientibus magnam quandam ingerant difficultatem, quam tamen, ut ſpero, Diis faventibus, ſuperabo. Breviter igitur & vere *de homonymis & ſynonymis, & præterea etiam de amphibolis & polyonymis, ab Ariſtotele prætermiſſis*, ita ſtatuo & dico, tã apud Græcos quam apud Latinos recte loquentes, *homonyma & polyonyma eſſe non voces ſed res: contra vero ſynonyma & amphibola non res, ſed voces.* Quod ita eſſe ut facilius intelligatur, primum dicam, quid unumquodque horum ſit. Deinde ea ſingillatim rationibus & authoritatibus probabo. Homonyma ſunt cum multæ & diverſi generis res, puta canis cæleſtis, canis terreſtris, canis manus, una eademque voce, quæ eſt canis, ſignificantur, in hac enim ſignificatione ex parte rerum ſignificatarum eſt homonymia, ſi quidem res iliæ apud Græcos vocantur homonymæ, apud Latinos vero cognomines: ex parte vero nominis ſignificantis eſt amphibolia: nam id nomen, quo res illæ ſignificantur, græce amphibolon, latine ambiguum appellatur. Cum vero contra multa & diverſa nomina qualia ſunt, veſtis, pallium, & indumentum, ſignificant unam eandemque rem, nempe eam, qua veſtimur: tunc ſimiliter ex parte nominum ſignificantium eſt ſynonymia, propterea quod Græci talia nomina vocant ſynonyma. Latini vero cognominata: ex parte autem rei ſignificatæ exiſtit polyonymia: cum hujuſmodi res à Græcis polyonymæ, quaſi dicas, multinomiæ vocitentur, eo quod ſingulæ multa habeant nomina. Atque ita differũt inter ſe res homonymæ ſive cognomines à nominibus amphibolis ſive ambiguis: & rurſus nomina ſynonyma ſive cognominata à rebus polyonymis ſive, ut ita dicã, multinomiis. Quam nominum & rerum differentiam, ne ſine ullius authoritate ex meo capite mihi confinxiſſe videar, paulo latius approbandam putavi. Ac primum homonyma, non voces eſſe, ſed res, ut dixi, atque hoc quod eſt eſſe homonyma non vocum, ſed rerum eſſe proprium, primum probatur authoritate Platonis in Parmenide, qui de Ideis & de iis, quæ hic quaſi ſimulachra quædam Idearum ſunt, loquens, ita ſcribit, τὰ παρ' ἡμῖν ταῦτα ὁμώνυμα ὄντα ἐκείνοις, id eſt, quæ apud nos homonyma ſunt illis, hoc eſt, Ideis. Sicque Plato teſtatur, nos & noſtra hic omnia, quæ ſunt res non voces, eſſe homonyma Ideis, eo quia licet diverſæ cujuſdam naturæ

naturæ sint, tamen idem nomen habemus, quod illæ. Nam ex ejus sententia, qui hic est homo, illic est, ipse homo, sive ut illius verbis utar: qui hic est ἄνθρωπος illic est αὐτοάνθρωπος: ex quibus verbis clare apparet, non voces, sed res ipsas à Platone appellatas fuisse homonymas. Deinde Isocrates ipse quoque in Evagora de Ajace Telamonio loquens, ita inquit, ἀφικόμενος εἰς κύπρον σαλαμῖνα κατώκησεν ὁμώνυμον ποιήσας τῆς πρότερον αὑτῷ πατρίδος, hoc est, Ajax cum perveniſſet in Cyprum Salaminen condidit homonymam faciens superioris suæ ipsius patriæ. Quo in loco similiter apparet Isocratem non vocibus ac nominibus, sed rebus per nomina significatis attribuisse homonymiam. Præterea Strabo cum alibi multoties, tum maxime in quarto γεωγραφουμένων, manifeste ostendit ὁμωνυμίαν non verborum sed rerum esse propriam: sic enim inquit, τίκινον ἐν λε μιλίοις πόλις καὶ ὁμώνυμος ὁ παραῤῥέων ποταμὸς, hoc est, Ticinum in quadraginta quinque millibus passuum, urbs & ejusdem nominis juxta labens fluvius: & ibidem de Arimino loquens, sic ait, ἔχει ὃ ἀρίμινον λιμένα καὶ ὁμώνυμον ποταμόν, hoc est, Habet autem Ariminum portum, & ejusdem nominis fluvium. Hæc Strabo, quibus etiam adjicere possem ex aliis Scriptoribus Græcis alia pene innumera idem probantia exempla, nisi ex his quæ dixi, constare arbitrarer apud Græcos homonymiam esse proprietatem quandam, non ad voces rerum, sed ad res ipsas pertinentem, & res non voces homonymas esse appellandas. Præsertim cum hoc Græci, non solum in nominibus, sed etiam in verbis & adverbiis verum esse significent: dicunt enim, & τὴν πόλιν εἶναι ὁμώνυμον τῷ ποταμῷ; & τὴν πόλιν ὁμωνυμεῖν τῷ ποταμῷ, & θέσθαι ὀνόματα ὁμώνυμα τῶν πατέρων, quos omnes loquendi modos Strabo frequenter usurpat. His igitur authoritatibus res multæ & diversi generis apud Græcos & vere sunt & recte dicuntur homonymæ, apud Latinos vero eædem appellantur cognomines: sic enim & Plautus in Bacchidibus duas sorores meretrices appellat cognomines, hoc est, homonymas, eo quod ambæ uno eodemque nomine Bacchides erant nominatæ: & Plinius, & alii Scriptores latini recte loquentes, res quæ apud Græcos homonymæ sunt cognomines identidem interpretantur. At nomina ea, quibus res homonymæ significantur, Scriptores Græci non homonyma sed amphibola, & eam affectionem nõ homonymiam sed amphiboliam, quasi dicas, ambiguitatem appellare consueverunt: ut Zeno ille Princeps Stoicorum, cujus verba apud Diogenem Laertiũ hæc sunt, ἀμφιβολία ἔστι λέξις δύο ἢ καὶ πλείονα πράγματα σημαίνουσα, hoc est, Amphibolia est vox sive dictio duas vel etiam plures res significans: ex quo patet cum unum & idem verbum, plures & diversas res significat: id

à Græcis vocari amphibolon: Eademque de causa idem à Latinis veteribus appellatur ambiguum: ut primum à Cicerone in Tusculanis Quæstionibus ita dicente, Effugiamus nomen ambiguum invidiæ, eo quod invidia est non solum in eo qui invidet, sed etiam in eo, cui invidetur: quo in loco per nomen ambiguum, nihil aliud intellexit, nisi id quod à Græcis ἀμφίβολον vocatur. Deinde ab Horatio in primo carminum libro ita scribente,

Ambiguam tellure nova Salamina futuram.

Quibus verbis Horatius ambiguam Salamina eam esse, quam à Teucro conditam Isocrates appellavit ὁμώνυμον τῆς αὐτῷ πατρίδος, ut supra diximus. Appellatur autem Salamis ab Horatio ambigua, non quasi duplex, ut male sentit Porphyrion, nec quasi incerta, ut alii dicunt, sed tanquam ambigui nominis, ut illa ambiguitas non ad rem, quæ erat Salamis, sed ad nomen ejus referatur, per figuram hypallagen more poetico. Quare & Ciceronis, & Horatii testimonio constat verba quæ à Zenone, & à reliquis Græcis dicuntur amphibola, ea à Latinis recte & proprie ambigua nominari. Synonyma autem voces esse &, ut diximus, apud Græcos ita vocari, cum plures & diversæ voces unam & eandem rem significant: id quoque constat in nominibus, exemplo illo Galeni in secundo de Differentiis pulsuum, cum de synonymis loquens ita inquit, ὡς ἐπὶ τοῦ ξίφους καὶ ἄορ & φάσγανον, quibus tribus nominibus una tantum res significatur, hoc est, ensis vel gladius. In verbis vero authoritate Aristotelis in tertio Rhetoricæ artis libro, sic dicentis, λέγω δὲ κύριά τε καὶ συνώνυμα, οἷον τὸ πορεύεσθαι καὶ τὸ βαδίζειν, hoc est, dico autem propria & synonyma, ut ire & vadere: quibus duobus verbis una eademque res, hoc est, una eademque gradiendi actio significatur. Ac talia quidem sunt apud Græcos vere loquentes, nomina vere synonyma quæ à Latinis appellantur cognominata, ut videtur significare Cicero in Partitionibus oratoriis. Quæ autem res his nominibus significatur, ea græce apud Ammonium & Porphyrium vocatur πολυώνυμος, latine non habet nomen, sed si liceret ita loqui, non inepte fortassis, multinoma sive multivoca diceretur, eo quod multa habet nomina. Quibus authoritatibus patet verum esse id quod dixi, ex una parte homonyma sive cognominia, non voces esse sed res: amphibola autem sive ambigua, non res sed voces: ex altera vero parte synonyma sive cognominata, voces existere non res: polyonyma autem sive multinoma, non voces sed res: & præterea homonyma esse opposita amphibolis sive ambiguis, tanquam res significatæ vocibus significantibus: synonyma vero sive cognominata, polyonymis sive multinomis, tanquam voces significantes rebus significatis. Utilitas autem, quæ percipitur ex cognitione distinctio-

ſtinctionis horũ omniũ, in homonymis rebus & ambiguis nominibus, eſt ad diſtinguendas homonymias & amphibologias, ne ex eo quod aliqua diverſa habent idem nomen, ea prorſus eadem eſſe exiſtimentur: & diſputantes non ad idem ſed ad diverſa referentes animum, occaſionem nanciſcuntur, & fruſtra concertandi & protrahendæ incaſſum diſputationis: In ſynonymis vero & polyonymis rebus, ne eandem rem ſæpius dicturi, eodem ſemper nomine utamur, ſed identidem variemus elocutionem quod non tam ad diſputandum atq; ad philoſophandum, quam ad copiam & ad ornatum orationis pertinet. Atq; ideo hæc Grammaticorum & Rhetorum magis propria ſunt, quam Dialecticorum & Philoſophorum. Quæ tamẽ omnia ego paulo fuſius explicanda cenſui, ut & eorum veritas magis eluceſceret, quæ nec à Grammaticis adhuc, nec à Rhetoribus ſatis fuerat explicata: & clarius appareret barbaries atque ignorantia Dialecticorum præſertim noſtri temporis. Barbaries, eo quod prætermiſſis antiquis & probatis nominibus, introduxerunt in philoſophiam vocabula pluſquam barbara, immutantes & pervertentes omnia: nam pro amphibolis ſive ambiguis, intruſerunt æquivoca æquivocantia: pro homonymis ſive cognominibus, æquivoca æquivocata: pro ſynonymis ſive cognominatis, univoca univocantia: pro polyonymis ſive multinomis, univoca univocata: & omnino pro homonymia æquivocationem, pro ſynonymia univocationẽ, quæ non modo dicere, ſed ne audire quidem doctus quiſquam æquo animo patiatur. Ignorantia vero quoniam iſta æquivoca & univoca, nõ ſolum ſunt barbara, ſed etiam partim falſa, partim inutilia, partim etiam recte philoſophari cupientibus contraria: falſa, quia cum ſint, ut ipſi affirmant, univerſalia dialectica, & talia univerſalia à nobis ſupra probata fuerint non eſſe vera, non poſſunt univoca & æquivoca Dialecticorum non eſſe falſa. Præterea cum ab ipſis definiantur perinde ac ſi res eſſent, aiunt enim, univoca & æquivoca eſſe ea, quæ nomen habent commune & cætera, & habere nomen commune rerum maxime proprium ſit, non nominum: tamen poſtea tanquã obliti definitionis ſuæ, eiſdem univocis & æquivocis, tanquam vocibus nõ tã quam rebus tribuunt, ut de multis dicantur & prædicentur: quod fieri non poteſt, cum dici ac prædicari, ut ſupra oſtendimus, non rerum, ſed vocum ſit proprium, proprie enim voces dicuntur & prædicantur non res: & ſi quando hæc affectio dicendi & prædicandi rebus tribuatur, id non niſi vocum ac nominum ſuorum ope & auxilio fit. Quare etiam propter hanc cauſam, univoca & æqui-

(Ipſe ſupra dixit Orationem eſſe compoſitam ex rebus & verbis *pag. 61. fin.*)

voca non poſſunt eſſe vera, niſi tanquam Centauri ac Minotauri quidam, ex duabus naturis diverſis ſint compoſita, hoc eſt, ex rebus & verbis. Nam revera Ariſtoteles & reliqui Dialectici, cum de iſtis verba faciunt non diſtingunt

nec certo sciunt de rebusne an de nominibus loquantur. Inutilia vero sunt quoniam cum homonyma & synonyma Dialecticorum falsa sint, & eadem vera à Grammaticis ad quorum artem pertinent ante essent tradita, quid opus erat de univocis & æquivocis Dialectici denuo nobis novam quandam, & quasi portentosam traderent doctrinam? certe nihil opus fuerat. Atenim inquiunt eorum cognitio prodest ad veritatem rerum investigandam, ac ne in disputando, ut ipsi dicunt, versemur in æquivoco. Immo vero non solum neutrum horum faciunt, sed contra potius id quod supra tertio loco posui, maxime obsunt: nam dum sequuntur suam istam falsissimam ac stultissimam doctrinam univocorum & æquivocorum, & dum assidue inter se de hac re, tanquam de lana caprina altercantur, propè in duobus annorum millibus, nondũ definire potuerunt utrum ens de substantia & accidente dicatur univoce, an æquivoce, an vero etiam analogice: nam præter æquivocationem & univocationem, introduxerunt etiam *analogationem*, *quasi tertiam quandam dialecticam stoliditatem*. Tot enim in hac quæstione propemodum sunt sententiæ, quot illorum sectæ: alii enim aliter dicunt, nec ullo pacto possunt convenire aut veritatem reperire: nec mirum, cum in falsitate non possit inveniri veritas: nam cum falsa sint universalia, ut dixi, & æquivoca & univoca sint universalia, qui possunt æquivoca & univoca non esse falsa? Ad hunc igitur modum recte philosophaturis, maxime noxia est univocorum & æquivocorum doctrina, non solum in ea, quam dixi, quæstione dijudicanda, sed etiam in aliis quamplurimis similibus. Quod si vel ignorata vel rejecta istorum falsa traditione, homines sequerentur veram naturam rerum ac verborum, nequaquam dubitarent nec dubitandum putarent, quin eodem planè modo ens sive res dicatur de substantia & accidente, quomodo dicitur animal de rationali & irrationali, sive de homine & bruto. Tam enim vere ens sive res, est genus substantiæ & accidentis, quàm animal hominis ac bruti: & tam proprie dicitur ens sive res, de substantia & accidente, quàm animal de homine & bruto: nec inter hæc ulla est differentia, nisi quod ens sive res, est generalissimum & supremum genus, animal vero genus intermedium: & quod entis sive rei nomen dicitur de omnibus, animalis vero non nisi de aliquibus, ut apertissime constabit ex arbore nostra generica, quam infra sumus discripturi. Quare quod ad generum veritatem vel falsitatem, magnitudinem vel parvitatem, & omnino ad eorum varietatem diversitatemq; pertinet, qui aliquid horum scire cupit, ad caput illud confugiat. Nunc satis ostensum putamus, homonyma & polyonyma esse res non voces, synonyma vero & amphibola sive ambigua voces non res: ac Dialecticos simul & barbare & imperite feciſſe, qui primũ relictis

vete-

veteribus & probatis nominibus, novas quasdam & tanquam prodigiosas voces introduxerunt. Deinde univoca & æquivoca statuerunt, partim falsa, partim inutilia, partim etiam philosophiæ candidatis noxia. Quæ qui defendere voluerit, is prius oportebit ut defendat universalia, cum antea à nobis unà cum universalibus, tanquam universalia, fuerint refutata. Deinde, ut reddat rationem, cur non maxime reprehendendi sint Dialectici, qui tam confuse de his scripserunt, ut ex eorum scriptis discerni non queat, utrum de rebusne an de nominibus loquantur : atque hæc de univocis & æquivocis. Supersunt analoga qualia dicunt esse ens & unum, quæ ut pleriq; Dialecticorum contendunt, de substantia & accidente analogice prædicantur. Quæ ipsa quoq; cum statuantur universalia, unà cum universalibus à nobis labefactata corruerint necesse est: ut omittam interim istam analogorum Dialecticorum inductionem esse vanam & stultam, vel ob hoc, quod nullum est genus, quod non aliquo modo analogice prædicari videatur, hoc est, per prius & posterius ut ipsi exponũt. Nã ex duabus partibus in quas fere omne genus dividitur, una semper apparet nobilior & præstantior altera, ut in divisione animalis rationale quam irrationale, homo quam brutum: quam ob causam si analoga essent aliquid, nullum genus non esset analogum: & propterea nõ recte ab univocis & æquivocis distinguerentur, cum etiam in his necessario sit analogia, & aliquid, quod per prius dicatur vel posterius. Quid enim causæ est, cur non ita per prius animal dici videatur de homine quam de bruto, sicut ens de substantia quam de accidente? & si hoc, cur non illud? Quocirca eadem imperitia & æquivoca & univoca & analoga à Dialecticis fuerunt introducta.

CAPUT SEPTIMUM.

De denominativis, & reliquis capitibus antepræd icamentorum vel supervacaneis vel falsis.

IN hoc Capite nihil habeo utilis, aut necessarii ad recte philosophandum quod servandum esse moneam, sed tantum quod ostendam esse vitandum, tanquam falsum vel supervacaneum, ne quisquam id legens, decipiatur. Nam quæ hic dicuntur ab Aristotele de Denominativis, licet vera sint, tamen ea philosophiæ studiosi, antequã ad philosophandũ veniant, inter præcepta Grammaticorum didicisse debent: Quæ usque adeo puerilia ac non difficilia sunt, ut inter Grammaticæ rudimenta tradantur : *eadem enim sunt demon-*

denominativa, quæ ea, quæ à Grammaticis appellantur derivativa, ut montanus à monte, & Grammaticus à Grammatica. *Quod si derivata inter Dialectica principia sunt numeranda, cur non etiam reliqua nominum accidentia ibidem traduntur? quæ ratio fuit, ut derivativa ponenda viderentur, genus vero numerus, figura, & alia hujusmodi prætermittenda?* certe mihi nulla videtur esse posse, quæ satis idonea sit. Post denominativa, statim sequuntur alia quædam capita non tam serio refutanda, quàm ridendo contemnenda, vel tanquam eodem modo puerilia sicut superiora illa, & ad Grammaticam pertinentia, ut illud περὶ τῶν λεγομένων, hoc est, de iis, quæ dicuntur, vel tanquam planè falsa, & partim supra refutata in Capite de vera rerum divisione, partim infra refutanda in capite de Substantiva, ut illud περὶ τῶν ὄντων, hoc est, de iis, quæ sunt, & cætera usque in finem Anteprædicamentorum. Nam ibi majore ex parte sermo est de iis quæ, ut Dialectici putant, dicuntur aut de subjecto nec sunt in subjecto, ut substantię secundę, sive universalia: aut dicuntur de subjecto & sunt in subjecto, ut accidentia universalia: quæ omnia nos supra, ut arbitramur, ita refutavimus & labefactavimus, ut speremus neminem unquam fore qui ea recte possit defendere. Quare his omissis tantum illud dicam, ex repugnantia horum, quæ dixi, capitum inter se, & ut ita dicũ, monstrositate, tantam esse natam discordiam inter Aristotelis Interpretes de subjecto, sive, ut Græci dicunt, de scopo, libri Prædicamentorum: ut in duobus propè millibus annorum nondum satis dijudicari potuerit, qua de re agat Aristoteles in eo libro. Nam aliqui, quorum unus fuit Alexander, ut recitat Ammonius, dixerunt, Aristotelem ibi tractare solummodo de vocibus, moti verbis illius, cum ait, Eorum quæ dicuntur, & cætera: Alii vero, in quorum numero fuit Eustathius, asseruerunt eum ibidem agere tantummodo de rebus, propter illa verba, cum dicit, Eorum quæ sunt, & cætera: Alii vero, ut Porphyrius, affirmaverunt de conceptibus mentis solum ab Aristotele in eo libro verba fieri: propterea quod decem genera in multis cogitantur & sunt, ut ipsi aiunt, ὑστεροσεννῆ. hoc est, posterius genita, quæ existunt in mente nostra. Sed post hos omnes exorti sunt quidam alii, in quibus extitit Jamblicus & ipse Ammonius, qui improbatis omnium superiorũ opinionibus dixerunt, Aristotelis scopum fuisse in libro prædicamentorum tractare non de vocibus solis, nec de rebus solis, nec de conceptibus solis, sed de vocibus res significãtibus per medios conceptus, atq; ita ne unquam possent reprehendi congestis simul omnibus aliorũ opinionibus, quas singillatim reprehenderant ex multis quasi simplicibus scopis, unum tantum, sed compositum scopum libri prædicamentorum fecerunt: introducentes nobis monstrum, & quasi Chimæram

quandam

quandam ex tribus diversis contrariisq; naturis conflatam: nempe ex vocibus, rebus, & conceptibus; neq; solum id fecerunt, sed etiam, si Diis placet, de eo gloriantur: & sibi ipsi placent, appellantes sese ἀκριβεστέρους καὶ ἀκριβέστερον λέσοντας: perinde quasi magnum quoddam naturæ secretum pervestigarint, vel excogitarint rem vehementer, aut studiosis philosophiæ utilem, aut generi humano necessariam. At ego contra dico Ammoni, multo magis falsam, magisque absurdam esse tuam & Jamblici opinionem, quàm illam Alexandri, Eustathii, & Porphyrii. Illi enim non putaverunt propositum fuisse Aristotelis in uno eodemque libro, ut de rebus tam diversis, & natura contrariis differeret, & recte quidam putaverunt. Nam quæ (malum) est Ammoni ista tua scopi tam monstrosa compositio? At inquis Aristoteles pertractans de vocibus significantibus res, non immerito attingit etiam ipsas res: & quoniam res intelligi non possunt nisi per medios conceptus, idcirco etiam ipsos conceptus non negligendos, neq, prætermittendos putavit: hanc enim tam egregiã, tam præclaram, tam monstrosi scopi tui rationem affers. Sed dic mihi ô Ammoni, nonne Grammatici ipsi quoq; in libris suis loquuntur de vocibus res significantibus per medios conceptus? certe hoc non negabis, nisi forte putas in Grammatica tradi voces nihil prorsus significantes & nullis conceptibus ad intelligendum egentes, quod est absurdissimum. Nonne etiam Rhetores in prima parte elocutionis rhetoricæ, quæ ad verba pertinet, idem quod Grãmatici faciunt? hoc est, nonne ipsi quoq; Rhetores vocibus suis per medios conceptus res significant? certe neq, hoc opinor inficiaberis, non enim potest ulla vox vere significare, nisi res quæ significentur vere adsint, & nisi vere per medios conceptus ab humana mente adprehendantur. Quæ cum ita sint, si verus est iste tuus scopus, quonam pacto quæso evades atque evitabis, quin turpiter cõcedere cogaris, eundem etiam esse scopum & Grammaticæ, & primæ partis elocutionis rhetoricæ, qui & libri prædicamentorum? quandoquidam, tam in grammaticis & rhetoricis, quàm in prædicamentis, ut tu vis, de vocibus res significantibus per medios conceptus agatur: etsi concedes, exspecto ut mihi reddas rationem, qui cõveniat in libris tam diversarum artium, & facultatum esse unum & eundem scopum: sin negaveris, rursus intelligere cupio, quænam sit ratio tuæ istius tam absurdæ, tamq; impudentis negationis. Sed næ ego stultior qui rationem ullius rei quæ tam ab hominibus omni prorsus ratione carentibus. Hac igitur de causa dixi opinionem Ammonii & Jamblici de scopo libri prædicamentorum, utpote monstrosam esse multo magis falsam magisq; absurdam, quàm illam Alexandri, Eustathii, & Porphyrii: ex quo significare volui, neque istas esse veras, cum Atistoteles revera sibi ipse non

conſtet, ſed nunc de vocibus, nunc de rebus, nunc de conceptibus loqui videatur: Et propterea qui dicunt Ariſtotelem loqui tantum de uno horum trium, ab Ariſtotele ipſo, & à verbis illius aperte refutantur. Qui vero affirmant eum de omnibus illis ſimul diſſerere, opinionem abſurdiſſimam & planè monſtroſam tuentur. Itaque neque illi, neq; hi recte ſentiunt, ſed omnes ſimul utpote addictitii & tanquam ſervum pecus, dum aut non intelligunt, aut nolunt, aut non audent dicere Ariſtotelem erraſſe, & quid diceret revera neſciviſſe, unà cum ipſo Ariſtotele in maximis errorum tenebris verſantur, nec Ariſtotelem vere interpretantur, nec veritatem ullam aſſequuntur, eo quod in falſitate non poteſt inveniri veritas. Sed poſteaquam illi potius unà cum Ariſtotele errare, quam veritatem dicere voluerunt, Ego qui ſum, ut inquit Horatius, Nullius addictis jurare in verba magiſtri, & ſolum veritatem ſequor, dicam aperte ut res ſe habet. Ariſtoteles in illis Anteprædicamentis prorſus neſcit quid dicat, aut quid ſibi velit, dum modo de vocibus, modo de rebus, modo de conceptibus ſermonem habere videtur: & dum per mille annos & amplius nemo unquam ex ſectatoribus illius, vere intelligere potuit, quis eſſet verus ſcopus libri prædicamentorum: & denique dum iſte ſcopus à nemine unquam erat intelligendus niſi, ſcilicet, magno quodam Deorum beneficio, natus eſſet Jamblicus, qui primus, ut opinor, vidiſſe ſe putavit, qua de re ageret Ariſtoteles in eo libro, hoc eſt, de vocibus res ſignificantibus per medios conceptus, quaſi dicas de rebus compoſitis ex tribus diverſis naturis, quales ſunt Chimæræ, & Centauri, cæteraque hujuſmodi monſtra Poëtarum. Quæ profecto nihilo ſunt magis falſa & abſurda, quam bona pars eorum quæ Ariſtoteles in Anteprædicamentis dicit, dum more ſuo inter ſcribendum non diſcernit voces à rebus, neq; res à vocibus, neq; has utraſq; à conceptibus: ſed omnia miſcet, turbat, confundit. Eorum quæ ſunt, inquit, quædam de ſubjecto aliquo dicuntur, in ſubjecto autem nullo ſunt, quorum verborum prima pars manifeſte ad voces pertinet; vocum enim proprium eſt dici, reliqua vero ſine dubio ſpectat ad res, ut exemplo hominis, quod illic poſitum eſt, aperte declaratur. Sed quænam (malum) eſt iſta farrago tua ô Ariſtoteles? Dum ais aliqua de ſubjecto dici, voces deſignas: dum addis ea in ſubjecto non eſſe res ſignificas, & ita ut dixi, monſtrum nobis affers ex diverſis & contrariis naturis compoſitum. Quare apage in malam crucem, & faceſſe cum tuis iſtis Anteprædicamentis, nam ſi quid eſt in eis utile cognitu, id ſatis ſuperque tum à Grammaticis eſt traditum, tum etiam à nobis ſupra explicatum. Quæ autem falſa ſunt, ea non ſolum ſcire, ſed ne quidem ſcripta eſſe expedit cuiquam Philoſophiæ ſtudioſo.

CAPUT

CAPUT OCTAVUM.

Esse tantummodo unum & summum & verum & generalissimum genus oratorium, quod est, genus rerum: sex autem illa transcendentia Dialecticorum & decem prædicamenta Aristotelis, & tria Laurentii Valla esse falsa.

COnstituto jam, & stabilito vere quid sit genus, quid species, quid differentia, quid proprium, quid commune: & singillatim refutatis explosisque primum omnibus Dialecticorum universalibus sive prædicabilibus, deinde etiam æquivocis, univocis, & analogis, cæterisque Anteprædicamentorum nugis: consequens erat, si ordinem cœptum servare volebamus, ut statim transiremus ad Categorias sive Prædicamenta, ut vocant, Aristotelis: hæc enim statim post universalia, iis qui Dialecticam discere cupiunt, in publicis gymnasiis discenda proponuntur: sed ut melius & facilius intelligantur, ea quæ dicturi sumus, ab iis quæ vocantur transcendentia mihi visum est esse ordiendum: Et prius statuendum rem sive genus rerum, esse unum verum & generalissimum omnium genus, cætera vero quæ feruntur transcendentia, aut falsa esse, aut sub genere rerum subjecta. Quo probato, multo facilius erit ostendere substantiam & cætera prædicamenta Aristotelis non esse genera generalissima, ut Dialectici stulte arbitrantur. Ante omnia enim nobis principia veritatis tradentibus, evellenda atq; exstirpanda est ex animis hominum, falsissima illa opinio, quæ jam amplius mille annorum pene in omnibus philosophorū scholis dominata est, videlicet, esse decē genera rerum generalissima: quo nihil magis falsum, magisq; absurdum excogitari potest. Nam si constabit rem sive genus rerum, esse summum ac generalissimum genus, profecto nullum aliud poni ac statui supremum genus poterit. Sed ut jam veniamus ad ostendendum id quod propositum est, Dialectici authore partim Aristotele, partim aliis nescioquibus, sex esse ea, quæ vocantur transcendentia existimant, nempe, ens, unum, aliquid, verum, bonum, & rem: ex quibus tamen ens tanquam omnium regem atque imperatorem statuunt, si quidem ad ens reliqua omnia facile reduci arbitrantur. Ajunt enim unum nihil aliud esse, nisi ens in se indivisum: aliquid quasi aliud quid, hoc est, ens divisum ab omni alio: verum ut ens apprehenditur ab intellectu: bonum

ut ens expetitum à voluntate: denique vero rem, quasi ens habens in se propriam essentiam, vel quidditatem: atque hoc modo reliqua transcendentia ad ens, tanquam quasi servos ad dominum, vel subditos ad regem referri censent. At nos contra prorsus hæc omnia sentientes prius nostra vera confirmare volumus quam adversaria falsa refutare. Itaque dicimus & affirmamus in tota rerum natura, & in hac immensa mundi universitate esse tantum unum, verum summum, ac generalissimum genus, sive transcendens, sive categoriam, sive prædicamentum, sive quomodocunque aliter appellare placet: in quo genere reliqua omnia inferiora ac prope innumerabilia genera continentur, quod est, genus rerum, sive res, accipiendo tamen rem non proprie, sed figurate pro omnibus rebus. In cujus generis constitutione, quod primum diximus, ipsum esse tantummodo unum ac summum, id hac de causa fecimus, ut excluderemus & ejiceremus primum illa quinque alia, quæ supra memoravimus transcendentia, ens, unum, aliquid, verum, bonum. Deinde illa decem Aristotelis tantopere celebrata genera, quæ vocantur prædicamenta, hoc est, substantiam, quantitatem, qualitatem, relationem, actionem, passionem, ubi, quando, situm esse, & habere: quorum omnium tam prædicamentorum quam transcendentium, nullum vere nec transcendens, nec genus summum est, nec generi rerum ullo modo par aut æquale. Nanque ut incipiam ab appellatis transcendentibus, ea omnia præter rem, ut recte inquit Laurentius Valla in primo Dialecticæ suæ libro, Cap II. nequaquam transcendentia vere sunt, sed species quædam & partes rei, sive generis rerum, cum tanquam specialia quædam & compositiora resolvantur & quasi retexantur in rem, sive conceptum rei, tanquam in generalius quiddam & superius, si quidem revera participium est, quod resolvitur in suum antecedens cum relativo & verbo substantivo, sicut alia participia: & quemadmodum legens est is qui legit, vel homo qui legit, & scribens est is qui scribit, vel homo qui scribit, si ens nihil aliud est, nisi id quod est, vel ea res quæ est. Quare Dialectici dum ens rei æquare, &

(Hic male, nam omnis res est, & omne quod est res & omne quod est, est Ens, & contra omne Ens est igitur omnis Res est Ens, & omne Ens est Res. Res autem quæ non est, idem est quod res ficta, seu quæ res dicitur, sed non est res. Præterea Res ex usu Latinorum Veterum Ente strictior est. Nam Esse & Ens æquè latè patet. Sed qualitates non dicimus Res, verum modos rerum. Sic igitur optime: Aliquid est aut Ens aut non Ens. Ens aut Res aut modus.)

transcendens facere conantur, perinde faciunt ac si legentem vel scribentem homini æquare vellent: non intelligentes omnem quidem legentẽ vel scribentem esse hominem, non contra, cum multi sint homines qui nõ solũ non scribunt nec legunt, sed nec legere quidem aut scribere didicerunt. Præterea nec illud animadvertunt, *nomen rei solere tribui non solum iis, quæ sunt, sed etiam iis, quæ non sunt:* ut cum aliquis loquitur de Centauris & Chimæra, & eum dicimus loqui de rebus, quæ non sunt, nec unquam fuerunt. At nomen entis, ut etiam fatetur Aristoteles de his ipsis rebus nequaquam proprie videtur dici posse, nisi quis forte non vereatur ita loqui, ut dicat entia quæ non sunt.

non animadvertens se perinde nugari, ut si diceret, ea quæ sunt non esse. Ex quibus apparet nomen entis minus commune esse quàm nomen rei, & Dialecticos perversissime facere, dum ens rei æquare & transcendens efficere conantur. Similiq; imperitia decipiuntur, cum etiam alia quatuor, unum, aliquid, bonum, & verum transcendentia faciunt, & unum quodlibet eorum rei quasi ranam bovi adæquant. Nam, ut idem Valla vere inquit, unum nihil aliud est nisi una res, aliquid aliqua res, bonum bona res, verum vera res, sive veritas: quæ omnia non tam videntur esse res subjectæ, quàm modi quidam rerum subjectarum, qui per contraria divisi alternatim ac divisim omnibus rebus accidunt: si quidem necesse est, omnem rem esse aut unum aut multa, aut aliquid aut nihil, aut bonum aut malum, aut verum aut falsum. Atque ideo non videntur hæc generi rerum ullo modo posse æquari, ac transcendentia vocari, nisi quis forte tam stultus est ut putet totum aliquod parti suæ par atque æquale inveniri posse. His igitur de causis nos unà cum Valla existimamus, & pro certo habemus rem esse unum, & solum transcendens, saltem in lingua latina: cætera vero omnia, quæ transcendentia dicuntur, esse partes rei, & cum re nequaquam æquanda. Ut omittam interim primo illam transcendentium interpretationem, quam à Dialecticis supra fieri diximus, magna ex parte esse falsam & barbaram: quis enim recte loquens unquam dixit aut unũ esse ens in se indivisum? aut aliquid esse aliud quid? quomodo hoc verum esse potest apud Græcos, qui non aliquid sed τὶ dicunt? Deinde illam plurium transcendentium positionem, quæ prorsus nugatoria & nullius veritatis investigationi aut inventioni utilis. Quis enim unquã nisi Dialecticus garrulus & loquax in investiganda aut reperienda veritate, istiusmodi nugis usus est? aut si est usus, quem fructum aut utilitatem philosophiæ attulit? certe nemo: & propterea non immerito plurimi etiam tempore Platonis Dialecticam istã appellabant garrulitatem, ut ipsemet Plato testatur in Parmenide. In summa Plato & Aristoteles, ut de his potissimum loquar, nunquam minus philosophi & magis loquaces videntur, quàm cum de istis nugis tanquam de rebus maximi momenti serio disputant. Sed ut redeam ad genus rerum, sive ad rem, quam ego constituo sũmum ac generalissimum genus, dico ex eo quod in ejus constitutione posui unum & summum, exclusa & rejecta esse primo illa quinq; alia, quæ vocantur transcendentia, quæ nullo pacto transcendentia esse possunt. Deinde illa decem Aristotelis prædicamenta paulo ante à nobis cõmemorata, cum ipsa quoq; sint partes rei, sive generis rerum, ut etiam Dialectici fatentur, & propterea nequeunt esse summa genera, nec recte generalissima vocari. Sed resistunt hoc loco nobis Dialectici, dicentes & confitentes

rem quidem esse genus & omnia decem prædicamenta sub se continere, sed non verum ac perfectum genus, hoc est ut eorum verbis utar, non univocum, sed æquivocum vel analogicum, quasi dicas spurium vel adulterinum. Sic inquam Dialectici nobis hoc loco resistunt, negantes rem esse verum genus, & existimantes magnum sibi adjumentum ad id probandum ab illis suis univocis, æquivocis, & analogis præstari. Quibus nos quoq; vicissim respondemus ac dicimus idcirco à nobis in constituendo rerum genere positum fuisse non solum unum, sed etiam verum, ut ostenderemus ipsum genus rerum habere omnes conditiones & proprietates veri ac perfecti generis, & omnino solum esse verum & perfectum generalissimum genus, atq; adeo tanto verius & perfectius quanto amplius & capacius quàm omnia alia genera. Quod autem isti aiunt non esse univocum, sed vel æquivocum vel analogum, ad hoc quoq; satis responsum est in capite superiori, de univocis, & æquivocis, ubi ista omnia Dialecticorum nugamenta ac deliramenta refutavimus. Quamobrem Dialectici prius ipsi respondeant illi capiti, & universalia à nobis in eo labefactata tueantur, deinde cum illa, quæ ibi refelluntur, defenderint, tum ea omnia in auxilium & defensionem suam advocent. Nos enim tantisper dum aliquis responderit, quod nunquam recte factum iri speramus, omnia universalia Dialectica una cũ æquivocis, univocis, & analogis nihil aliud nisi meras Dialecticorũ insanias esse merasq; barbaries ita uti sunt: pro certo dicemus & affirmabimus, non concedentes ulla vera genera dici aut prædicari de aliquo, cum hoc non rerũ, quæ sunt vera genera, sed vocũ ac nominũ quæ generibus tribuuntur, sit propriũ, ut ante diximus. Non enim sequitur, si nomina generũ dicantur de subjecta re, ut ipsa quoque vera genera eodem modo dicantur: quando quidẽ aliud est nomẽ generis, aliud genus ipsum, quemadmodum etiam aliud est nomen exercitus & populi, aliud exercitus ipse & populus verus: nec si nomen exercitus & populi vere prædicetur de suis singularibus subjectis, idcirco non erit deridendus, quicunque populum & exercitum verum de aliquo prædicari affirmare non erubuerit. Quare cũ genera ipsa proprie de nullo dicantur aut prædicentur, nec univoce, nec æquivoce, nec analogice dici, aut prædicari poterunt, & ita inanis & vana erit omnis istorum nugatio contra nostram hoc genus generalissimum, hoc est, genus rerum. Postremo vero ne quis forte miretur, quid causæ fuerit quod in afferendo exemplo nostri hujus generis dictum fuerit à nobis non solum res, sed etiam genus rerum: & cum Dialectici ac Philosophi communiter in exprimendis generibus una tantum voce singularis numeri prolata utantur, atque ita dicant, exempli gratia, ens, substantia, animal, color: nos non solum una, sed etiam duabus vocibus utentes una

tes una ſingulari, altera plurali libentius dicere ſoleamus, genus entium, genus ſubſtantiarum, genus animalium, genus qualitatum, genus colorum: ne quis inquam miretur hunc noſtrum proferendi generis modum, tanquam inuſitatum ac fortaſſe etiam falſum: illud in memoriam revocari volumus, quod ſupra dictum fuit à nobis ac probatum, nempe genera omnia rerum proprie nihil aliud eſſe, niſi multitudines quaſdam ex ſingularibus & individuis compoſitas, & nomina generum non aliter eſſe nomina collectiva quam nomen exercitus & nomen populi: & propterea putamus generum naturam magis proprie ſignificari atque explicari, ſi duabus vocibus, ut dixi, proferantur ad hunc modum, genus rerum, genus entium, genus hominum, genus arborum, genus herbarum, quam ſi una tantum voce hoc modo, res, ens, homo, arbor, herba, & cætera ſimiliter: nam ſuperior ille proferendi generis modus eſt proprius, hic vero poſterior improprius & figuratus: in quo & una res, pro omnibus rebus, & unum ens pro omnibus entibus, & unus homo pro omnibus homnibus, & ſic in aliis ponitur & intelligitur per figuram illam quam Græci ſynecdochen, Latini intellectionem vocant: cum ſcilicet vel ab uno omnia, vel à parte totum, vel contra ſignificatur: quem loquendi modum, non ſolum Poetæ, ſed etiam Oratores frequenter uſurpant. Ne quis igitur miretur, ut diximus, hunc noſtrum proferendi generis modum, nos hoc pacto genera rerum magis proprie magiſq; vere proferri arbitramur, ſi dicamus, genus rerum quam rem, & genus entium quam ens, & genus animalium quam animal, & genus hominum quam hominem & eodem modo cætera. Atque his de cauſis & rationibus unum tautum & verum & ſummum & generaliſſimum ſive genus, ſive tranſcendens, ſive categorian, ſive prædicamentum magis appellare placet, conſtituimus: cæteraque omnia rejicimus & explodimus, quæ vel ab Ariſtotele falsò & inutiliter & ſine ulla neceſſitate introducta, vel ab illius poſtea ſectatoribus imperite ac temere recepta fuerunt, & approbata. Quorum falſitas tametſi ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, non poſſit eſſe obſcura, tamen ex iis etiam quæ deinceps dicentur, & maxime ex deſcriptione arboris noſtræ genericæ, magis clare apparebit. Sed jam venio ad præclara illa & toto orbe terrarum celebrata Ariſtotelis Prædicamenta, ut unius horæ ſpatio diruam, ac deſtruam id totum, quod in duobus prope millibus annorum vix fuit congeſtum, & conſtructum.

CAPUT

CAPUT NONUM.

Quam ob levem causam Aristoteles categorias, sive prædicamenta decem ponenda existimarit, & quam non recte tria tantum Valla statuerit, & simul quo pacto nos arborem genericam à Porphyriana longe diversam faciendam arbitramur.

INter omnia igitur genera, quæcunque sunt in tota rerum natura summum & generalissimum & verissimum est, ut nos arbitramur, genus rerum, continens & complectens sua immēsa & pene infinita multitudine omnia alia inferiora & minora genera, sive minores multitudines rerum, sic ut solum sit supremum & generalissimum, nec omnino habeat par aut æquale, intelligendo tamen semper genus proprie, ut jam antea multoties diximus, nihil aliud esse nisi multitudinem singularium, & totum quoddam discretum. Quæ quidem multitudo generis rerum, quemadmodum supra docuimus, in prima rerum ac nominum divisione, statim dividitur in duas partes, hoc est, in res per se stantes, & res in alio existentes, sive in substantias & qualitates: quas alio nomine accidentia fere vocari diximus, ut infra probabimus in capite de Qualitate. Quam eandem divisionem etiam Dialectici & Philosophi faciunt; quare non eget probatione. Sed quod ajunt ens, & rem, & cætera transcendentia non posse esse vera genera, pui a prædicantur de rebus non univoce, sed æquivoce vel analogice: hæc quoque objectatio jam sublata est, sublatis, ut supra visum est, univocis, & universalibus, sine quibus univoca nec esse, nec stare possunt. Itaque jam sine ulla controversia, res sive genus rerum in suprema & generalissima quasi sede collocatum, prima divisione secatur in partes duas, in substantias & qualitates, tanquam exercitus quidam militum in turmas & legiones. Quibus ita constitutis, ut omnem dubitationem cupientibus scire veritatem adimamus, nunc breviter ostendamus quæ causa moverit Aristotelem, ut tam absurde cum unum tantum verissimum & generalissimum genus rerum sit, ipse tamen decem posuerit: & post Aristotelem, quid impulerit Vallam in sua Dialectica, ut non decem, quemadmodum Aristoteles, sed positione Aristotelica destructa, tria tantum prædicamenta statuenda existimarit, hoc est, substantiam, qualitatem, & actionem

actionem. His enim explicatis nulla cuiquam omnino supereſſe dubitatio poterit, quin vera ſint ea quæ diximus. Ergo Ariſtoteles, ut recte inquit Valla, prædicamenta decem conſtituit, affecto magis quàm neceſſario numero: ſecutus vel Architam neſcio quam Pythagoreum, qui ipſe quoque antea librum decem prædicamentorum ſcripſerat, vel certe imitatus præceptorem ſuum Platonem, quem conſtat Pythagoræ in primis ſtudioſum fuiſſe: atque idcirco omnia fere de numeris eſſe conſtituta voluiſſe. Nam Pythagoras, & Pythagorei omnes cum omnes alios numeros vehementer colebant, & prædicabant, tum in primis denarium; atq; hinc primo Architas, deinde Ariſtoteles numerum decem prædicamentorum ſumpſit, ut exiſtimat Boethius in Arithmetica capite XLI. cujus verba hæc ſunt, Inde etiam in Ariſtotelica, atq; Architæ decem prædicamentorum diſcriptione pythagoreum denarium numerum manifeſtum eſt inveniri, quando quidem & Plato ſtudioſiſſimus Pythagoræ ſecundum ea diſputationem dividit, & Architas pythagoricus ante Ariſtotelem, licet quibuſdam ſit ambiguum, decem hæc prædicamenta conſtituit. Hęc Boethius, ex quibus apparet ſive Architas, ſive Ariſtoteles horum prædicamentorum author fuerit, ea non quidem ulla recta ratione, ſed ad imitationē Pythagorici denarii numeri fuiſſe conſtituta: perinde quaſi neceſſe eſſe tot eſſe ſumma & generaliſſima rerum genera, quot unitates in denario numero invenirentur: ſed hoc, ut dixi, abſurdiſſimum eſt, & ab illis viris, quamlibet magnis, ſine ulla probabili ratione factum. Quorum error etiam tum magis apparebit, cum oſtenderimus omnia alia genera ſive prædicamenta, præter ſubſtantiam, ſub qualitate contineri, & vere qualitatis eſſe ſpecies: id quod faciemus in ſequenti capite. Ac de denario Ariſtotelis prædicamentorum numero, hactenus ſatis. Quod autem pertinet ad triplicem illam Vallæ prædicamentorum diviſionem, dico illum multo rectius ſenſiſſe vel potius multo minus erraſſe quàm Ariſtotelem: Ariſtotelis enim poſitio prorſus eſt abſurda, nec ullam habet ſaltem probabilem rationem. At illa Vallæ uſq; adeo veriſimilis videtur, ut mihi quoq; aliquando maximam fecerit difficultatem, cum & ſi mihi falſa videbatur, tamen nec eam ſatis refutare poſſem, nec ab eo ſine aliqua magna ratione diſcedendum arbitrarer: ſed tandem animadverti poſitionem quoq; illius nullo pacto poſſe defendi, & actionem ſicut reliqua omnia accidentia ſub qualitate eſſe collocandam, ut genus rerum prima ſectione non in tres partes, ut ille putat, ſed in duas tantū remaneat diviſum, hoc eſt, in ſubſtantiā & qualitatē, & tam actio quam reliqua omnia accidentium prædicamēta ſub qualitate ſubjiciantur, quemadmodum conſtabit partim ex cap. de Qualitate, in quo probabimus & nomē & genus qualitatis nō ſolū actioni & paſſiōi

ſed etiam omnibus aliis accidentium prædicamentis commune eſſe: Partim etiam ex arbore noſtra generica tam ſubſtantiæ quàm qualitatis, quam proxime hic doctorum omnium oculis ſpectandum & dijudicandum ſubjiciemus, & ſubjectæ partes omnes quæ à Porphyriana diſcrepare videbuntur, confirmabimus.

Deſcriptio noſtra vera arboris generum ac ſpecierum, à Porphyriana longe differens.

Genus generaliſſimum,
Genus rerum proprie,
Res figurate.

Genus ſubſtantiarum proprie Subſtantiva figurate	Genus qualitatum proprie Qualitas figurate
Genus corporeorum proprie Corpus figurate	Genus incorporeorum proprie Spiritus figurate
Genus viventium proprie Vivens figurate	Genus vita carentium proprie Vita carens figurate
Genus ſentientium proprie Animal figurate	Genus ſenſu carentium proprie Planta figurate
Genus rationalium proprie Rationale figurate	Genus irrationalium proprie Brutum figurate
Genus mortalium proprie Homo figurate	Genus immortalium proprie Deus figurate
Genus Romanorum proprie	Genus Trojanorum proprie
Cæſar, Pompeius, Cicero.	Priamus, Hector, Paris,
Individua Species ſpecialiſſimæ	Individua Species ſpecialiſſimæ

Genus

Genus summum qualitatum proprie,
Qualitas ut genus figurate.

Genus comparatorum proprie
Comparatum figurate.

—Habere, ut magis vel minus calceatum esse, magis vel minus armatum esse.
—Situs.
—Tempus, ut antiquius, recentius, diutius, minus diu.
—Locus, ut sursum, deorsum, dextra, sinistra, ante, retro.
—Causa, magis marmoreum esse, quam lateritium.
—Passio, ut magis calefieri, minus calefieri.
—Actio, ut magis calefacere, minus calefacere.
—Quantitas, ut majus, minus, longius, brevius, latius, arctius, totum, pars, genus, species.
—Qualitas ut species, ut magis candidum, minus candidum: servus, dominus, filius, pater, in statu sive conditione hominis.

Genus absolutorum proprie
Absolutum figurate.

—Habere, ut calceatum esse, armatum esse.
—Situs, ut sedere, stare, cubare.
—Tempus, sive quando, ut hodie, heri, cras, hoc anno, hoc mense.
—Locus, sive ubi, ut in cubiculo, in foro, in urbe, in Italia, in Europa.
—Causa, vel à quo, ut author & efficiens, vel ex quo, ut materia, vel cujus causa, ut finis, vel causa (finalis.
—Passio, ut fecari, uri.
—Actio, ut fecare, urere.
—Quantitas, tam discreta, ut multitudo & numerus, quam continua, ut magnitudo, linea superficies, corpus.
—Qualitas ut species, tam substantialis, ut ratio in homine & sensus in animali, quam accidentalis, ut candor in pariete, & color in aqua: nobilis, ignobilis, dives, pauper.

Hujuſmodi igitur eſt noſtra, vel potius naturæ ipſius arbor generum ac ſpecierum, tam ſubſtantiæ quam qualitatis generalis conſentanea, non ſolum cũ uſu ſcribendi quoruncunq; doctiſſimorum hominum, ſed etiam cum publica omnium loquendi conſuetudine. In qua deſcribenda in primo ac ſupremo loco pro genere generaliſſimo, poſuimus genus rerum proprie, ſive rem figurate, hoc eſt, omnes res mundi ſingulares ſimul ac ſemel acceptas Id enim ſignificare volumus, cum dicimus genus rerum proprie, ſive quod idem eſt, rem figurate, ut ſupra docuimus, cũ de nominibus proprie vel figurate ponendis loquebamur. Deinde generis ipſius rerum duas fecimus partes, genus ſubſtantiarum proprie, ſive ſubſtantiam figurate: & genus ſummum qualitatum proprie, ſive qualitatem ut genus eſt figurate. Deinceps in genere ſubſtantiarum aſſidue ſubdividendo deſcendimus per omnia genera & ſpecies intermedias, uſq; ad individua, hoc eſt, ad ſpecies ſpecialiſſimas: quas ita vocamus, ut ſupra diximus, quia nullas in alias ſpecies amplius nec diviſibiles, nec indiviſibiles dividi queunt. Qua in diviſione illud animadvertendum eſt, tam genus generaliſſimum quam omnia alia genera inferiora, nihil aliud eſſe, & nihil aliud dividi, niſi multitudines quaſdam rerum ſingularium: ſed minores quanto magis ad inferiora deſcenditur, majores vero quanto magis ad ſuperiora fit aſcẽſus: ſic ut genus rerũ ſit multitudo ſingularium, longe omniũ maxima: ideoq; à nobis genus generaliſſimum recte appellatum: quippe ſupra quod nullum eſt genus atq; ut individua, quæ infima parte arboris poſita ſunt, ipſa quoque ſint ſpecies ſpecialiſſimæ, quippe infra quas nulla eſt ſpecies: & deniq; à genere generaliſſimo rerum incipiat diſcretorum omniũ diviſio, quæ aſſidue deſcẽdẽs cum ad individua perventum eſt, deſinat: atq; ubi deſinit diſcretorum diviſio, ibidem, hoc eſt, ab individuis continuorũ partitio ſumat initium. Nam Priamus vel Antenor, cum ſit individuum & continuum quoddam, non amplius in diſcreta, neq; in ſpecies, ſed in partes continuas vel quaſi continuas diducitur: & hoc modo in arbore noſtra vel, ut ante diximus, in arbore naturæ, ſit non ſolum generum ordinatio, ſed etiam diviſio tam diſcretorum quam continuorum: ſic ut ubi definit diſcretorum diviſio, ibidem continuorum partitio incipiat. Præterea illud quoq; non ignorari volumus, arbores, & herbas, & cæteras ſtirpes, non ſine magna & juſta cauſa in parte viventium inanimatorum à nobis poſitas fuiſſe. *Nam & ſi ſtirpes omnes vitam habeant, & vere dicantur vivere ac mori, tamen non ſolum ſenſu ſed etiam anima carent, & propterea animata dici non poſſunt: animatum enim dicitur ab anima, anima autem à vento & ſpiratione:* quando quidem græce ἄνεμος nihil aliud eſt, niſi ventus, ac ſpiritus. Quare non recte ab Ariſtotele, & à Peripateticis ſtirpes dicun-

dicuntur habere animam, & esse animatæ. Nam Cicero in secundo de Officiis aperte omnia quæ gignuntur è terra, ut arbores & herbas, in genere inanimatorum ponit, ita scribens, Partim inanimata, ut aurum & argentum, ut ea quæ gignuntur è terra, ut alia ejusdem generis: partim animalia. Quibus verbis aperte Cicero inanimata & animalia inter se tanquam contraria ponit, & inter ea nihil medium statuit. Quod idem quoque Plinius facit, qui licet alibi visus sit contrarium sensisse, tamen libro X. Cap LXIV. ubi de mola mulierum loquitur, ita inquit, Molas de quibus ante diximus, gigni putant, ubi mulier non ex mare, verum ex semet ipsa tantum conceperit, ideo nec animari, quia non sit ex duobus, altricemq; habere per se vitam, quæ satis arboribusque contingit. Quo in loco animadvertendum est, quod ait Plinius fata arboresq; habere vitam, non animam: cum nemini dubium sit, quin vere & vitam habeant, & vita prædita sint, si quidem & mori & vivere recte dicuntur. At arboribus & reliquis stirpibus animam inesse, & eas animatas existere neminem unquam inveni recte loquentem qui dixerit, nisi forte cut Aristotelis opinionem inconsiderate secutum, aut aliquem ex Poetis, qui Hamadryadas fingunt esse Deas, & quasi animas arborum. Quomodo enim stirpes animam habeant aut animatæ sint, quæ non sentiunt neque spirant? at easdem vitam habere, & ut ita dicam, vitatas esse, quando & mori & vivere recte perhibentur, nemo negat. Quam ob causam Aristoteles, ut opinor, quod in secundo de Anima dixerat, stirpes animam habere, & animatas esse: rursus ipse quoque vel per imprudentiam à veritate coactus, vel dedita opera, ut ipse & errorem suum corrigeret, in octavo de Historia animalium, ita scriptum reliquit, μετὰ γὰρ τὸ τῶν ἀψύχων γένος, τὸ τῶν Φυτῶν πρῶτόν ἐστι: καὶ τούτων ἕτερον πρὸς ἕτερον διαφέρει, τῷ μᾶλλον δοκεῖν μετέχειν ζωῆς. ὅλον δὲ τὸ γένος πρὸς μὲν τ' ἄλλα σώματα φαίνεται σχεδὸν ὥσπερ ἔμψυχον, πρὸς δὲ τὸ ζῶον ἄψυχον. Hæc Aristoteles, quæ quoniam à Theodoro Gaza hujus libri interprete fuerunt corrupta, nam ubi Aristoteles dicit, τῶν ἀψύχων, ipse vertit, animantium: sive id fecit, quia mendosum habuit codicem, sive ut Aristotelem servaret, ne sibi ipse contrarius esse videretur, idcirco fideliter transferenda censui hoc modo. Nanque post genus inanimatorum, genus plantarum, primum est, & earum alia ab alia differt, eo quod vita magis videtur particeps, universum autem genus comparatione quidem corporum aliorum videtur fere tanquam animatum, at comparatione animalis inanime, & quæ sequuntur. Hæc est enim vera verborum Aristotelis sententia, in quibus si stirpes vere essent animatæ, quid opus erat dicere, eas comparatione aliorum corporum esse tanquam animatas, comparatione autem ani-

malis inanimatas? Præterea si stirpes vere animam haberent, cur Aristoteles ex eis alias magis quam alias vitæ videri participes dixit potius quam animæ? cur eo in loco vitæ vocabulum usurpavit, animæ prætermisit? Hic mihi qui censent Aristotelem putasse stirpes vere animam habere nunquam poterunt rationem ullam satis probabilem afferre, cur Aristoteles ita loqui maluerit. At ego verissimam statim & expeditissimam reddam, quia scilicet putavit stirpes habere vitam nõ animam: & quod in secundo de Anima visus est attribuere animam stirpibus, eo in loco τὴν ψυχὴν, hoc est, animam: ἀντὶ τῆς ζωῆς, hoc est, pro vita posuit. Nanque & animam pro vita, & vicissim vitam pro anima quandoque apud Græcos poni, illud est vel evidentissimum argumentum, quia quod nos animal ab anima nominamus, id ipsi ζῶον, eodem modo, ἀπὸ τῆς ζωῆς vocant, hoc est, ab anima: quæ quidem vocum permutatio non ita procedit apud Latinos, apud quos vita longe differt ab anima: vita enim est quâ vivimus, anima vero quâ spiramus: & dicta est anima ἀπὸ τοῦ ἀνέμου, hoc est, à vento sive à spiritu: quanquam non me latet animam quandoq; pro vita usurpari sed figurate. Quare non ubique Aristoteles pro certo dixit stirpes esse animatas, sed etiam alicubi dubitasse visus est, ut in eo quem dixi loco de generatione animalium: & rursus in quinto Topicorum, ubi ait, Animalis esse proprium animam habere, quasi anima solis animalibus tributa sit, non aliis viventibus, hoc est, arboribus & herbis, ut existimat Alexander Aphrodisiensis, qui ne Aristoteles videatur negasse, animam esse in stirpibus, sive stirpes esse animatas, & sibimet adversari, putat illum locum esse mendosum, & ubi legitur, ἔμψυχα, legendum esse αἰσθητικὰ quoniam sensus solis animalibus, non autem stirpibus sit attributus. Quo in loco nec Aristoteles verum dicit, nec Alexander recte Aristotelem exponit, Errat enim Aristoteles, quoniam habere animam, etiam si alicui alteri conveniret, præter quam animali, non propterea tamen minus esset animalis proprium: nihil enim impedit, quominus aliquid sit proprium alicujus, etiam si sit alteri commune, intelligendo tamen de proprio, ut opponitur non cõmuni, sed separabili, quod proprium inseparabile supra diximus appellari, in capite de Proprio. Nescit quid dicat Alexander, quia falsò putat eo in loco pro animato legendum esse sensitivum, cum in omnibus codicibus ita scriptum sit, ἔμψυχα, & cum verum sit, habere animam esse proprium animalis non privatũ sed inseparabile. Ex quo etiam deprehenditur alia quædam rudis Alexandri insciția, quæ tamen est ei cum Aristotele Hæresiarcha suo communis: putat enim Alexander, hoc quod est, habere animam, si alii præter quam animali conveniat, non posse esse proprium animalis, quasi non ea etiam propria esse possint, quæ cõ-

veni-

veniant aliis, modo sint inseparabilia: sed omissis aliorum erroribus, dico stirpes omnes habere quidem vitam & esse viventes, sed habere animam nec esse animatas: & hoc affirmo motus primum ea ratione, quia cum non spirent non possunt esse animatæ: deinde authoritate Ciceronis, & Plinii, ex veteribus Latinis, ut ante dixi, ex recentioribus autem Laurentii Vallæ, in primo Dialecticæ suæ libro Cap. IX. qui vehementer reprehendit Aristotelem ob hoc, quod animam dat arboribus & herbis: & Erasmi Roterodami in libello de Copia rerum & verborum, qui proferens exempla metaphoræ ab inanimato ad inanimatum, ita inquit, Ut si quis sylvam scatere dicat, quod est fontium, aut odium suppullulascere, quod est fruticum. Quibus verbis Erasmus aperte significat, sylvas & frutices esse inanimatas. Quare qui recte philosophari cupiunt, ita de stirpibus & plantis omnibus teneant, ut nos diximus, & Pseudophilosophorum opinionem hac in re contemnant ac deridеant. Sed ut redeam ad arborem nostram substantiæ, in ea quoque generis rationalium speciem fecimus deum sive genus deorum, quia sic antiqui putabant, deos esse animalia rationalia immortalia: & quia sic etiam fecit Porphyrius in capite de Specie. Thebanum autem & Trojanum idcirco species hominis substituimus, quia sic nos docuit Cicero in primo de Inventione, & quia verum est: hominē quidem cum ad superiora spectat, solummodo esse speciem, cum vero ad inferiora convertitur, statim effici genus, & tanquam veras species continere sub se Trojanos & Thebanos: qui licet ad essentiam hominis nihil pertineant, nihil propterea tamē impediuntur, quo minus possint esse veræ species hominis, si non essentiales at certe accidentales: nam cum sine ulla dubitatione Trojani & Thebani sint in genere hominum, quomodo possunt iidem generis hominum non esse species? nisi quis forte dicat aliquid posse esse in genere, quod nō sit species illius, quod est falsissimum: sic enim non in genere erit, sed in aliquo alio toto discreto, quod non sit genus: ut in populo, in exercitu, in grege, in armento: nihil enim proprie est in genere nisi species, ut supra dixi, nec quicquam proprie est genus ullius alterius nisi speciei, cum species & genus sint, quemadmodum vocant, correlativa, & alterum in alterius definitione ponatur. Sed causa quare Pseudophilosophi negant Trojanum & Thebanum esse species hominis, est quia nunquam in spatio annorum pene duum millium intelligere potuerunt, non omnes species pertinere ad essentiam generis, sed solum essentiales, nec omnia genera esse de substantia specierum, sed tantum substantialia. Idq; non solum quia Cicero ac reliqui Scriptores veteres ita esse demonstrant, sed etiam quia communis omnium loquendi consuetudo confirmat. Ad hæc arbor nostra generica substantiæ, in eo quoque differt ab illa Por-

Porphyrii & Aristotelis, quod illa tantum in imo & quasi ad radicem habet individua, hoc est, singulares substantias, atque, ut Dialectici vocant, primas: supra radicem vero usque ad summum cacumen tota composita est ex generibus, & speciebus, & differentiis universalibus, sive ex secundis substantiis, ut Dialectici vocant. Quæ omnia, ut iidem illi volunt, sunt non hoc aliquid, sed quale quid (nam solas, substantias primas, hoc est, singularia substantiæ, hoc aliquid esse dicunt) & non sunt in subjecto, sed prædicantur de subjecto: idque non æquivoce, sed univoce. Postremo vero ajunt hæc quoq; substantiis omnibus communia esse, ut nihil sit eis contrarium, ut non recipiant magis & minus, ut unæ eædemque cum sint, contraria successive recipiant. Ex his inquam composita est, & has habet proprietates arbor substantiæ Dialecticorũ, ut ipsi tradunt: At nostra arbor substantiæ, multo maxima ex parte contra se habet, constat enim ferme tota ex generibus & speciebus non universalibus & falsis, ut illa, sed universis & veris, ut supra probavimus: nec ullas habet differentias, aut secundas substantias, quæ cum universalia a Dialecticis dicantur, non possunt ipsæ quoq; una cum universalibus non esse falsæ. Deinde continet species nõ solum divisibiles, sed etiam indivisibiles & specialissimas; quæ ut species sunt, semper sursum spectant ad sua genera, nunquam deorsum. Atq; ideo de nullo dicuntur nec univoce nec æquivoce: idemq; faciunt genera, non quia non deorsum aspiciant, sed quia res sunt non voces, quarum proprium est dici. Tum præterea quicquid est in ea, id omne est hoc aliquid, hoc est, vel una singularis substantia, quæ est species specialissima, vel una multitudo singularium substantiarum, nec quicquam in ipsa reperitur, quale quid, quod non vere sit, hoc aliquid. Cum nihil prorsus existat in rerum natura, quod possit esse quale quid, quin idem etiam necessario sit hoc aliquid, hoc est, una aliqua numero singularis & individua qualitas: & si non sit hoc aliquid, ne in rerum quidem natura ullo pacto esse queat, nisi fictum & commẽtitium. Id quod manifeste deprehenditur esse verum, non solum ex eo, quia per intellectum humanum percipi ac comprehendi non potest istud quale quid, nisi sit, hoc aliquid: sed etiam quia in generali nostra divisione rerum nihil est, nisi singulare aut multitudo singularium, ut supra probavimus. Itaque qui illud quale quid Aristotelicũ voluerit defendere, ut nõ videatur esse chimæricum, is necesse habebit prius impugnare illam divisionem nostram, & universalia realia probare esse vera, quod nemo unquam recte facere poterit. At inquit Aristoteles, aliquis homo, & aliquis equus sunt primæ substantiæ, & hoc aliquid: homo vero & animal sine ulla adjectione, sunt secundæ substantiæ, & quale quid. Quibus verbis Aristoteles tantã vim ac potestatẽ tribuit huic particulæ

aliquis

aliquis vel aliquod, ut adjecta homini vel animali ex secunda substantia faciat primam, dempta vero ex prima rursus reficiat secundam. Cui ego vicissim respondeo, idem prorsus dictu esse, homo & aliquis homo, animal & aliquod animal: nec quicquam referre sive addatur, aliquis vel aliquod, sive non addatur, eo quia per se semper subintelligitur tanquam adjunctum, ut ex ipsomet Aristotele non dubitanter licet intelligere. Is enim in libro περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, quodam in loco ita inquit, ἐν τῇ σικελίᾳ τῇ καλουμένῃ αἴτνῃ σπήλαιόντι λέγεται εἶναι, & non multo supra ita dicit, ἔστι γὰρ αὐτόθι σπήλαιον, ὃ καλεῖται γλαφυρὸν. In quorum locorum utroque sine dubio significare vult aliquam unam & individuam speluncam, & tamen in superiore tantum apponit τὸ τὶ, in posteriore autem idem licet non appositum subintelligit. Quare cum authore Aristotele nihil differat utrum dicatur, spelunca an aliqua spelunca: eodem quoque modo nihil differre putandi sunt, homo & aliquis homo, equus & aliquis equus: & eo magis quod idem ipse author in tertio τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ, non longe à principio probat idem esse, unum hominem, ens hominem, & hominem: ex quibus omnibus concluditur, Aristotelem cum docet diversa esse hominem & aliquem hominem, animal & aliquod animal plusquam pueriliter errare, & non solum contra veritatem, sed etiam contra se ipsum loqui. Ut omittam hic, quod ita loquitur, ut dicat primam substantiam hoc aliquid significare, secundam autem quale quid: perinde quasi substantia prima, quæ est res, tanquam si vox esset, significaret, & vocis ministerio fungeretur. Sed de eo, quod est hoc aliquid & quale quid, jam satis. Postremo vero in arbore nostra reperiuntur nonnullæ substantiæ quæ habent contrarium, ut ignis cui aqua contraria est, & aqua cui adversatur ignis: & multæ etiam quæ suscipiunt magis & minus, præsertim in adjectivo pronuntiatæ: ut cum dicemus, magis vel minus marmoreum, magis vel minus ligneum. Itaque *nos una cum Laurentio Valla sine ulla dubitatione affirmamus substantiam & contrarium habere, & magis minusque recipere*: & Aristotelem ac cæteros qui hæc negant, vehementer esse reprehendendos. Ac talibus quidem causis & rationibus, arborem nostram substantiæ à Porphyriana & Aristotelica longe diversam fecimus, nunc sequitur ut idem faciamus in arbore qualitatis: & ante omnia, ut ostendamus omnia alia accidentiũ prædicamenta sub qualitate generali, tanquam veras illius species esse collocanda: si prius tamen pauca quædam de substantia addiderimus à recte philosophandi studiosis non ignoranda, quæ sunt hæc. Primo quam Latini tum substantiam, tum naturam, tum essentiam appellant, eam à Græcis vocari οὐσίαν quasi dicas, essentiam, παρὰ τὸ εἶναι, ab essendo

Nam & si tam accidens, quam substantia æqualiter ipsum esse, sive essentiam participet (tam enim accidēs quam substantia vere & proprie dicitur esse, hoc est, non improprie nec figurate) tamen substantia tanquam omniū rerum sive entium dignissima, & quæ maxime videtur esse, essentiamque habere, non immerito nomen commune, ac genericum apud Græcos sibi vendicavit: & cum sit species generis rerum sicut & qualitas, tamen nomen generale retinuit. Atque hoc est illud quod Aristoteles in principio capitis de Substantia ait, ἡ κυριώτατα λεγομένη, hoc est, quæ maxime proprie, sive privatim dicitur. Nam quemadmodū nomē urbis communiter dicitur de Mediolano, Neapoli & aliis urbibus, proprie autem sive privatim de urbe Roma. Sic οὐσίας vocabulum communiter dicitur tam de omnibus accidentibus quam de substantiis, οὐσία enim inter alias significationes, quas habet, inquit Ammonius πᾶσαν ὕπαρξιν δηλοῖ, ἥτις καθ' αὑτὴν καὶ σὺν συμβεβηκότων φέρεται, hoc est, omnem essentiam, vel existentiam significat: quæ & de accidentibus dicitur, proprie vero & privata quadam significatione dicitur de substantia. Quod non intelligentes Interpretes nugantur, dicentes Aristotelem ex eo quod ait κυριώτατα & excludere voluisse superficiem, quæ non proprie, sed apparenter, ut ipsi loquuntur, substat accidentibus, & asserentes eundem ex eo quod dicit, λεγομένη hoc est, quæ dicitur, non ex sua sententia, sed ex aliorum opinione loqui, quod falsissimum est: Aristoteles enim primam substantiam maxime proprie dici affirmat, comparatione secundarum substantiarum & accidentium, quæ ipsæ quidem quoque communiter dicuntur οὐσίαι, sed non proprie nec privatim ut primæ: Et quod ait λεγομένη, non ad aliorum opinionem, sed ad nomen οὐσίας referri debet. Nominum enim proprium est dici, ut jam multoties antea dictum est: Nec alio pertinent ea quæ sequuntur duo adverbia, πρώτως καὶ μάλιστα. Substantia enim prima, ex sententia Aristotelis, dicitur primum & maxime, substantiis, scilicet, secundis & accidentibus comparata. Ac de nomine quidem οὐσίας, apud Græcos ita sentiendum est omnibus recte philosophari cupientibus. At vero apud Latinos οὐσία magis usitate substantia & natura quam essentia dicitur, & revera nos magis aptum magisque proprium hujusce rei nomen habemus quam Græci. Si quidem magis proprie videtur appellari substantia à substando, eo quod omnibus qualitatibus & accidentibus, ut ita dicam, substat: quam essentia, cum habere ipsum esse sive essentiam æqualiter conveniat & commune sit, omnibus tam accidentibus quā substantiis. Unde mihi non male videntur definivisse, qui ita dixerunt, *Substantiam esse eam, quæ per se stat, & accidentibus substat.* Sic enim & nos sub-

(Quid autem est per se stare?)

stantiam nihil aliud esse arbitramur, nisi rem per se stantem, & accidentibus subje-

ſubjectam, ut cum dicimus, ſubſtantiam eſſe rem, ſignificemus eam eſſe in genere rerum, cum autem addimus per ſe ſtantem, ut ſeparemus ab accidentibus & qualitatibus, quæ non naturaliter per ſe ſtant, ſed in alio ſemper exiſtunt. Quod autem in ſine adjectum eſt, & accidentibus ſubjecta, nihil aliud facit, niſi definitionem explicat, clarioremque reddit. Ac talem quidem nos ſubſtantiam eſſe hocque modo definiri oportere putamus, & contendimus. Intelligentes tamen ſemper hanc definitionem convenire, & accommodatam eſſe ſubſtantiis ſingularibus, quas Dialectici primas nominant, non generibus neq; ſpeciebus more illorum acceptis: quas iidem vocant ſecundas ſubſtantias. Has enim nos tanquam inter univerſalia realia numeratas à Dialecticis, una cum ipſis univerſalibus à nobis antea refutatis prorſus improbamus, & ex omni philoſophia ejicimus exterminamuſque.

CAPUT DECIMUM.

Genus rerum vere in duas tantum ſpecies dividi, in ſubſtantias & qualitates, & omnia alia accidentium dialecticorum prædicamenta ſub qualitate generali tanquam veras ejus ſpecies vere contineri.

RErum genus, quod ſupra docuimus, eſſe unum, verum, & generaliſſimum genus: prima & ſumma diviſione ſecatur non in decem categorias, ut putavit Ariſtoteles, nec in tria prædicamenta, ut exiſtimavit Laurentius Valla, ſed in duas tantum veras ſpecies, ſive formas, hoc eſt, in ſubſtantias & qualitates. Idque probo potiſſimum hoc argumento, quod omnia alia accidentiũ prædicamenta nihil aliud ſunt, niſi ſpecies quædam qualitatis generalis, & propterea ad illam tanquam ſpecies ad genus, & quaſi rivi quidam ad fontẽ caputq; ſuum referri debent. Nam ſummum genus qualitatum proprie, ſive qualitas ut genus figurate, quam ſupra in arbore generica qualitatis ſecundam generis rerum ſpeciem ſive formam poſuimus, nomine & appellatione ſua communiſſima cõprehendit omnia alia, quæcũq; ſunt in rerum natura, præter ſubſtantiam, hoc eſt, omnia accidentia. Atque ideo quatenus ſurſum aſpicit & una cum ſubſtantia genus rerum in duas partes dividit, recte appellatur ſpecies ſive forma generis rerũ: quatenus vero deorſum verſum convertitur, & ſub ſe complectitur omnia, ut dixi, præter ſub-

ſtantiam, non ſpeciei neq; formæ, ſed generis nomen ſibi vendicat, & proprie dicitur qualitas generalis, ſive qualitas ut genus, ad differentiam qualitatis ut ſpecies eſt, quæ eſt pars qualitatis generalis, & quantitati, cæteriſque accidentium ſpeciebus, tanquam ſpecies diverſa ſub eodem genere contenta opponitur. In ſumma qualitas, ut recte inquit Ariſtoteles, eſt res ſecundum quam dicimur quales: cujus nomine nos hic intelligimus, non ſolum omnia ea quæ à Dialecticis & Philoſophis communiter appellantur accidentia, ſed etiã omnes differentias, quas Dialectici vocant ſubſtantiales, & omnes ſubſtantias in adjectivo prolatas. Nanq; ut ſupra monuimus, quemadmodum accidentia in ſubſtantivo prolata ſubſtantiæ faciem induunt, ſic ſubſtantiæ in adjectivo pronuntiatæ in qualitates mutantur, & ab eis res veræ dicuntur quales. Quis enim dubitat quin marmor & later ſint ſubſtantiæ? attamen eſſe marmoreum vel lateritium eſt qualitas ædificii: interrogatus enim aliquis quale ædificium conſtruxerit, recte reſpondeat, marmoreum vel lateritium. Eodemque modo nemini dubium eſt, quin eſſe candidum vel eſſe calidum, qualitas quædam ſit, & tamen candor & color non qualitates, ſed ſubſtantiæ quędam videntur eſſe: quia tanquam ſubſtantiæ quædam in ſubſtantivo pronuntiantur. Qualitatem autem hanc generalem idcirco non ſolum qualitati ut ſpecies eſt, ſed etiam quantitati & aliis accidentium generibus ſuperpoſuimus, & omnibus cõmunem fecimus, quia quamvis nomen qualitatis à Dialecticis & Philoſophaſtris perperam, & prorſus imperite ſepararetur à quantitate, relatione, cæteriſque accidentibus, tamen apud Latinos veteres, & omnes recte loquentes generaliter idem ſignificat quod nomen accidentis, atque etiam aliquid amplius. Si quidem omne accidens qualitas eſt, non autem contra: nam multę ſunt qualitates ſubſtantiales, quæ non videntur recte dici poſſe accidentia, ut ratio in homine, & ſenſus in animali. Quare multo generalius eſt nomen qualitatis, quàm nomen accidentis: ſic ut veriſſime, ſimul & latiniſſime liceat dicere, quantitatem, relationem, actionem, & reliqua omnia accidentia, eſſe qualitates quaſdam. Ut partim affirmat Rodulphus Agricola in ſecundo libro de Inventione dialectica, Cap. VII. cujus hæc ſunt verba. Qualitatem etiam vocamus in præſentia, non ut ſit unum ex decem prædicamentis, ſed ut qualitas ſit quicquid non eſt ſubſtantia rei: ſic & quantus eſt ſol, & ubi ſunt Nili fontes, & quando fuit Homerus, quæſtione qualitatis continentur: Hæc Rodulphus. Partim confirmat Laurentius Valla in primo Dialecticæ ſuæ libro Cap. XVII. de generali qualitatis ſignificatione idem planè ſentiens, quod Rodulphus niſi quod paſſionem, quam vocant, ſub actione collocat, & actionem quandam eſſe arbitratur. Tum actionem tanquam prædicamentum per

ſe ſta-

ſe ſtatuit à ſubſtantia & qualitate prorſus ſejunctum & ſeparatum: atque hoc modo decem Ariſtotelis categorias ad tres tantum reducit, nempe ad ſubſtantiam, qualitatem, & actionem: cujus opinio ex iis, quæ nos dicturi ſumus, manifeſte falſa convincitur. Oſtendemus enim actionem æque ſub qualitate ſicut cætera accidentia contineri. Sic igitur & Agricola & Valla de qualitate generali ſentiunt. Et Quintilianus utriuſque ſententiam aperte comprobat, libro VII. in capite de Qualitate, ita ſcribens, Qualitas alia eſt de ſummo genere, atque ea quidem non ſimplex: nam & qualis ſit cujusque rei natura, & quæ forma quæritur, an immortalis anima, an humana ſpecie Deus: & de magnitudine & numero, quantus ſol, an unus mundus, quæ omnia conjectura quidem colliguntur, quæſtionem tamen habent in eo qualia ſunt. Hæc Quintilianus: Ex quibus manifeſte licet intelligere, qualitatem de ſummo genere eſſe eam, quam nos ſupra appellavimus qualitatem generalem, ſive qualitatem ut genus: qualitatem autem ſpecialem, ſive ut ſpecies eſt: & quantitatem una cum partibus ſuis, tam diſcretis quam continuis, eſſe duas ſpecies qualitatis, illius de ſummo genere, ſive generalis, ſive ut genus acceptæ. Quare jam *nemini dubium eſſe debet quin qualitates revera ſint duæ, una generalis, altera ſpecialis: & quin hæc ſpecialis una cum quantitate ſub illa generali tanquam ſpecies ſub genere ſuo comprehendatur.* Præſertim cum idem Quintilianus, eodem Capite paulo infra teſtetur, quod Græci duobus nominibus ποιότητα, & ποσότητα dicunt, id nos uno & eodem qualitatis vocabulo complecti. Et cum idem rurſus libro III. cap de Narratione, de parvis cauſis loquens, ita dicat, In parvis cauſis, quales fere ſunt privatæ. Quo in loco cum ante dixiſſet, in parvis, poſtea ſtatim ſubjunxit, quales, & cætera: ex quo ſignificavit parvitatem, quæ eſt ſpecies quantitatis, ſine ulla dubitatione eſſe qualitatem. Quo loquendi genere etiam ante Quintilianum uſus eſt Plato in Alcibiade primo, cujus hæc ſunt verba, ἆρα ἐρωτᾷς εἴτινα ἔχω εἰπεῖν λόγον μακρόν, οἷους σὺ ἀκούειν εἴθισαι; hoc eſt, Interrogas ne an ſim incœpturus ſermonem aliquem longum, quales audire ſolitus es? Ecce quemadmodum Plato ibi quales non quanto dixit, cur ita? quia eſſe longum ſpecialiter quidem dicitur ποσότης, ſed generaliore vocabulo recte etiam ποιότης appellatur. Quin etiam Archigenes inter antiquos Medicos Græcos celeberrimus aperte dixit, magnitudinem & parvitatem, celeritatem & raritatem, plenitudinem & inanitatem, & cætera hujuſmodi eſſe qualitates pulſus, ut teſtatur Galenus in ſecundo de differentiis pulſuum. Qua quidem in re quamvis reprehendatur à Galeno, tamen ipſe Galenus magis videtur eſſe reprehendendus, qui nulla firma aut recta ratione motus, ſed ſola prædicamentorum

(Non duæ ſunt Qualitates, ſed duæ vocis acceptiones. Qualitatem generalem diſtinctionis cauſa mallem appellare potius *modum*. Nam qui eandem vocem eodem loco diverſo ſenſu adhibet, nec eſſe eſt tropice loquatur, quod à philoſopho præſertim in conſtituendis vocibus potiſſimis, alienum. Malo autem Modum vocare, quam *accidens*, quia multi modi abeſſe non poſſunt citra ſubjecti corruptionem, v.g. calor ab igne.)

ſuorum falſa atque inani doctrina adductus, non ſolum Archigeni, ſed etiam Platoni, atq; adeo communi Græcorum omnium loquendi conſuetudini adverſatur: Hæc veteres Græci de qualitate. Neq; ſolum Quintilianus ex veteribus Latinis ita de qualitate ſenſit, ſed etiam M. Cicero in primo de Inventione libro, ita loquitur, Generalis eſt controverſia, cum & quid factum ſit, convenit, & quo id factum nomine appellari oporteat conſtat, & tamẽ quantum & cujuſmodi & omnino quale ſit quæritur. Quibus verbis Cicero per cõtroverſiam generis nihil aliud intelligit, niſi ſtatum qualitatis. Quæſtio enim generis ſive generalis & quæſtio qualitatis apud Latinos idem ſunt, ut ipſemet Cicero in principio capitis illius aperte oſtendit: & verba illa, & omnino quale ſit, in fine ſuperioris exempli poſita clare indicant. Quid enim ſibi vult eo in loco, & omnino quale ſit? niſi concludere membrum generaliter, ut perinde ſit ac ſi dixiſſet, & generaliter ſive in univerſum omnis controverſia de qualitate: quæ ſub ſe continet & quantum, & cujuſmodi, & in ſumma omnes alias qualitates. Nanq; hoc adverbium omnino apud Latinos ſine dubio idem ſignificat, quod generaliter & in univerſum ſive univerſe, ut cum dicimus vel affirmando aliquid, omnino aut magna ex parte ſum aliquando liberatus, vel negando hoc modo: Vix aut omnino non poſſum liberari. Sed ut redeam unde diſceſſi, ſi parvitas, ſi magnitudo, ſi numerus, ſi denique quantum ipſum, & cætera hujuſmodi veræ ſunt qualitates, ut non ſolum ex Agricolæ & Vallæ, ſed etiam ex Quintiliani & Ciceronis, atq; adeo etiam ex Platonis verbis licet intelligere, quis dubitat ſimiliter & relationem, & actionẽ, & paſſionem, & quando, & ubi, & ſitum eſſe, & habere, & omnino omnia accidentia qualitatis nomine contineri ac ſignificari? ſi quidem hæc omnia nihil aliud ſunt, niſi qualitates quædam ſubſtantiis, atque aliis rebus accidentes. unde & accidentium nomen ſibi vendicarunt. Quod vel ex communi omniũ latine & recte loquentium uſu abſque alia ratione vel authoritate, verum eſſe poterat intelligi, niſi iis, qui hactenus philoſophati ſunt fere omnes fuiſſent inepte addicti, & pluris vanam Ariſtotelis authoritatem feciſſent, quam veritatem & cõmunem loquendi conſuetudinem. Nam quærenti, exempli gratia, qualem hominem videris, recte reſpondeas per omnia accidentium genera: ſi dicas primo, magnum vel parvum, ut ſupra dictum eſt in quantitate: deinde bonum vel malum, album vel nigrum, in qualitate ſpeciali: tum patrem vel filium, dominum vel ſervum in relatione: poſtea verberantem vel interficientem in actione: deinde rurſus faſtidientem vel vapulantem in paſſione: præterea hodiernum vel externum, hujus anni vel anni prætetitii in tempore, ſive quando: ad hæc Italum vel Gallum, Romanum vel Neapolitanum

in loco

in loco vel ubi: poſt hæc ſedentem vel cubantem vel ſtantem in ſitu: poſtremo vero veſtitum vel nudum, armatum vel inermem in habitu. Quibus omnibus exemplis à communi omnium latinorum loquendi conſuetudine deſumptis manifeſtum eſt, ad interrogationem factam per qualis vel quale eſt, recte reſponderi poſſe per omnia accidentium prædicamẽta: & propterea omnia accidentia neceſſario qualitates quaſdam eſſe confitendum eſt. Quod etiam confirmatur authoritate Rhetorum omnium, tam Græcorum quam Latinorum, qui in diviſione ſtatuum ſine conſtitutionum Rhetoricarum dicunt in omni quæſtione quæri ſolere tria an ſit, quid ſit, quale ſit: ac primum illum modum quæſtionis appellant conjecturalem, ſecundum definitivum, tertium generalem, ſive qualitatis, eo quod in illo generaliter quæritur de omni quantitate, hoc eſt, non ſolum de qualitate ut ſpecies eſt, ſed etiam de quantitate, loco, tempore, cæteriſq. accidentibus. Ut conſtitit ex iis, quæ ſupra poſuimus, exemplis: partim ex Rodulpho Agricola, partim ex Quintiliano, deſumptis de tempore, de loco, & de aliis accidentibus, atque ut patet in exemplis quæ nos ſupra ex communi omnium conſuetudine loquendi protulimus. Quare neceſſe eſt Rhetores, aut non recte appellaſſe tertium illum ſtatum generalem & de qualitate, ſi in eo non quæritur de omni qualitate & accidente generaliter, aut ſi quæritur quantitatem, relationem, actionem, & reliqua omnia accidentia non poſſe non eſſe qualitates. Poſtremo vero idem quoq; confirmatur teſtimonio Dialecticorum quorundam recentiorum, & inter alios maxime *Chryſoſtomi Iavelli Canapitii juniorum omnium qui de Dialectica ſcripſerunt judicio meo acutiſſimi*, qui capite quarto de prædicamentis, de qualitate loquens ita ſcribit, Unde & per actionem dicimur quales, & per paſſionem, ut qualis eſt Socrates? reſpondetur ſcribens vel calefactus. Sed quid immoror hac in re probanda? cum etiam ipſa ſubſtantia nonnunquam quaſi traſmutetur in qualitatem? & ab ipſa ſubſtantia res dicatur eſſe qualis? ut cum quiſpiam rogatur, qualem ſtatuam emerit, & reſpondet ceream, vel marmoream, vel ligneam: nonne ſtatua dicitur qualis à cera, marmore, & ligno? certe ita eſt, & verum eſt id quod ſupra in capite de Nominibus dixi, ut nomina omnia ſubſtantiva ſignificant ſubſtantiam vel accidens per modum ſubſtantiæ, ſic adjectiva, ſive ſubſtantiarum ſint ſive accidentium, ſemper ſignificare qualitatem. Atque ideo recte Ariſtoteles in quinto τῶ μετὰ τὰ φυσικὰ dixit, differentias ſubſtantiales eſſe qualitates, ut rationem in homine, & ſenſum in animali: quod verum eſſe non poſſet, niſi ſubſtantia nonnunquam etiam qualitatis modum induceret, & quaſi in qualitatem transformaretur. Quod quidem accidit non ob ipſam rei ipſius naturam, ſi quidem revera, nec

ſub-

ſubſtantia in accidens, nec accedens in ſubſtantiã converti poteſt, ſed propter noſtrum pronuntiandi modum, qui nunc qualitates per modum ſubſtantiarum in ſubſtantivo, nunc ſubſtantias per modum qualitatum in adjectivo pronuntiare conſuevimus. Sit igitur ut ſemel finiam, non ſolum teſtimonio Rodulphi Agricolæ & Laurentii Vallæ, ſed etiam authoritate Platonis, & Archigenis, & Ciceronis, & Quintiliani, & Rhetorum tam Græcorum quam Latinorum: & præterea etiam conſenſu & conſuetudine omnium communiter & recte loquentium, & poſtremo etiam authoritate juniorum Dialecticorum liquido apparet qualitatis nomen ſua generali ſignificatione comprehendere, non ſolum qualitatem ſpecialem, ſed etiam quantitatem, relationem, & alia omnia accidentia: atq; adeo quoq; ipſam ſubſtantiam in adjectivo prolatam, & ſimiliter contra, omnia prorſus accidentia unà cum ſubſtantia in adjectivo pronuntiata, tanquam qualitatis generalis ſpecies inter qualitates vere eſſe numeranda. Ex quo rurſus apparet non modo Dialecticos, ſed etiam Grammaticos penè omnes vehementer erraſſe, qui in capite de relativis, quantitatem à qualitate ita ſeparant, perinde quaſi eſſent duo penitus diverſa, & ad interrogationem factam per quale, non recte poſſit reſponderi per nomina quantitatis, quod eſt falſiſſimum, ut nos ſupra multis exemplis oſtendimus, & multis verbis confirmat Laurentius Valla in capite Dialecticæ ſuæ ante citato: ubi etiam docet apud Virgilium, cum dicit.

Nam qualis, quantuſq; cavo Polyphemus in antro,
Lanigeras claudit pecudes.

& apud alios Scriptores, cum quale & quantum conjuncta reperiuntur, non de qualitate generali ſive ut genus, ſed de qualitate ſpeciali ſive ut ſpecies prout quantitati opponitur, & qualitatis generalis ſpecies eſt, eſſe intelligendum. Quamobrem cum hæc doceat Laurentius nos ulteriori hujuſce rei probatione ſuperſedebimus, & pro conſtanti probatum relinquemus, eſſe unum tantum genus ſummum & generaliſſimum, hoc eſt, genus rerum: & hoc ipſum prima diviſione ſecandum eſſe in duas veras & germanas ſpecies ſive formas, hoc eſt, in ſubſtantias & qualitates: non in decem categorias, ut prorſus falſò exiſtimavit Ariſtoteles: nec in tria prædicamenta, ut minus quidem falſò, ſeu tamen non recte cenſuit Valla: cujus opinionem non mihi ultra refutandam arbitror, cum ex iis, quæ dicta ſunt, ſatis appareat eam non poſſe veram eſſe. Atq; hoc modo de qualitatis generalis nomine ac communitate ſentiendum eſt, eis qui recte philoſophari cupiunt: & non ſolum qualitas ut ſpecies eſt, ſed etiam quantitas, & omnia accidentium prædicamenta ſub hac qualitate generali collocanda.

De quali-

CAPUT UNDECIMUM.

De qualitate generali & omnibus ejus tam comparatæ quam absolutæ speciebus, præsertimque de qualitate speciali, quantum differant à speciebus accidentium Dialecticorum, & singillatim quæ ratio & causa diversitatis.

QUoniam de qualitate generali nec Aristoteles, nec quisquam Dialecticorum veterum, quod sciam, mentionem fecit: de qualitate autem speciali magna ex parte falsa ab eisdem fuerunt tradita: idcirco de utraque rursus pauca mihi dicenda videntur, & simul tam veritatis nostræ quam falsitatis Adversariorum ratio reddenda. Est ergo qualitas generalis sive ut genus, res in alio, hoc est, in substantia tanquam in subjecto semper existens, secundum quam ipsum subjectum, quale & quodammodo affectum dicitur. Qua in definitione ponitur primo res, loco generis, est enim hujusmodi qualitas vere species generis rerũ, & genus rerum vere hujus speciei genus: deinde in alio existens & cætera, ad differentiam substantiæ, quæ naturaliter per se stat, non in alio existit. Quod vero sequitur, secundum quam & cætera, id vero in fine additũ est ad majorem essentiæ rei definitæ explicationem: quoniam Aristoteles ipse quoq; hanc partem addidit, cum dixit, Qualitatem esse eam secundum quam quales dicimur, licet ipse non generalẽ hanc, sed specialem qualitatem definire videatur. Hujus autem qualitatis generalis primum duæ sunt partes sive species, in quas dividitur, id est genus absolutorum, & genus comparatorum, ut supra apparet in descriptione nostra arboris qualitatis. Omnes enim qualitates prima divisione, sunt aut absolutæ & per se stantes, ut exempli gratia, magnus, parvus: aut comparatæ & ad aliquid relatæ, ut majus, minus. Deinde utriusque harum partium rursus multæ sunt ac diversæ partes sive species, eisdem nominibus, sed absolutione tantum & comparatione differentes, quas breviter recensendas & exempla unicuique apponenda existimavi, ut clare appareat, quantum doctrina nostra verior sit

(Hic in effectu retinet novem accidentium species Aristotelicas, nisi quod Qualitatem quantitati præponit sane non male; item causam pro Relatione substituit, hoc verò male; Nam Relatio similitudinis sub relatione causalitatis non continetur. Male quoque pro Quando & Vbi seu localitate & duratione, quæ sunt accidentia, substituit locum & tempus, quæ substantiæ vim habent, manent enim locus & tempus sublatis omnibus locatis & durantibus, unde & enunciantur nominibus substantivis.)

& rectior, quam Dialecticorum & Pseudophilosophorum. *Ergo partes sive species qualitatis generalis, tam comparatæ quam absolutæ novem sunt fere, quarum prima est, qualitas ut species, secunda quantitas, tertia actio, quarta pas-*

sio, quinta causa, sexta locus, septima tempus, octava situs, nona habere. Sub absoluta qualitate speciali sive ut species est, continẽtur omnes rerũ proprietates sive propriæ naturæ, ut ratio & risus in homine, sensus & motus in animali: omnes facultates sive virtutes, ut attractio ferri in Magnete, & purgatio bilis in Rhabarbaro: omnes apitudines vel ineptitudines, potentiæ vel impotentiæ ad aliquid agendum vel non agendum, ut ad discendum, ad canendum, ad currendum, ad luctandum: omnes habitus vel affectiones, ut virtutum vel vitiorum, artium vel scientiarum, commutationum vel perturbationum vel alterationum, ut vocant, in animalibus aliisque rebus; omnes status sive conditiones sive fortunæ, ut esse divitem vel pauperem, nobilem vel ignobilem, magistratum vel privatum: omnes patibiles qualitates, ut color, sonus, odor, sapor: & qualitates tam primæ quam secundæ, ut vocant: omnes figuræ & circa quodque existentes formæ, ut triangula, quadrata, circuli, & rel quæ figuræ formæque Mathematicæ. Et denique si quæ aliæ sunt hujus generis species, tam intrinsecæ quam extrinsecæ, tam naturales quam adventitiæ & acquisitæ, tam substantiales quam accidentales, tam manentes quam moventes, tam ad animum quam ad corpus pertinentes. Hæc inquam omnia continentur sub una & sola qualitate speciali. Sub quantitate vero hæc, omnia tam continua quam discreta quæ vocantur; discreta sunt, ut numeri, & multitudines omnes. continua, ut lineæ, superficies, corpora, & omnes magnitudines. Actio sub se continet omnia, quæ significantur verbis activis, ut calefacere, & urere: Passio vero omnia, quæ verborum passivorum significatione notantur, ut calefieri & uri. Ad *causam* pertinent & authores sive causæ efficientes, ut esse Polycleteum vel Parrhasianum opus: & materiæ rerum, ut esse lapideum in domo, esse ligneum in arca: & fines sive causæ finales, ut voluptatis capiendæ vel sanitatis recuperandæ causa, facere aliquid. Exempla autem eorum, quæ continentur in aliis qualitatis generalis partibus, supra satis descripta sunt in arbore sua. quare non necesse est, ut denuo hic repetantur. In qualitate vero generali comparata & ad aliquid fere sunt totidem partes sive species, quot in absoluta & eisdem nominibus vocantur, adjecta tantum comparatione, ut in qualitate speciali, candidius & minus candidum, dominus & servus, pater & filius, & si qua alia sunt hujusmodi, quæ in statu sive conditione absoluta hominum fundata sunt. In quantitate, ut majus minus, longius brevius, latius arctius, totum pars in continuis. genus & species in discretis. Nam quemadmodum totum non est nisi pars sit, & pars nisi comparatione totius, sic nec genus sine specie, nec species sine genere esse potest. Exempla vero actionis & reliquarum partium qualitatis generalis comparatæ, satis supra in arbore ejus apparent descripta: quare nihil hic opus est ut repetantur,

(Causam non recte admisit, uti enim actioni passionem, ita debuisset opponere causæ effectum. Præterea causa est substantia, relatio seu causalitas est, Modus. Præterea causa efficiens pertinet ad actionem, materialis ad passionem, forma ad modum in genere, finis ad nullam, quid nondum est, tantum optatur)

Sic

Sic ergo dividitur qualitas generalis, ut duæ primæ partes ejus ſint qualitates abſolutæ & qualitates comparatæ, ac tam abſolutarum quam comparatarum, tot ac tales partes ſunt, ut diximus. Intra quarum ambitum continentur fere omnia quæ cunq; ſunt in rerum natura, præter ſubſtantiam. Rationes autem & cauſæ eorum, quæ vel addimus vel mutavimus in hiſce qualitatibus deſcribendis præter vel contra ea, quæ ſcripſit Ariſtoteles in categoriis ſuis, hæ ſunt. Primum in ſummo poſuimus qualitatem generalem tanquam alteram partem generis rerum, & ſubſtantiæ ex adverſo reſpondentem, quam Ariſtoteles non recte prætermiſit, cum ut ſupra docuimus, ſine dubio differat à qualitate ſpeciali, non ſolum apud Latinos ſed etiam apud Græcos, ut ex ſuperiore capite apparet. Deinde hanc ipſam diviſimus in abſolutam & comparatam, eo quia eſſe abſolutum & eſſe comparatum ſive relativum ſunt diverſa, nec in una eademque ſpecie ambo recte comprehendi poſſe videntur. Tum ſubdiviſimus utranque partem in plures alias ſpecies eiſdem nominibus utrinque præditas. Ut enim in parte abſolutorum eſt qualitas ſpecialis & quantitas & cætera quæ ſequuntur: ſic etiam in parte comparatorum, ut patet in exemplis ſupra poſitis. Quod nõ animadvertens Ariſtoteles categoriam πρός τι, h.e ad aliquid, à qualitate, quantitate, cæteriſque accidentibus, haut ſcio quàm recte, prorſus ſeparavit. *Nulla enim fere qualitas abſoluta eſt, quæ non poſſit comparari*, & tanquam

(Aliud eſt poſſe comparari, aliud eſſe ipſam comparationem ſeu relationem.)

ad aliquid fieri, & cætera, cum & ea quæ ſunt ad aliquid etiam abſoluta fieri videantur. Nam eſſe ſervum, exempli gratia, & eſſe patrem, & alia hujuſmodi ſunt quidem ipſa relativa ex conditione ſive ſtatu hominum per comparationem facta, ſed ſi & ſervus comparetur, non cum domino, ſed cum libero: & pater conferatur, non cum filio, ſed cum orbo, ſtatim ex mutatione oppoſitionis uterque videtur mutari & ex relativo abſolutus contrariuſque reddi. Servus enim & liber, pater & orbus, non ut relativa ſed ut contraria opponuntur. Atque ideo nos relationem non per ſe & ab aliis ſeparatim, ſed cum aliis omnino ſimul conjuncte poſuimus. Præterea nos in qualitate ſpeciali ſub habitu & affectione collocavimus naturalem potentiam vel impotentiam, eo quia omnis naturalis potentia vel impotentia, eſt habitus quidam naturalis, etiam teſtimonio ipſius Ariſtotelis in ſexto Ethicorum ita ſcribentis, Καὶ γὰρ παῖ θηρίοις αἱ φυσικαὶ ὑπάρχουσιν ἕξεις, hoc eſt, etiam pueris & feris naturales inſunt habitus. Quare Ariſtoteles naturalem potentiam & impotentiam non diverſam ſpeciem ab habitu & affectione ponere, ſed ſub habitu vel affectione tanquam veras ejus ſpecies locare debuit. Quem ſi quis defendere voluerit, is rationem mihi reddat oportet, cur Ariſtoteles aliter loquatur, aliter doceat, & contra ſua ipſius documenta facere videatur.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [255] - 187

Item in quantitate discreta posuimus genus & speciem divisibilem, in continua vero totum & partem, eo quia proprie genus & species divisibilis, nihil aliud sunt, nisi multitudines, totum & pars nisi magnitudines. Et post omnia etiam adjecimus causam, eo quia est qualitas quædam rerum separata ab aliis, ex causa enim efficiente, & materiali, & finali, res sine ulla dubitatione dicuntur quales, ut & in arbore nostra qualitatis, & in superiore capite satis ostensum est. Quare Aristoteles præter alia quæ peccavit in describendis categoriis suis, etiam hoc peccatum admisit, quod prætermisit categoriam causæ. Nam si quis ab eo quærat, in quanam categoria hæc sint, esse Polycleteum vel Parrhasianum, esse marmoreum vel ligneum, & alia hujusmodi, *nunquam ipse sese explicare poterit*, nec ad ullam categoriarum suarum tales loquendi modos (ad τὰ πρός τι referet.) reducere. Neque solum causam prætermisit, sed etiam multa alia in aliis partibus, ut in qualitate speciali, statum & conditionem personarum aliarumque rerum ut, esse *divitem vel pauperem, esse nobilem vel ignobilem*, quæ similiter ut (*Divitiis* vox ad nummos, *nobilis* ad parentes refertur, sunt ergo hæc non qualitates, sed relationes.) superiora, ad nullam Aristotelis categoriam reduci posse videntur. Hæ sunt igitur causæ & rationes, quibus aliqua in arbore nostra generica addidimus vel subtraximus vel mutavimus præter vel contra ea, quæ scripsit Aristoteles. Itaque sic concludimus hunc librum, ut dicamus arborem Dialecticorum prædicamantalem, ut vocant, præter eam partem, quæ ad individua pertinet, totam esse falsam, eo quia tota constat ex generibus, & speciebus, & differentiis universalibus realibus, hoc est, monstrosis & chimæricis, ut supra ostensum est: & præterea habet genera & differentias ita firmas & immobiles, ut nec genera in differentias nec differentiæ in genera unquam mutari ac transire possint, cum fere nullum reperiatur genus, quod ita sit genus, ut non possit esse differentia, nec ulla differentia, quæ non possit esse genus. Ac quod de genere & differentia dixi, idem quoque de proprio intelligendum: ut in capite de differentia & proprio ostensum est. Rursus enim dico & affirmo nullum neque genus, neque differentiam, neque proprium, neque adeo speciem divisibilem esse, quæ non aliquando possit in alterius quasi naturam mutari, & illius nomen accipere, hoc est, quæ non vel ex genere & species & differentia & proprium, vel ex specie & genus & differentia & proprium, vel ex differentia & genus & species & proprium, vel denique ex proprio & genus & species & differentia interdum fieri queat, ut exemplis supra demonstratum est.

MARII

MARII NIZOLII BRIXELLENSIS

De veris Principiis, & vera ratione Philosophandi, contra Pseudophilosophos, & simul de falsis eorum principiis.

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

De nominibus scientiæ & artis, quid apud Latinos communiter ac proprie significent, & quot modis utrumque eorum accipiatur, & deniq; quibus differentiis artes & scientiæ inter se distinguantur: contra falsas scientias & artes Pseudophilosophorum.

CUM in principiis tam nostris confirmandis quam Adversariorum refutandis sæpenumero posthac mihi sit usu venturum, ut utar nominibus scientiæ & artis, quæ à nobis longe aliter, atque à Dialecticis & Philosophis intelliguntur, operæpretium me facturum existimavi: si pauca ante de ipsis nominibus dicerem: & quot modis tum à nobis tum ab illis acciperentur, aperirem: ne ambiguitas & ignorantia nominum fortasse in animis aut Adversariorum aut aliorum qui hæc lecturi sunt, errorem aliquem creare posset. Ergo nomen scientiæ apud Latinos veteres, & probatos Scriptores tribus modis usurpatum reperitur: primus modus est, cum eo significatur omnis cognitio qualiscunque ea sit, & quomodocunque accepta, hoc est, tam certa quam incerta, tam facilis quam difficilis, tam nobilis & rara quam etiam ad homines quamlibet ignobiles pertinens. Nam cum scire, & scientia sint conjugata, & conjugatorum hæc sit natura, ut uno posito vel ablato reliqua ponantur vel auferantur: idcirco quicunque aliquid scit, quomodocun-

docunq; id sciat, is ejus rei quam scit scientiam habeat necesse est, exempli gratia, si quis furtum vel homicidium factum scit, is furti vel homicidii facti scientiam teneat oportet. Quod si ipse cum id fieret interfuit & vidit, aut ab aliquo fide digno audivit, aut certis rationibus argumentisque deprehendit, hoc casu jam non solum scientiam simpliciter, sed certam scientiam habere recte dicitur. Quo loquendi modo usus est Author ad Herennium, cum in quarto ejus operis libro ita inquit, Vestrum est Judices his in unum collatis certam sumere scientiam, non suspicionem maleficii. Hæc author ille, Si vero non interfuit nec vidit, sed ab aliquo fortasse parum fide digno audivit, aut conjecturis tantum & incertis rationibus didicit, *similiter scit quidem* & scien-

(Imo verò is nescire quidem proprie dicetur.)

† tiam habet, sed non certam, hoc est, suspicionem vel opinionem. Nam quid aliud est suspicio vel opinio, nisi scientia incerta ? Neque solum qui ita scit, hoc primo scientiæ modo scientiam habere recte existimatur, sed etiam ex contrario, qui ignorat, hunc scientia carere vere dicimus: ignoratio enim scientiæ contraria est: id quod aperte ostendit Cicero pro Sylla, cum ita ait, cujus scientiam de omnibus constat fuisse, ejus ignoratio de aliquo purgatio debet videri. Quo in loco apud Ciceronem scientia hoc primo, quem dicimus, modo, accipienda est. Interfuerat enim Cassius omnibus quæ acta erant, & tamen de Sylla se ignorare fatebatur, quare videbatur eum purgare, quod non feciſſet nisi certam quandam scientiam factorum omnium habere fuisset creditus. Hæc est igitur prima & communissima vis atque potestas nominis scientiæ apud Latinos, quam distinguentes debemus appellare scientiam, tum certam tum incertam, ut contigerit: & eam ita definire ut dicamus esse cognitionem rei vel rerum, tam certarum quam incertarum, tam facilium qam difficilium, tam rararum quam etiam ad homines quamlibet ignobiles pertinentē, Ut in definitione hujusmodi scientiæ ponatur cognitio tanquam genus: omnis enim scientia est cognitio non contra: cætera vero apponuntur, tanquam proprietates, hunc primum scientiæ modum, ab eo qui sequitur, discernentes. Alter vero ejusdem vocis usurpandæ

† modus est multo arctior & contractior superiore, cum videlicet significat notitiam & cognitionem non qualemcunque, nec quomodocunq; acceptam, sed tantumodo rei vel rerū scitu dignarum, cognitu difficilium, & vulgo ignotarum: Cujusmodi sunt ea, quæ traduntur partim in Theologia, Physiologia, Geographia, Astrologia, cæterisque hujusmodi *facultatibus, quarum finis est non actio aliqua, sed cognitio sola*: atque ideo passim apud omnes Scriptores

(Imo verò falsum horum finem non esse actionem. Theologia Dei colendi, physiologia corporis curandi, Geographia itinerum, Astrologia tum temporum in usum reipublicæ dignoscendorum, tum agriculturæ & navigationis causa, ut alia taceam ab hominibus perquisita est.)

idoneos proprie appellantur scientiæ, partim in Grammatica, Rhetorica, Arithmetica, Geometria, Musica, Medicina, Jure Civili, Politica, & aliis similibus, quarum finis est non solum cognitio, sed etiam actio quædam:

& pro-

& propterea non ſolum ſciẽtiæ, ſed etiam artes proprie nominantur. Omnes enim hæ, quas dixi, verſantur in rebus ſcitu dignis, cognitu difficilibus, & vulgo ignotis: quibus tribus conditionibus differunt à ſcientiis, quas ſupra diximus, primo modo acceptis. illæ enim ſunt rerum etiam quamlibet vilium, & cognitu facilium, & quas omnes paſſim ſciunt, vel ſaltem ſcire poſſunt. Hæ vero, quas in ſecundo hoc modo retulimus, propriæ & veræ ſunt ſcientiæ, & cum ſcientiam dicunt veteres Latini, de una aliqua harum fere ſemper intelligunt. Atque hic quoq; eſt ſecundus ſcientiæ modus apud Latinos, cujus exempla quamplurima ſi quis videre cupit, is legat aut Obſervationes noſtras in M. T. Ciceronem, aut Theſaurum linguæ latinæ, in Capitibus tum ſcientiæ, tum artis, tum etiam prudentiæ: ibi enim reperiet non ſolum priores illas ſciẽtias, quas ante dixi, ſed etiam has poſteriores, quæ propriæ artes dicuntur. Itaq; conſtat *ſcientiam* hoc ſecundo modo acceptam ex iis, quæ dicta ſunt: hoc modo *eſſe definiendam, ut dicatur eſſe cognitio rei vel rerum ſcitu dignarum, cognitu difficilium, & vulgo ignotarum.* (adde ſupra pag. 150.) Qua in definitione, ſicut & in illa ſuperiore, ponitur cognitio loco generis, reliqua vero quæ ſequũtur, proprietates ſunt, quibus hic ſecũdus ſcientię modus à ſuperiore ſeparatur: de quo quidẽ nos infra cũ de ſciẽtiis proprie acceptis loquemur, ſemper volemus intelligi. Præter hos autem duos, quos dixi, nominis ſcientiæ modos, eſt etiam alius quidam tertius, uſq; adeo in arctum anguſtumq; contractus, ut ſcientiæ nomine nihil aliud ſignificetur, niſi plane certum & indubitatum, quodq; nullo modo aliter atque eſt, unquam ſeſe habere poſſit, hoc eſt, ut clarius more Dialecticorum loquar, quod ſit neceſſarium, ingenerabile, incorruptibile, & ſempiternum. Cujus quidem tam arcti ſcientiæ modi primus author & inventor fuiſſe videtur Plato in Theæteto, & Ariſtoteles tum in ſexto Ethicorum, tum in Poſterioribus analyticis, tũm etiam alibi: quibus in locis ita hanc definit ſcientiam, ut nullo pacto haberi queat, niſi per eam, quam ipſe Demõſtrationem vocat, acquiratur: ſitq; de rebus univerſalibus neceſſariis & æternis, & denique quæ nunquam corrumpi, aut ulla ratione mutari valeant. Sic enim & Plato & Ariſtoteles ſcientiam hoc tertio tam anguſto modo acceptam, proprie & vere ſcientiam eſſe putant, alias vero omnes, quæ ſcientiæ dicuntur, præter hanc, eſſe quaſi ſpurias & adulterinas. Poſt hos vero Galenus ipſe quoq; genus hoc ſcientiæ mirabiliter celebravit, quippe qui compluribus in locis honorificam ejus facit mentionem, & alicubi etiam citat librum à ſe compoſitum de Demonſtratione, hoc eſt, de ratione & modo ſcientiæ hujus gignendę & acquirendę. Sic enim Ariſtoteles & Peripatetici aiunt hanc ſcientiam argumentatione ea, quam ipſi ἀποδεῖξιν vocant, in nobis generari, &

nulla

nulla alia argumentandi ratione, quem demonſtratione acquiri poſſe. Nec contenti his tot elogiis ſcientiam iſtam nobilitaſſe, addunt etiam eam proprie ſcientiam appellari, omneſq; alias præter hanc improprie & non vere ſcientias dici, ut quemadmodum apud Latinos cum Poëtam, aut Urbem ſine alia adjectione dicimus, intelligimus Virgilium, & Romam: ſic cum ſcientiam abſolute proferimus, de nulla alia, præterquam de iſta, proprie queamus intelligere: quod falſiſſimum eſſe paulo infra ſumus oſtenſuri. Sic igitur præter illos duos, quos ſupra dixi, ſcientiæ modos, hic quoque tertius multo quam ſuperiores illi arctior & anguſtior à Platone & Ariſtotele videtur fuiſſe introductus: deinde à Græcis fere omnibus mirandum in modum celebratus, præſertimque à Galeno. Neque ſolum Græci iſtud ſcientiæ genus agnoverunt, ſed etiam M. Cicero apud Latinos, ipſum videtur non ignoraſſe, cum in ſecundo de Oratore, ita ſcribit, Oratoris autem omnis actio opinionibus non ſcientia continetur. Quo in loco per ſcientiam nihil aliud intelligit, niſi quod alio loco ipſemet dicit, Cognitionem rerum ab opinionis arbitrio ſemotarum, ac penitus perſpectarum & nunquam fallentium. Quibus verbis hanc ipſam ſcientiam, de qua loquimur, ſine ulla dubitatione ſignificare voluit. Neque ſolum ſcientiæ nomine, ſed ſciendi verbo in hanc eandem ſententiam uſus eſt Cicero, ſi quidem proxime ante illum, quem modo citavi de Oratore locum, ita inquit, Ars enim earum rerum eſt, quæ ſciuntur. Quorum verborum talis eſt ſententia, ut ſi ita dixiſſet, Scientia certa eſt earum rerum, quæ certo ſciuntur: nam ibi ars pro ſcientia certa, & ſciuntur, pro certo ſciuntur, dubio procul poſita ſunt. Ex duobus igitur his locis apud Ciceronem conſtat tertium hunc ſcientiæ modum, à veteribus Latinis non fuiſſe ignoratum, qui non ſolum ſcientiæ, ſed etiam ſciendi & artis verba in eandem ſententiam uſurpaſſe reperiuntur. Omitto hic ingentem tum Græcorum tum Latinorum juniorum turbam, qui ſcientiam hanc ab Ariſtotele acceptam uſque in hunc diem tam ſancte colunt & obſervant, ut ſi eſſet lex quædam à ſenatu populoque Romano lata, aut inventum quoddam de cælo atque à Deo nobis revelatum. His itaque tribus modis, quos diximus, ſcientiæ nomen apud probatos authores Latinos uſurpatum reperitur: quorum primus ille communiſſimus & ampliſſimus eſt, & de omni re, quæ facile & quomodocunq; ſcitur, communiter dicitur. Secundus vero proprius eſt, & proprie tribuitur rebus tantummodo ſcitu dignis, cognitu difficilibus, & vulgo ignotis: ut ſunt ea, quæ continentur in ſcientiis & artibus, ſupra commemoratis: atque etiam in aliis quamlibet falſis & mendacibus, quorum præcepta ſciuntur, ut in ſcientia Magorum, in ſcientia Augurum, aliarumq; rerum fictarum & commentitiarum. Nec immerito

merito, cum ſcientiæ nomen apud Latinos non minus proprie dicatur de his, quam de Mathematicis, & aliis veris artibus. Atque hi duo priores accipiendi nominis ſcientiæ modi ſine ulla dubitatione approbantur & recipiuntur à nobis, tanquam non ſolum apud Scriptores, ſed etiam vulgo frequenter uſurpati & conſueti. At vero tertium illum, quem diximus, uſque adeo arctum & aſtrictum, ut niſi rebus æternis & incorruptibilibus convenire concedatur, plane improbamus & rejicimus, tanquam non ſolum à veritate, ſed à communi omnium loquendi conſuetudine abhorrentem. Niſi forte quis eo modo utatur, quo M. Tullius fecit in eo, quem ſupra citavimus de Oratore libro, reſpiciens ſcilicet eam perſonam, quæ ibi interloquebatur, & convenientem ei tribuens ſermonem. Nam M. Antonius ibi eam perſonam gerebat, ut ipſi eſſet ita loquendum, & quodammodo alludendum ad eos Philoſophos, qui talem ſcientiæ modum introduxerunt, hoc eſt, ad Platonem vel Ariſtotelem, aut ſi quis alius antiquior hoc ſcientiæ genus ſomniavit. Nam M. Tullius certe id non invenit ſed ab aliis inventum uſurpavit, idq; non temere ſed eo, quo dixi, modo. Nec enim arbitror eum ita locuturum fuiſſe, in ſenatu aut in concione populi Romani, ubi ſi talem quandam ſcientiã ſignificare voluiſſet, addidiſſet, opinor certam, ut eo epitheto certã ſcientiã ab incerta diſtingueret Sicq; nos tertium iſtum ſcientiæ modũ improbamus & rejicimus: quibus autẽ rationibus & argumentis id faciamus, poſtea fuſius dicemus, cum pervenerimus ad refutationem libri Poſteriorũ Analyticorũ, & cũ evertere cœperimus demonſtrationẽ illã tantopere celebratam, quã ſcientiæ iſtius effectricem, & quaſi procreatricem eſſe aſſerunt: nunc ne prorſus ſine ulla ratione vel authoritate de tanta re ſententiam tuliſſe videamur: *breviter ita dicimus, Si*

(Imo verò hoc non ſequitur. Quia ſcientia eſt non ſolum de exiſtentibus, ſed & de poſſibilibus, nec illud curat an exiſtat in rebus Triangulum, ſed quid conſequens, quantos angulos habiturum ſit, ſi exiſtat. Scientia igitur non eſt de univerſalibus realibus, ſed de omnibus ſingularibus etiam poſſibilibus.)

univerſalia dialectica & realia, quemadmodum nos ſupra probavimus, falſa ſunt, ut certe ſunt, iſtam ſcientiam, quæ non niſi de talibus univerſalibus eſſe dicitur, non poſſe eſſe veram. Itaque quicunque eam defendere ac tueri voluerit, is neceſſe habebit ante omnia tueri ac defendere univerſalia, quibus non ſtantibus tanquam deficientibus fundamentis nequaquam poteſt ſtare iſta ſcientia. Præterea Author libri illius, qui Introductio ſive Medicus inſcribitur, ſive is Galenus fuit, ſive alius quiſpiam, primo ſcientiam iſtam ita definit, ut dicat eam eſſe cõvenientem, firmam, & nunquam à ratione declinantem cognitionem. Deinde prorſus aperte teſtatur, eam ipſam neq; apud Philoſophos (præſertim dũ rerum naturas ſcrutantur) inveniri, & multo minus in re Medica: tum deniq; ad extremum ita concludit locum illum, ut indubitanter affirmet, talem ſcientiam ne apud homines quidem uſquam reperiri. Quare tum propter rationem, quam ſupra dixi, de univerſalibus, tum propter authoritatem

hujus Scriptoris, tum etiam propter multas alias causas, quas infra dicturi sumus, in censura libri Posteriorum: ipse quoq; nego istam scientiam cum omnibus illis conditionibus, quæ ei ab Aristotele tribuuntur, prorsus uspiam reperiri: nisi forte in Deo: & illud etiam addo, Aristotelem ipsum, qui methodum illius gignendæ tradidit, nunquam in libris suis ullam talem scientiam protulisse: sed de hoc postea. Nunc finem huic parti imponam, si breviter ante ostendero, etiam si vere alicubi reperiretur ista scientia, tamen eam non vere proprie, hoc est, κυρίως dici scientiam posse, sed improprie, hoc est, ἀκύρως & privatim, hoc est, ἰδίως scientiam esse appellandam. Nam ad hoc, ut aliquod nomen vere proprium, hoc est, κύριον, ut Græci vocant, dicatur, duæ conditiones requiruntur: Quarum una est, ut vulgo omnes eo communiter utantur: sic enim Aristoteles nomen κύριον definit in libro de Poetica cum dicit, λέγω δὲ κύριον μὲν ᾧ χρῶνται ἕκαστοι. Altera conditio est ut communiter tribuatur omnibus, quibus significandis primo fuit impositum. Atque ita quemadmodum nomen urbis cum has duas habet conditiones, est vere proprium, & κύριον, hoc est, cum eo omnes communiter utuntur, & cum generaliter tribuitur omnibus urbibus: sic nomen scientiæ tunc vere proprium dici debet, cum ipsi quoq; adsunt hæ duæ conditiones, hoc est, cum omnes ipsum communiter usurpant, & cum attribuitur omnibus scientiis indifferenter. Et rursus quemadmodum nomen urbis cum usurpatur, aut pro alveari apum exempli gratia, ut apud Virgilium in Georgicis, non est vere proprium, sed improprium & metaphoricum, propter defectum primæ conditionis, eo quia non talis est ejus communis usus: aut pro sola urbe Roma, & similiter propter defectum secundæ conditionis, quia nō tribuitur omnibus urbibus communiter, non est vere proprium & κύριον, sed privatum & ἴδιον, quod à Latinis etiam dicitur proprium, quasi dicas appropriatum: sic nomen scientiæ cum ponitur, aut pro scientia apum in conficiendo melle, non est proprium, nec κύριον, sed improprium & metaphoricum, quia deest ei prima conditio, non enim omnes ad hunc modum utuntur: aut pro scientia illa Philosophorum tam angusta, pari ratione non est κύριον, nec vere proprium, sed ἄκυρον, sive ἴδιον, hoc est, improprium sive privatum, quod à Latinis, ut supra dixi, etiam quandoque proprium dicitur. Ut autem sic acceptum non sit κύριον nec proprium, id nulla alia de causa accidit, nisi quia non tribuitur omnibus scientiis, & à generali significatione ad specialem translatum est, quem transferendi modum Aristoteles in libro supra citato appellat metaphoricum. Quare iterum dico istam philosophicam scientiam tam arcte acceptam, non proprie scientiam esse, sed improprie: Et Galenum in Arte Parva, cum ait Medicinam,

ὀυ. κυ-

τὸ κυρίως ἀλλὰ κοινῶς esse scientiam, non ita intelligendum esse, ut dicat Medicinam esse scientiam improprie, quod est falsissimum. Est enim Medicina vere & proprie scientia, ut proprium opponitur improprio. Nanque ut opponitur privato, & τῷ ἰδίῳ non proprium, sed commune dicitur, ut in subjecta descriptione apparet.

Urbs pro alveari apum μεταφορικῶς & ἀκύρως, hoc est, metaphorice & improprie.

Urbs generaliter pro omnibus urbibus κυρίως & κοινῶς, hoc est, proprie, & communiter.

Urbs pro urbe Roma ἰδίως, hoc est, proprie, prout proprie significat idem quod privatim.

Scientia pro scientia apum in conficiendo melle, μεταφορικῶς καὶ ἀκύρως, hoc est, metaphorice, & improprie.

Scientia generaliter pro omnibus scientiis, qualescunque sint, κυρίως καὶ κοινῶς, hoc est, proprie, & communiter.

Scientia pro scientia Philosophorum arctissime accepta ἰδίως, hoc est, proprie est scientia, prout proprie idem significat quod privatim.

Artis vero nomen ipsum quoque non uno tantum modo usurpatur apud Latinos, interdum enim ars accipitur pro scientia proprie dicta, hoc est, pro secundo scientiæ modo à nobis supra dicto, & eodem modo, quo illa dividitur apud Ciceronem in Academicis quæstionibus, Artium enim, inquit, aliud ejusmodi genus est, ut tantummodo rē cernat, aliud ut moliatur aliquid & faciat: ac pro exemplo superioris generis affert Geometren, posterioris autē fidicinem. Quo in loco artem pro scientia Cicero sine ulla dubitatione posuit, & perinde fecit ac si loco artiū dixisset, scientiarū: atque hoc modo artis nomē generaliter, ut dixi, accipitur: & nomini scientiæ proprie accepto in significādo prorsus æquatur. Plerumq; vero idem artis nomen apud Latinos non communiter, sed proprie ita usurpatur, ut nihil aliud significet, nisi scientiam bene agendi, sive bene faciendi aliquid: hoc enim est proprium & peculiare munus omnium artium, hoc modo acceptarum, ut præcepta quædam, vel documenta, vel animadversiones ad aliquid agendum faciendumve habeant: atque ut hæc omnia sciantur ab artis perito, & propterea non solum artes, sed etiam generaliori vocabulo scientiæ nuncupantur. Nam quemadmodum supra diximus, quæcunque sciuntur, de eis scientia primo modo haberi dicitur: quod si scita illa sint scitu digna, cognitu difficilia, & vulgo ignota, qualia sunt Grammaticæ, Rhetoricæ, Medicinæ, Juriscivilis, & aliarum fere omnium

artium tam liberalium quam mechanicarum præcepta, tum artes omnes merito ſcientiarum nomen, atque appellationem ſibi vendicant, ſic ut veriſſimum ſit dicere, omnem artem eſſe ſcientiam, hoc eſt, cognitionem quandam præceptorum, quæ ad aliquid agendum faciendumve pertineant. Sic enim Cicero in tertio de Oratore libro apertiſſime ſcriptum reliquit, Omnem artem in aliqua ſcientia verſari, quod perinde eſt ac ſi dixiſſet, omnem artem eſſe ſcientiam: & in Academicis quæſtionibus rurſus inquit, *Artem, ſine ſcientia eſſe non poſſe : hoc eſt, ut ego interpretor, neminem ullius artis peritum evadere poſſe, niſi præceptorum illius artis ſcientiam perdiſcat ac teneat.* Dixi autem præceptorum artis, quia artes omnes ex præceptis conſtant, & ſine præceptis nullo modo conſtare poſſunt. Quod uſque adeo verum eſt, ut Cicero quandoque præcepta pro arte ponat, vel ad ſignificandam artem præcepta ipſa cum arte conjungat: Ut in primo de Oratore, cum ita inquit, Qui dicendi præcepta tradunt: & in tertio, Hæc omnia artem & præcepta deſiderant. Quibus in locis per præcepta profecto nihil aliud ſignificare voluit, niſi artem, ut in ſuperiore exemplo perinde ſit, ac ſi dixiſſet. Qui dicendi artem tradunt, in poſteriore autem, Hæc omnia artis præcepta deſiderant. Ex quibus omnibus hoc colligo & concludo, In omnibus artibus neceſſario incluſam eſſe ſcientiam, hoc eſt, notitiam ſive cognitionem præceptorum, quæ, ut dixi, ad actionem vel factionem aliquam pertinent. Sic enim probatiſſimi quique authores tam Græci quàm Latini in primiſq; Cicero, artes omnes ſubinde, tum artes tum ſcientias appellant, ſine ullo diſcrimine aut differentia, ut quemadmodum dixi, quamplurimis exemplis, partim in Obſervationibus noſtris, partim in Theſauro Roberti Stephani manifeſtiſſime comprobatur. Atque ita de nominibus ſcientiæ & artis quicquid dictum eſt à nobis, id pro vero ac certo habeant quicunque recte philoſophari cupiunt. Quæ vero de his ipſis traduntur à Dialecticis & Philoſophis, ea pene omnia ſciant eſſe falſa & commentitia, & nullo probato authore, præterquam ipſiſmet, fulta : ut ex iis, quæ dicentur luce clarius conſtare faciemus. Oſtendemus enim illos prorſus ignoraſſe quid vere eſſet ſcientia & quid vere ars, & definitiones utriuſque ab illis falſas fuiſſe traditas, tum ſingulas artes & ſcientias ab eiſdem non recte definitas fuiſſe, nec recte definiri potuiſſe. Cum maxima ex parte ignoraverunt quænam eſſent artium & ſcientiarum vera genera, veræ materiæ, vera officia, & veri fines: ſine quorum omnium perfecta cognitione artes & ſcientiæ nec recte definiri, nec inter ſe diſtingui poſſunt, ut oſtendemus in capite ſequenti. Ex quo apparebit Antiquos fere omnes ex horum ignoratione in maximos & turpiſſimos errores fuiſſe delapſos.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

Quæ & quot sint ea, quæ requiruntur in scientiis & artibus, ex quibus pendet ac fit omnis earum divisio, definitio, & distinctio: contra falsam de eisdem rebus Pseudophilosophorum doctrinam.

IN scientiis & artibus, quæ quidem veræ sunt ac necessariæ, reperiuntur cum multa alia, tum præcipue quatuor hæc, *genus, materia, officium, & finis*: sine quibus scientiæ & artes nullo pacto nec recte dividi, nec vere definiri, nec clare inter se distingui queunt. Genus scientiæ vel artis est illa rerum multitudo, sive illud totum discretum, in quo scientia vel ars tanquam pars in toto continetur: & sic cognitio est genus scientiæ & aliarum partialium cognitionum, scientia genus artis & aliarum particulariũ scientiarum, ars genus Medicinæ, e.gr. & aliarum specialium artium. Quamobrem communiter loquentes recte dicimus, & Medicinã esse artem sive in genere artium, & artem esse scientiam sive in genere scientiarum, & scientiã esse habitũ, sive in genere habituũ, & habitum esse cognitionẽ, sive in genere cognitionũ. Ex quo sequitur Medicinam, & quancunq; aliam artem particularem, à primo ad ultimum esse in tribus generibus, in genere artium, in genere scientiarum, in genere cognitionum: quorum tamen aliud alio est propinquius, aut remotius. Materia vero scientiæ vel artis, est ea res sive illud subjectum, in quo scientia vel ars versatur: ut in scientia Physiologiæ res naturales & obscuræ, in Politica omnes res civiles, in Rhetorica omnes res mundi, in Medicina morbi & vul-

(Quod officium vocat, vulgo vocant *finem internum*, qui est in potestate artificis; quod finem κατ' ἐξοχὴν vocat, vulgo vocant *externum*.)

nera: ut Cicero in primo de Inventione testatur. *Officium* est id quod præstare: hoc est, agere vel facere debet scientia vel arte præditus: & si id non præstet, aut male præstet, non est vere sciens nec peritus artifex, sed reprehensionem meretur. Ut in Physiologia vere cognoscere ac scire res naturales, & in Politica bene regere & gubernare res civiles, in Rhetorica leve dicere de omnibus rebus, in Medicina bene curare morbos & vulnera. Nam si Physiologus non vere cognoscat ac sciat, & Politicus non prudenter regat ac gubernet, & Orator non bene loquatur ac dicat, & Medicus non recte curet & medeatur, unusquilibet horum officio suo excidit, & reprehensione ac vituperatione dignus est. Finis est id propter quod sive cujus causa scientiæ studiosus assidue contemplatur & investigat, & artifex agit vel facit. Ut in eadem

ſcientia Phyſiologiæ cognitio veritatis, ſine ulla actione vel factione exteriori: in Politica conſervatio & amplificatio civitatis, ſive, ut quidam dicunt, beata civium vita: in Rhetorica probatio vel improbatio perſuaſio vel diſſuaſio, & in ſumma demonſtratio ejus quod probandum vel improbandum, perſuadendum vel diſſuadendum, vel denique demonſtrandum eſt. Nam quemadmodum Phyſicus in rebus naturalibus & obſcuris verſatur, ut contemplando & inveſtigando veram earum aſſequatur cognitionem, & Politicus res civitatis regit & gubernat, ut civitatem ſuam conſervet & augeat : ſic Orator de omnibus rebus bene loquitur & dicit, ut probet & perſuadeat, & cætera : & Medicus morbos & vulnera bene curat, ut bene curando morbum expellat, & ſanitatem reſtituat. Hoc eſt, ut unuſquiſque horum in propria materia verſando, & officio ſuo fungendo finem intentum conſequatur. Ac tale quidem genus, talis materia, tale officium, talis finis in ſcientiis & artibus omnibus reperitur, ut in exemplis ſupra poſitis clare apparet. Quanquam ſcientiæ illæ quæ nihil agunt nec faciunt exerni operis, ſed tantummodo in contemplanda & cognoſcenda veritate ſunt occupatæ, nullum videntur habere officium, ſed tantummodo conſtare ex genere, materia, & fine. Niſi quis forte ipſam contemplationem & cognitionem veritatis, non ſolum finem, ſed etiam officium quoddam ſcientis eſſe velit dicere. Quo caſu *in ſcientiis puris idem erit & officium & finis.* Quare ex quatuor iis, quæ dixi, tria ſaltem ſine dubio reperiuntur in omnibus iis, quæ tantum ſcientiæ ſunt non artes, hoc eſt, genus, materia, & finis. *In iis vero, quæ non ſolum ſcientiæ ſunt, ſed etiam artes, hoc eſt, quæ non ſolum in cognoſcenda veritate occupantur, ſed etiam agunt & moliuntur aliquid externi operis : in his inquam fere quatuor illa adſint neceſſe eſt, genus, materia, officium, & finis.* Alioqui non videtur quomodo ſcientia aut ars ulla proprie eſſe, aut vere nomen ſcientiæ vel artis retinere poſſit. Ex quo ſequuntur multa ſine ulla dubitatione veriſſima, quorum proprium eſt, quod ad ſcientiam attinet, omnium ſcientiarum particularium quatenus ſcientiæ ſunt non artes, unum & idem eſſe genus, hoc eſt, ſcientiam: & unum eundemque finem, hoc eſt, contemplationem & cognitionem veritatis. Alterum vero, ſcientias omnes eodem modo ut ſcientiæ ſunt, definiri non ex officio, quod vel prorſus non habent, vel certe non à fine ſeparatum, neque ex fine, cum omnes, ut dixi, eundem habeant finem, ſed ex genere & materia ſola, tanquam ex proprietate quadam, ſine qua nulla poteſt eſſe ſcientia. Ut cum Phyſiologia definitur eſſe ſcientia rerum naturalium obſcurarum, qua in definitione ſcientia genus eſt, res naturales obſcuræ materia, niſi quis forte ipſum quoq; genus, hoc eſt, ſcientiam dicat eſſe finem quendam

ſcientis.

ſcientis. Propter ſcientiam enim ipſam Phyſiologus exempli gratia res naturales obſcuras inveſtigat, ut idem quoque in ſcientiis ſit & genus & finis: cum ſcientia, ut ſcientia eſt, non propter aliud, ſed propter ſe ipſam quæratur. Tertium eſt, ſcientias item puras, hoc eſt quæ artes non ſunt, diſtingui ac ſeparari inter ſe non ex genere nec ex fine, quæ duo in omnibus idem ſunt, ſed ex materia ſive ſubjecto, quod habent diverſum: ut in ſumma illæ ſcientiæ ſint diverſæ, quæ in diverſa verſantur materia: juxta illud Ariſtotelis dicentis, Scientias ſecari quemadmodum & res: & ſic Geographia, exempli gratia, differt ab Aſtrologia, quoniam illa in locis orbis terrarum tam generalibus quam particularibus cognoſcendis verſatur, hæc vero ſolum motum & curſum aſtrorum ac ſyderum conſiderat & cognoſcit. Quorum autem eſt, quod ſpectat ad eas, quæ non ſolum ſcientiæ, ſed etiam artes ſunt: omnes artes proprie definiri non ſolum ex genere communi, ſed etiam ex officio & materia: ut cum ita dicitur, Medicina eſt ars bene curandi morbos & vulnera: Rhetorica eſt ars bene dicendi de omnibus rebus. In quarum definitionum utraque ars loco generis poſita eſt, bene curandi autem in Medicina, & bene dicendi in Rhetorica tanquam officia propria ſunt addita. Poſtremo vero & morbos & vulnera ut Medicinæ, & de omnibus rebus ut Rhetoricæ materiam ſubjunximus. Finis autem in neutra earum appoſitus eſt, quia neq; Medicus ſanitatem, neq; Orator probationem aut perſuaſionem ejus rei, qua de agit, præſtare tenetur, modo uterq; id quod eſt ſui officii recte faciat. Quintum eſt ad artes ſimiliter pertinens, omnes artes eiſdem plane rebus diſtingui, quibus & definiuntur, hoc eſt, officio & materia, & propterea etiam fine. Habent enim fere omnes hæc tria diverſa, alioqui non poſſent eſſe diverſæ artes: atque ita differunt inter ſe, gratia exempli, Medicina & Rhetorica, eo quod Medicinæ officium eſt, bene curare, materia, morbi & vulnera, finis ſanitas: Rhetoricæ autem officium, bene dicere, materia omnes res mundi, finis perſuaſio ſive probatio, ejus quod ſuadendum vel probandum ſuſcipitur. Atque hoc modo, quem dixi, definiuntur & diſtinguuntur omnes ſcientiæ, & omnes artes particulares, ut definitio particularium ſcientiarum fiat ex duobus, ex genere communi, quod eſt ſcientia, & materia, quod eſt ſuum cujuſq; ac proprium ſubjectum. Diſtinctio autem ipſarum ex uno ſolo, hoc eſt, ex ſola materia. *Scientiæ enim puræ, hoc eſt, quæ non ſunt artes, cum & officio proprie careant, & idem genus eundemque finem habeant, nulla alia re præterquam materia inter ſe differre ac diſtingui poſſunt.* Itemque ut artium definitio efficiatur ex tribus, ex genere communi, quod eſt ars: ex officio, quod eſt ſuum cujuſque artis & proprium officium: & ex materia, quæ eſt ſua cujuſque propria

materia

materia : nam *finis* ut dixi, *in definitionem artium non neceſſario ingreditur. Diſtinctio autem earum ſimiliter ex tribus ſumatur, ex officio, ex materia, ex fine:* omnes enim idem genus habent, hoc eſt, artem, & propterea ex genere nullam poſſunt habere diſtinctionem. Ex quo patet differentia atque diſtinctio inter ſcientiam & artem proprie acceptas, cum genus ſcientiæ ſit cognitio vel notitia, genus vero artis ſcientia: & cum ſcientia ſit genus, ars, vero ſpecies: ars enim eſt ſpecies quædam ſcientiæ: & in ſumma, ut ante dixi, omnis ars eſt ſcientia quædam. Sed in quatuor his, quæ in artibus & ſcientiis reperiuntur, hoc eſt, in genere, materia, officio, & fine, ne error aliquis in definiendo ac philoſophando accidat, hæc potiſſimum obſervanda ſunt. Ac primum in genere, ut id genus in quo vel definientes vel quomodolibet aliter loquentes ſcientiam vel artem ponimus, ſit propinquum & cognatum, non remotum aut alienum. Hujus enim obſervationis, vel ignoratione, vel negligentia definitio Rhetoricæ Ariſtotelis, quæ in primo Rhetoricæ illius traditur, eſt vitioſa. Nam cum Rhetorica ſine ulla dubitatione ſit in genere artium proximo & communiter à doctiſſimis quibuſque viris definiatur eſſe ars bene dicendi de omnibus rebus: ipſe Ariſtoteles neſcio quomodo eam non in proximo, ſed in remotiſſimo genere collocavit, hoc eſt, non in arte, ut debeat, ſed in vi ſive facultate, dicens eam eſſe δύναμιν, hoc eſt, vim ſive facultatem videndi quid in quaque re eſt perſuadibile. Nam δύναμις ſive facultas eſt ipſa quidem genus Rhetoricæ, ſed commune non ſolum artibus & ſcientiis omnibus, verum etiam facultatibus & proprietatibus cunctis naturalibus. Ut exempli gratia, facultati attrahendi ferrum in Magnete, & purgandi bilem in Rhabarbaro. Atque ideo Rhetoricæ comparata eſt genus remotiſſimum, hoc modo, nam Rhetorica proxime eſt ars & in genere artium, omnis ars proprie eſt ſcientia & in genere ſcientiarum, omnis ſcientia proprie eſt habitus & in genere habituum, omnis habitus eſt facultas ſive in genere facultatum. Ex quo patet, hujus de qua loquimur obſervationis vel ignoratione vel negligentia, quam in remoto genere Ariſtoteles poſuerit Rhetoricam, & quam vitioſe eam definierit. Qua quidem in re etiam Galenus erravit, ſed non tantum: nam ipſe quoque in Arte parva, Medicinam definiens dixit, eam eſſe ſcientiam ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum, ac loco artis, quod eſt genus proximum Medicinæ poſuit ſcientiam, quæ eſt genus remotum, non quidem tantum quã tum illud Ariſtotelis, ſed tamen non proximum, ſi quidem hoc Galeni, ab eo, quod definitur, duobus tantum, illud autem Ariſtotelis quatuor gradibus eſt diſtans. Quanquam Galenus videtur excuſari poſſe, utpote qui Medicinam tantum Theoricam, ut vocant, non practicam definierit. Revera enim

Medicina

Medicina ex ea parte, qua est Theorica, propria est scientia non ars: sed Aristotelis error nullam videtur habere excusationem aut defensionem. Quare in genere scientiarum atque artium statuendo hoc, quod dixi, in primis est observandum. In officio autem illud, ut officium artis constituatur in agendo vel faciendo aliquid non in videndo & ut Aristoteles definiens Rhetoricam, græce inquit, ἐν τῷ θεωρεῖν, hoc est; in cognoscendo sive contemplando quid agendum faciendumve sit. Nam cum omnis ars, ut nos supra docuimus, sit scientia bene agendi vel faciendi aliquid, necessario in omni arte inclusum est agere vel facere quidpiam: ut in Medicina curare morbos & vulnera, non solum videre & cognoscere quid ad curandum sit accomodatum: in Architectura ædificare, non solum videre & cognoscere quid ad ædificandum sit appositum: in arte militari gerere bellum, non solum videre & cognoscere quid ad faciendum bellum sit necessarium: & in cæteris artibus eodem modo. Unde in definitionibus ipsarum artium dicimus & Medicinam esse artem bene curandi, non videndi quid sit appositum ad curandum: & Architecturam esse artem bene ædificandi, non videndi quid sit aptum ad ædificandum: & militarem esse artem bene gerendi belli, non videndi quæ ad bellum gerendum sint apposita. Quare & Rhetorica eodem modo definiri debet, ut ejus officium collocetur non in videndo & cognoscendo, sed in agendo vel faciendo, atq; ut dicatur, esse ars non videndi aut cognoscendi quid in quaq; re sit persuadibile, sed bene dicendi de omnibus rebus. Hujusmodi enim debēt esse officia omniū artium, ut actionem vel factionem aliquam contineant, non solum visionem aut cognitionem. Nam per deos immortales quis non rideat? si audiat quempiam prætermittentem veram Juris civilis definitionem, quæ est, esse artem bene respondendi de jure: & dicentem, Jus civile esse facultatem videndi quid in unaquaq; controversia sit respondendum de jure. Certe qui ita diceret, non solum gravi reprehensione sed etiam magno risu dignus esset. Quocirca eodem modo non solum reprehendendus, sed etiam ridendus est Aristoteles, qui vel ignorans vel negligens hanc nostram de officio artium observationem, officium Rhetoricæ removit ab agendo & faciendo, & ad videndum cognoscēdumq; transtulit. In quod vitium definiendi maximum ne incidant, qui recte philosophari cupiunt, hoc loco mihi diligenter visi sunt admonendi: hoc est, ne quemadmodum Aristoteles officia artium vitiose ab actione & factione, ad visionem sive cognitionem transferant. In materia sive subjecto, tam scintiarum quàm artium hoc custodiendum est, ut prefecte & integre statuatur, non imperfecte & quasi dimidiate. Qua quidem in re idem Aristoteles & in eadem Rhetoricę definitione non mediocriter peccavit, nam cum perfecta & integra

materia Rhetoricæ sint omnes res mundi, ut supra docui, & ejus definitio vera sit, ut ante dixi, Ars bene dicendi de omnibus rebus: ipse eam posuit esse tantummodo de iis, quæ in quaque re sunt persuadibilia. Perinde quasi officium Rhetoricæ versetur tantum in videndis atque inveniendis persuadibilibus, & non in alia ulla re: & quasi sola visio atque inventio rerum persuadibilium ad Rhetoricam pertineret, elocutio vero earum & cæteræ partes Rhetoricæ præter inventionem à Rhetorica essent prorsus alienæ, quo nihil cogitari potest magis falsum. Atque ideo Quintilianus juste Aristotelem reprehendit, quod in definitione sua Rhetoricæ, visus est tantumodo cõprehendere inventionẽ, elocutionem autem cæteraſque partes prætermittere: non juste autem Petrus Victorius in Commentariis suis in Rhetoricam Aristotelis, & Quintilianum reprehendere & Aristotelem defendere conatur, dicens ipsum Quintilianum non vidisse, Aristotelem in definienda Rhetorica non potuisse elocutionẽ nõ comprehendere: cum ejus præcepta quamplurima in tertio Rhetorices libro tradiderit, & cum ipsa Rhetorica ἀπὸ τοῦ ἐρεῖν, hoc est, ab eloquendo nomen sibi invenerit. Sic inquam Victorius alioqui vir doctissimus & Quintilianum refutare & Aristotelem tueri nititur. Cui ego respondeo pro Quintiliano, Aristotelem non posse defendi nec excusari, quin in definienda Rhetorica imperfecte & deminute materiam illius statuerit, & præcipue cum ipsemet asserat Rhetoricam sicut & Dialecticam nullius esse determinati generis rerum, sed omnium. Quod cum ita sit, cur obsecro in definitione illius, tantummodo inventionis eorum, quæ sunt persuadibilia, mentionem fecit? Cur alia omnia, quæ sunt pene infinita prætermisit? cur nullo verbo significavit elocutionem? Equidem nõ negaverim Aristotelem, id quod ille dicit, fortassis intellexisse, sed non propterea tamen concedo eum minus esse reprehendendum, eo quia id quod voluit, si tamen voluit, in nullo significavit definitionis suæ verbo. Namque homines non ex eo quod facere vel non facere voluerunt, sed ex eo quod dedita opera vel fecerunt vel prætermiserunt, reprehensionem merentur & excusationem. Sicque Victorius Aristotelem inepte excusat, dicens eum nescio quas nugas voluisse, vel intellexisse. Sed ego video quid fecerit, & quid prætermiserit, quid autẽ facere autem intelligere voluerit nescio. Idemq; Victorius non minus inepte reprehendit Quintilianum, qui non viderit in Aristotele, id quod Aristoteles ipse dicere explicare voluit. At inquit, cum πιθανὸν, hoc est, persuadibile Aristoteles dixit, eo verbo significavit orationem in Rhetorica opus esse, atque hoc modo non prætermisit elocutionem. Cui ego vicissim respondeo, orationem omnem constare ex rebus & verbis, & persuadibile tantum ad res referri non ad verba: Res enim non

verba

verba ſunt perſuadibilia: nec quicquam refert quod ille dicit, in perſuadendo opus eſſe oratione & verbis. Non enim ſi verbis utimur ad perſuadendum, propter hoc generaliter ſequitur, verba eſſe perſuadibilia. Et ſic Victorius nec Ariſtotelem recte defendit, nec Quintilianum juſte recriminatur, ſed ſe ipſe oſtendit in judicio de magnis rebus faciendo non multum eſſe acutum. Ut omittam illud in eo haud ſcio quàm probandum, quod ubicunq; datur ipſi occaſio aliqua, quamlibet minima, dicendi contra Ciceronem, Quintilianum, cæteroſq; Latinos veteres, eam cupidiſſime arripit, & libentiſſime id facit: contra Græcos vero Scriptores, & præſertim contra Ariſtotelem, & veteres illius Interpretes etiam ſi in maxima & creberrima illorum incideret errata, tamen ne hiſcere quidem audet, ſed eos colit & veneratur tanquam Deos quoſdam, & ut Græci dicunt, ἀναμαρτήτους. Sed ut redeam unde diſceſſi, hoc quoq; in materia artium eſt obſervandum, ne quemadmodum Ariſtoteles vitioſe definiamus artes, & earum materiam imperfecte & diminute aſſignemus. Poſtremo vero in fine non minus diligenter eſt attendendum, ne idem nobis accidat, quod Boethio, Rodulpho Agricolæ, & Joachimo Perionio, Viris alioqui doctiſſimis, hoc eſt, ne quemadmodum illi officium pro fine accipiamus. Boethius enim Dialecticæ finem eſſe ait, id quod volumus ab Adverſario extorquere, conari: Rodulphus autem probabiliter de quaque re poſita dicere: Perionius vero probabiliter de quaq; re propoſita diſputare. Quos omnes fines nos infra non fines, ſed officia Dialecticæ eſſe: ſi Dialectica vera eſſet, probaturi ſumus in capite de Dialectica è numero artium tollenda. Quare nunc de eis non plura nobis videntur eſſe dicenda: ſed tamen admonendus Lector recte philoſophandi cupidus, ut diligenter caveat in his quatuor, de quibus hactenus locuti ſumus, hoc eſt, in genere ſcientiarum & artium, in officio, in materia, & ad extremum in fine: ne in eoſdem errores incidat, in quos præcipitaverunt non ſolum Boethius, Agricola, & Perionius, ſed etiam Ariſtoteles, & Galenus. Quorum errata eò libentius & prolixius commemoravi, ut appareat, quàm utiliter, quamq; neceſſario ſint obſervanda omnia ea quæ à nobis ſupra fuerunt demonſtrata. Ad hunc igitur modum oſtenſo, quænam & quot reperiantur in una quaque ſcientia & arte, & quonam pacto & ex quibus omnis ſcientia & omnis ars definiatur: & qua ratione tum ſcientia omnis ab arte, & ars omnis à ſcientia, tum ſcientiæ omnes & artes particulares inter ſe diſtinguantur, jam non difficile fuerit facere generalem & veram ſcientiarum & artium omnium diviſionem, & vere eas definire & diſtinguere inter ſe. Et hoc modo videre quænam & quot ponendæ ſint ſcientiæ & artes, tanquam veræ, utiles, & neceſſariæ: & contra, quænam & quot tanquam falſæ,

inutiles, & ſupervacuæ, ab omni ſcientiarum & artium numero removeri & rejici debeant. Et præterea cognoſcere ex artibus & ſcientiis omnibus quænam veræ & rectæ, quænam falſo ac perperam fuerint definitæ. Quorum nihil nec ab Ariſtotele, nec ab aliquo Sectatorum ejus, nec ab ullo alio Philoſophorum uſq; in hunc diem fieri potuit, quia non recte intellexerunt, nec vere ſciverunt, quid proprie eſſet, ſcientia & quid proprie ars: nec viderunt quot & quibus rebus ſcientiæ & artes definiantur & diſtinguantur inter ſe. Et in ſumma non recte cognoverunt propria ſcientiarum genera, officia, materias, fines, & omnino proprias inter ſe convenientias & differentias. Quare nos ex principiis noſtris, ita jactis, quæ dixi omnia jam facere aggrediamur: ſi prius unum admonuerimus Lectores, quæcunq; ab Ariſtotele & Peripateticis omnibus traduntur, & diſputantur de materiis, ſive ſubjectis ſcientiarum & artium, ea fere omnia eſſe falſa & ridicula. Ut cum dicunt, alii ens rationis, alii argumentationem: alii aliud eſſe ſubjectum Logicæ: item alii ens mobile, alii corpus mobile, alii aliud eſſe ſubjectum Philoſophiæ naturalis: item ens in quantum ens eſſe ſubjectum Metaphyſicæ. Hæc enim omnia ſunt meræ nugæ veterum Pſeudophiloſophorum, quæ tamen poſteri Græci ſua loquacitate, Latini vero recentiores & Arabes præter loquacitatem etiam fœda, & ruſtica quadam barbarie in immenſum auxerunt.

CAPUT TERTIUM.

De generali ſcientiarum & artium omnium diviſione noſtra vera, & Pſeudophiloſophorum falſa.

QUanquam ſupra fere ſemper priore loco expoſuimus principia noſtra vera, quam illa Adverſariorum falſa vel non ſatis recta, tamen hoc loco de generali ſcientiarum & artium omnium diviſione locuturi certa quadam ratione contra nobis faciendum viſum eſt, ut prius exponeremus diviſiones illorum falſas vel non ſatis rectas, & illas ſtatim vel refutaremus vel corrigeremus: deinde hoc modo ex falſitate diviſionis aliorum, facilius oſtendere poſſemus diviſionis noſtræ veritatem & perfectionem: quam non ſolum omnibus recte philoſophaturis, ſed etiam aliis, quicũq; hæc lecturi ſunt, atque univerſæ poſteritati cupimus eſſe quam notiſſimam. Ergo ab Antiquiſſimis illis, qui ante Ariſtotelem fuerunt, incipiam. Zeno Citiæus, Stoicorum princeps, & poſt Zenonem Plato, ut ſcribit Laertius in

eorum vitis, primo non omnium artium & scientiarum nominatim, sed Philosophiæ totius divisionem fecerunt in tres partes, Physicen, Ethicen, & Logicen: ac Physicen de omnibus rebus naturalibus, reconditis, & obscuris: Ethicen de virtutibus & vitiis, vita atque moribus hominum: Logicen de sermonis atque orationis artificio esse voluerunt. Quam divisionem M. Cicero confirmans atq; explicans in primo de Oratore ita inquit, Philosophia in tres partes est distributa, in naturæ obscuritatem, in differendi subtilitatem, in vitam atque mores: & Ciceroni quasi subscribens Seneca in libro Epistolarum XIV. Epistola XC. ipse quoque eandem Philosophiæ divisionem facit, in naturalem, moralem, & rationalem: Et unam quanque harum trium partium denuo etiam subdividit atque explicat aliquanto latius quam Cicero. Hæc est igitur divisio illa Philosophiæ, quam dixi, antiquissima. In qua quidem & ab iis, qui eam fecerunt, & ab iis, qui interpretati sunt, non parum mihi videtur fuisse erratum. Ab iis qui eam fecerunt, quia secundam partem, quam appellaverunt Ethicen, hoc est, moralem: non ethicen nec moralem, sed politicen & civilem debuerunt appellare. *Ethice enim sine dubio Politicæ pars est*, ut

(Idem tuetur Iason Denores Cyprius.)

innuit Aristoteles tum in primo Rhetoricæ cum ait, Rhetoricam esse partem τῆς περὶ τὰ ἤθη πολιτίας, hoc est, Politicæ, quæ de moribus est: tum in libris de Moribus ad Nicomachum, cum ita scribit, τὰ καλὰ & τὰ δίκαια περὶ ὧν ἡ πολιτικὴ σκοπεῖ, hoc est, honesta & justa, de quibus Politicæ considerat. Quibus in duobus locis Aristoteles aperte demonstrat, Ethicen quæ est, περὶ τὰ ἤθη, & quæ considerat, τὰ καλὰ & τὰ δίκαια, politice partem esse, nam de moribus & honestis ac justis in Ethicis proprie tractatur. Id quod etiam confirmat Alexander Aphrodisiensis in extremo procœmio commentariorum εἰς τὰ πρότερα ἀναλυτικά. Et Petrus Victorius in explanationibus suis in Rhetoricen Aristotelis. Quare non est dubitandum quin Philosophia moralis Philosophiæ politicæ pars quædam sit, ut Politica duobus modis accipiatur, uno tanquam genus, altero tanquam species, quæ generis nomen retineat: & ea quæ est ut genus, plures habeat species, quarum una est Politice ut species, de qua extant libro octo Politicorum Aristotelis: altera Ethice, quæ scripta est in libris ejusdem de moribus ad Nicomachum: tertia Oeconumice, hoc est, de re familiari: quarta Polemice, hoc est, de re militari, & si quæ aliæ sunt hujusmodi Ex quibus patet ab iis, qui primam illam Philosophiæ divisionem fecerunt, in secunda parte ubi Ethicen posuerunt, non Ethicen, sed Politicen fuisse ponendam, ut dixi: deinde Politicen dividendam, ut diximus. Quod non ea re tantum dico, quia sic Aristoteles sensserit, sed quia mihi sententia illius hac in re videtur esse verissima. Est enim

Ethice revera pars quædam civilis & politicæ ſcientiæ, *& libri Politicorum, ſi à communibus incipere vellemus, libris de moribus in diſcendo jure eſſent antepo-nendi.* Ab iis vero qui eandem illam diviſionem ſunt interpretati multo etiam magis erratum eſt, hoc eſt à Latinis, in quibus ſunt & Seneca & Quintilianus, qui tertiam illam diviſionis partem, quam illi Logicen græce vocaverunt, ipſi vertentes in latinum, dixerunt rationalem: non animadvertentes nomen logices ab illis veteribus ἀπὸ τοῦ λόγου cum ſignificat non rationem, ſed ſermonem vel orationem eſſe deductum: atq; ideo Logicen non rationalem ſed vel ſermocinalem, ut quidam ajunt, vel oratoriam, ut nos putamus, fuiſſe vertendum. Eſt enim Logice revera ſcientia ad ſermonem habendum, vel ad orationem faciendam, nõ ad rationẽ proprie pertinẽs. Nam per deos immortales quid cauſæ eſt, cur ſcientia de ſermone vel oratione, qualis eſt ſine dubio Logice, potius appellari debet rationalis quã Phyſice, quæ eſt de natura, & Ethice, quæ eſt de moribus? non ne ita ratio verſatur in Phyſicis & Ethicis tractandis ac ſpeculãdis, ſicut in ſermone habendo & oratione facienda? Profecto nõ magis in his quam in illis ratio adhibetur, atquè ideo non minus res Phyſicæ & Ethicæ quàm Logicæ revera aut ſunt rationales aut appellari debent rationales. Id quod etiã confirmat Plutarchus in vita Homeri, qui hanc eandẽ philoſophiæ diviſionẽ recitans, in tertia parte, nõ Logicen ſed loco Logices, Dialecticen ponit, quaſi dedita opera interpretari ac ſignificare volens eam ſcientiam, quam Antiqui Logicen appellaverunt, non ad rationem, ſed ad ſermonem orationemque referri debere; & non rationalem, ſed ſermocinalem vel oratoriam eſſe appellandam. Si quidem Dialectice ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι dicta eſt, διαλέγεσθαι autem proprie eſt, non λογίζεσθαι, hoc eſt, raciocinari: nec ratione aliquid facere, ſed orationẽ habere, diſſerere, diſputare, exquiſite ſermocinari. Atque ante Plutarchum Cicero, ut ſupra dixi, in primo de Oratore, eam de qua loquimur, Logicen, interpretatus fuerat non ratiocinandi, ſed diſſerendi ſubtilitatem, & eam facultatem, qualiscunque eſt, non ad rationem, ſed ad ſermonem orationemque retulerat. Quamobrem & Seneca & Quintilianus & quicunque alii Logicen non ad ſermonem & orationem, ſed ad rationem retulerunt: & eam non Dialecticen, hoc eſt, ſermocinalem vel oratoriam, ſed rationalem appellandam cenſuerunt, vehementer fuerunt decepti: & ab Antiquorum ſententia longiſſime aberraverunt. Ut omittam interim ſtultam illam opinionem pene omnium Juniorum Dialecticorum, qui putant Logicen eſſe, ut ipſi loquuntur, de ente rationis, & Logicæ facultatis ſubjectum eſſe ens rationis, hoc eſt, ens, ut ipſi dicunt, à ratione fabricatum & factum. Quæ quidem opinio uſque adeo fatua eſt & indocta, ut ne digna quidem ſit, quæ

(Phyſica rationalis quidem, ſed tamen non agit de ratione.)

refute-

refutetur. Nam per Deos immortales quæ major ratio eſt, ut res Logicæ dicantur entia rationis aut entia à ratione facta, quàm res Ethicæ & Politicæ? tam enim egent ratione Ethica & Politica, ut ſint, quam Logica: & tam parum ſine ratione eſſe poſſunt Ethica & Politica, quàm Logica. Quare qui ita dicunt, prorſus ſunt ridendi & contemnendi. Nec me latet Hermogenem ita dividere conſtitutiones ſuas rhetoricas, ut alias faciat λογικὰς, hoc eſt, rationales: alias νομικὰς, hoc eſt, legales, ſive legitimas. Sed eo in loco λογικαὶ ζάσεις recte interpretantur non ſermocinales nec orationales, ut ſupra diximus, ſed rationales, ἀπὸ τοῦ λόγου, cum non ſermonem nec orationem, ſed rationem ſignificat: & per rationem in re, & de re aliqua eſt quæſtio, non in ſcripto aut de ſcripto aliquo. Quibus opponuntur νομικαὶ, quæ contra non in re aut de re aliqua, ſed in ſcripto & de ſcripto aliquo habent quæſtionem. Ut in diviſione ſtatuum penè idem ſit νομικὴ, quod in Philoſophiæ partitione λογικὴ, utraque enim ad verba & ad compoſitionem orationis referetur. Hoc igitur modo, ut diximus, erraverunt tam ii, qui fecerunt antiquam illam Philoſophiæ diviſionem, quàm qui eam non recte ſunt interpretati. Et propterea nos eandem vere ita faciendam eſſe cenſemus, ut in prima parte, quemadmodum illi, ponamus phyſicen, in ſecunda politicen, ut genus, in tertia Logicen: atque ut politice poſtea dividatur in politicen ut ſpeciem, & Ethicen, & alias, quas dixi ſupra. Tum ut Logice non ad rationem, ſed ad ſermonem orationemque referatur: & non rationalis, ſed vel oratoria vel ſermocinalis appelletur: nomine potius novato & facto, quàm falſo & male accommodato. Hoc enim modo & facta & intellecta vetus illa philoſophiæ diviſio vera erit & ſumpta fuerit à materia, hoc eſt, à rebus de quibus eſt, & in quibus verſatur philoſophia. Nam ut vere inquit Ariſtoteles, Scientiæ ſecantur, quemadmodum & res de quibus ſunt. Poſt Zenonem vero, & Platonem, Ariſtoteles, & cum eo omnes peripatetici ſpreta illa Antiquiore, quàm diximus, philoſophiæ diviſione, neſcio quo modo aliam quandam magna ex parte ab illa & à veritate diverſam, introduxerunt. Nanque ut alios omittam, Boethius volens dividere omnes ſcientias & artes, ſtatim non omnium ſcientiarum & artium, ſed totius philoſophiæ diviſionem ſe facturum eſt profeſſus, tanquam philoſophiæ nomine omnes ſcientiæ & artes intelligantur: & dixit totius philoſophiæ duas primas eſſe partes, unam quæ Græce θεωρικὴ, Latine vero contemplativa, ſive inſpectiva dicatur, eo quia tantum verſetur in cognitione & contemplatione rerum: alteram quæ item Græce πρακτικὴ, Latine vero activa, ſive factiva nuncupetur: propterea quod non ſolum in cognoſcendo & ſciendo, ſed etiam in agendo ſive efficiendo aliquid, poſita ſit:

Et rurſus

Et rursus utranq; harum in tres partes subdiviserunt, Theoricen sive contemplativam, in Theologiam sive Metaphysicam, ut vocant, quæ est ut ipsi aiunt, de ente in quantum est ens, & de Deo rebusq; divinis, omninoq; de substantiis à materia & motu prorsus separatis loquatur : Physicen sive Physiologiam, quæ reconditas & obscuras rerum naturalium cum materia & motu, prorsus conjunctarum causas effectusque investiget. Mathematicen, quæ inter has duas superiores quasi media sit, & de rebus cum materia quidem & motu, secundum esse, ut ipsi dicunt, conjunctis, sed per intellectus actionem à materia & motu abstractis, pertractet. Neque vero Theoricæ divisio in has tres solas partes desinit, sed Physiologiam in quasdam alias minutiores partes diviserunt quas nunc referre non est opus. Mathematicæ autem subjecerunt quatuor has partes, Arithmeticam, Musicam, Geometriam, & Astrologiam, quas omnes simul appellaverunt Quadrivium, quasi unaquæque earum sit tanquam via per quam qui non transit, & scala per quam qui non ascendit, ad summum Philosophiæ culmen non possit pervenire. Atque hoc modo cum Theoricen philosophiam in hæc tria membra secuissent, denuo alterius partis, hoc est practicæ sive activæ totidem partes fecerunt, & eã subdiviserunt in Ethicam, hoc est, moralem, in qua de virtutibus & vitiis omninoq; de hominũ moribus ageretur. Politicen, hoc est civilem, quæ de gubernanda & regenda republica differit. Oeconomicam, hoc est, de re familiari ac domestica bene ac recte administranda. Sed quoniam ad perfectam horum omnium cognitionem, ut dicit Boethius, necessarium est subsidium rationis atque orationis ejus, qua quid verum, quidve falsum sit discernatur, idcirco ad duas illas superiores Philosophiæ primas partes, hoc est, Theoricen & Practicen, adjunxerunt etiã eam, quæ græce λογική, hoc est, Logice, latine autem tum rationalis tum sermocinalis à quibusdam dicitur: ut in summa totius Philosophiæ tres sint primariæ partes, Theorice sive speculativa, Practice sive activa, Logice sive rationalis sive sermocinalis. Nec contenti hac tam numerosa divisione, ut nihil non Philosophiæ, quam ipsi profitentur, subjicerent: denuo hanc tertiam partem, quam Logicen vocari diximus, in alias tres partes subdiviserunt, Grammaticam, Dialecticam, & Rhetoricam: atque ut scribunt cum alii multi tum maxime Rodulphus Agricola libro secundo de dialectica inventione, Cap. XVII. Grammaticæ attribuerunt emendationem sermonis, Dialecticæ probationem dictionis, Rhetoricæ ornatum elocutionis. Atque ita divisis harum trium artium & scientiarum materiis & officiis modo suo, perbellam quidem & rotundam, sed non veram, totius Philosophiæ divisionem fecerunt, ut ostendemus. Hæc itaq; est fere communis omnium tam veterum quam neotericorum

ricorum Peripateticorum totius Philoſophiæ diviſio, & ipſa quemadmodum illa ſuperior à materia ſuſcepta, ſub qua nullam putant eſſe ſcientiam nec artem, quæ non contineatur, aut quæ non ſaltem ad eam aliquo modo reducatur. Nam & Medicinam ad Phyſicen, & Juſcivile ad Politicen, Perſpectivam & Architecturam & alias quaſdam ad Mathematicen referri dicunt: Sed nobis iſta quoq; diviſio multis videtur ſcatere vitiis, & pluribus eſſe obnoxia reprehenſionibus: quod ut omnes apertiſſime poſſint intelligere, nos quoque prius exponemus noſtram ſcientiarum & artium diviſionem, longe ab hac, quam diximus, differentem, & multo, ut arbitramur, veriorem: eamque confirmabimus & argumentis & authoritatibus. Deinde examinabimus diligenter illam Peripateticorũ, detegentes identidem & demonſtrantes omnia illius vitia: & ante omnia oſtendentes inter artes & ſcientias, nullam neq; Dialecticæ neq; Metaphyſicæ poſſe eſſe locum, atque ideo ambas tanquam falſas & inutiles & non neceſſarias ab omni ſcientiarum & artium numero exterminandas. Primum igitur nos diviſione noſtra paulo altius repetita ita dicimus: In omni doctorum & literatorum hominum numero in ſumma eſſe duo maxima & præclariſſima nomina, quorũ unum eſt Philoſophorum, alterum Oratorum: & ſimiliter in omni ſcientiarum atq; artium ambitu extare duas omniũ præſtantiſſimas & eminentiſſimas appellationes, unam Philoſophiæ, alteram Oratoriæ. Ex quibus Philoſophia, ut antiquiſſimi & ſapientiſſimi homines voluerunt, nihil aliud eſt, niſi ſapientiæ atq; virtutis: Oratoria vero niſi facundiæ & eloquentiæ ſtudium: & Philoſophi nihil aliud niſi ſapientiam atq; virtutem, Oratores niſi facundiam & eloquẽtiam profitentur. Quæ quidem duæ facultates omnium quæcunq; inter homines reperiuntur, citra controverſiã maximæ & generaliſſimæ, omnium prorſus, quæcunq; in mundo ſunt, rerum, cognitionem, tractationemq; ſibi vendicant, ut infra demonſtrabimus. Sed non quemadmodum his temporibus noſtris, ſic quondam ante Socratem & Platonem erant ſeparatæ & diſtinctæ, verũ ita cõjunctæ & copulatæ inter ſe, ut non diverſæ, ſed una eademq; ex duabus conflata eſſet profeſſio: atque iidem prorſus haberentur & ſapientiæ & eloquentiæ profeſſores. Nanq;, ut inquit M. Tullius in tertio de Oratore libro, Vetus quidem illa doctrina eadem videtur & recte faciendi & bene dicendi magiſtra, neq; diſiuncti doctores, ſed iidem erant & vivendi præceptores & dicendi, ut ille apud Homerũ Phœnix, qui à Peleo patre Achilli juveni comitem ſe datum dicit ad bellum, ut illum efficeret oratorem verborum actoremque rerum. Et paulo infra rurſus ita inquit, Sed quod erant iique multi, qui aut in republica propter ancipitem, quæ nõ poteſt eſſe ſejuncta faciendi dicendiq; ſapientiã florerent, ut Themiſtocles

nt Pericles, ut Theramenes: aut qui minus ipsi in republica versarentur, sed ut hujus tamen ejusdem sapientiæ doctores essent, ut Gorgias, Thrasimachus, Isocrates, inventi sunt, qui cum ipsi & doctrina & ingeniis abundarent, à re autem civili atque à negotiis animi quodam judicio abhorrerent, hanc dicendi exercitationem exagitarent atq; contemnerent. Quorum princeps Socrates fuit, is qui omnium eruditorum & totius judicio Græciæ, cum prudentia, & acumine, & venustate, & subtilitate: tum vero eloquentia, varietate, copia, quam secunque in partem dedisset, omnium facile princeps, iis, qui hæc quæ nos nunc quærimus, tractarent, agerent, docerent, cum nomine appellarentur uno, quod omnis rerum optimarum cognitio & in his exercitatio Philosophia nominaretur, hoc cõmune nomen eripuit, prudenterq; sentiẽdi & ornate dicendi scientiam re cohærentes disputationibus suis separavit: cujus ingenium variosque sermones immortalitati scriptis suis Plato tradidit, cum ipse literam Socrates nullam reliquisset. Hinc dissidium illud extitit quasi linguæ atq; cordis absurdum sane & inutile & reprehendendum, ut alii nos sapere alii dicere docerent. Hæc sunt Ciceronis verba in eo quem dixi, libro scripta, ex quibus aperte licet cognoscere ante Socratem & Platonem non diversam, sed eandẽ prorsus extitisse, & recte faciendi & ornate dicendi sciẽtiã, hoc est, Philosophiam & Oratoriã, nec disjunctos & distractos, quemadmodũ nunc sunt, fuisse Oratores & Philosophos, cum iidem prorsus & dicendi & sapiendi præceptores essent. Itaq; legimus tot præclaros & præstantes viros in utraq;, hoc est, in Philosophia & Oratoria, temporibus illis antiquioribus floruisse: sed postea nescio quo adverso humano generi fato natus est Socrates, qui una cũ Platone, tam pulchrã illam philosophiæ & Oratoriæ societatem, philosophorum & Oratorum conjunctionem disjunxit: atque ut recte inquit Cicero, dissidiũ illud invexit, quasi linguæ atq; cordis: quod quã ipsi videretur, absurdum, inutile, & reprehendendum, ipse etiam alio loco, non ita multum infra, declarat, his verbis. Hæc autem, ut ex appennino fluminum, sic ex communi sapientiæ jugo sunt doctrinarum facta divortia, ut philosophi tanquam in superum mare Jonium defluerent, græcum quiddam & importuosum, Oratores autem in inferum hoc Thuscum & barbarũ scopulosum & infestum delaberentur, in quo etiam ipse Ulysses erraverit. & paulo infra. Nam, ut ante dixi, Veteres illi usque ad Socratem omnem omnium rerum, quæ ad mores, quæ ad vitam, quæ ad virtutẽ, quæ ad rẽp. pertinerẽt cognitionẽ & scientiã cũ dicẽdi ratione jungebant: sed postea cum dissociati essent, ut exposui diserti à doctis primũ à Socrate, deinde à Socraticis itẽ omnibus, philosophi eloquentiam despexerunt, Oratores sapientiam: nec quicquam ex alterius parte tetigerunt, nisi

quod

quod aut illi ab his, aut ab illis hi mutuarentur : ex quo promiſcue haurirent ſi permanere in priſtina communione voluiſſẽt. Sed ut pontifices veteres propter ſacrificiorum multitudinem tres viros epulones eſſe voluerunt, cum eſſent ipſi à Numa, ut illud etiam ludorum epulare ſacrificium facerent, inſtituti: ſic Socratici à ſe cauſarum actores atque à communi ſapientiæ nomine ſeparaverunt, cum veteres & dicendi & intelligendi mirificam ſocietatem eſſe voluiſſent. Atque hæc rurſus ſunt verba Ciceronis iterum quaſi deplorantis fœdam illam Philoſophiæ & Oratoriæ ſapientiæ & eloquentiæ ſeparationem à Socrate Socraticiſq; factam. Qua quidem nihil nec veritatis amatoribus magis contrarium, nec bonarum literarum ſapientiæq; ſtudioſis magis damnoſũ fieri potuit. Hæc enim & multorum & magnorum malorum cauſa fuit, quæ à nobis infra demonſtrabuntur. Nunc tamen illud & veterum authoritate, & Ciceronis teſtimonio conſtare volumus, Philoſophiam & Oratoriam non duas eſſe facultates ſeparatas, ſed unam eandemq; ex rebus & verbis tanquam animantem quandam ex corpore & anima compoſitam, cui à ſapientia rerum cum virtute conjuncta Philoſophiæ, ab artificio verborum & dicendi, Oratoriæ nomen fuit impoſitum: nec enim Philoſophia ſine verborum adjumento, nec Oratoria ſine rerum quaſi fundamento perfecta eſſe poteſt. Sed ex duobus imperfectis per ſe, fit unum quaſi corpus doctrinæ perfectũ, quod nullius artis aut ſcientiæ particularis proprium eſt, ſed omnium ſimul. Nam quicunq; Philoſophiam, aut Oratoriam dicit, is uno verbo omnium artium & ſcientiarum cognitionem profeſſionemq; nominat: hoc enim etiam aperte confirmat Cicero in eodem ſupra citato de Oratore libro, his verbis. Nunc ſive qui velit eum philoſophum, qui copiam nobis rerum orationiſq; tradat, per me appellet Oratorem licet, ſive hunc Oratorem, quem ego dico ſapientiam habere junctam eloquentiæ philoſophum appellare velit, non impediam, dummodo hoc conſtet, nec *infantiam* ejus, qui rem norit, ſed eam explicare dicendo non queat, nec *inſcitiam* illius cui res non ſuppetit, verba non deſunt, eſſe laudandam: quorum ſi alterum ſit optandum malim quidem in diſertam prudentiam, quam ſtultam loquacitatem: ſin quærimus quid unum excellat ex omnibus, docto Oratori palma danda eſt. Quem ſi patiuntur eundẽ eſſe philoſophum ſublata controverſia eſt: ſin eos diſiungent, hoc erunt inferiores, quod in Oratore perfecto ineſt omnis illorum ſcientia, in philoſophorum autem cognitione non continuo ineſt eloquentia, quæ quamvis contemnatur ab illis, neceſſe eſt tamen aliquem cumulum illorum artibus afferre videatur. Hæc Cicero, ex cujus ſententia clariſſime conſtat, perfectũ Oratorem & perfectã Oratoriã à perfecto philoſopho & à perfecta philoſophia nullo pacto eſſe diſiunctã,

& si disjungantur, ut initio dixi Philosophum Oratore, & Philosophiam Oratoria multis partibus inferiorem imperfectioremq; fore. Sed hic mihi fortassis occurrent Philosophi dicentes, talem Oratorem, qualem describit Cicero, hoc est, perfectum, nec unquam antea fuisse, nec in præsentia esse, nec posthac fore. Quod si mihi sic occurretur, statim respondebo, verum quidem illos fortasse dicere, sed retorquebo argumentationem in eos, & similiter dicam, nullum perfectum Philosophum aut antea fuisse, aut nunc esse, aut posthac futurum esse. & cum illi mihi ostendent Philosophũ omni ex parte perfectum, ego quoq; vicissim illis Oratorẽ undecunque consummatum inveniam: & si rursus illi proferent nobis Platonem & Aristotelem tanquã perfectos Philosophos, nos illis quoq; vicissim objiciemus Demosthenem & Ciceronẽ tanquam perfectos Oratores. Atque ita nunquam illi perfectionem ullam habere reperiẽtur, quam nos quoq; nõ vel parem vel etiam superiorem habeamus: si quidem Cicero præterquam quod Orator præstantissimus fuit, de Philosophia etiam quamplurima descripsit lectu dignissima. At ex Philosophis neminem reperies cujus quidẽ scripta extent, qui ad dicendũ in foro & apud populũ idoneus esse videatur, nam Platonis & Aristotelis oratio licet multum à Cicerone laudetur, tamen si verum dicere volumus & oratorio illo spiritu & forensibus nervis caret. Sed sint Plato & Aristoteles, quantum placet Philosophis magni & graves Oratores, quod nos non gravate concedimus, modo ut illi vicissim nobis quoq; concedant Demosthenem & Ciceronem esse Philosophos, nec sibi solis omnis Philosophiæ scientiam & totius sapientiæ studiũ vendicent. Nam constat & Demosthenem Philosophiæ perstudiosum fuisse, & Platonẽ aliquamdiu audivisse: & Ciceronem non solum dedisse operam Philosophiæ, sed de Philosophia etiã ita copiose ornateq; scripsisse, ut non immerito quodam in loco glorietur, se Philosophiam ex Græcia in Italiam attulisse, & Latinis literis illustrare. Nec quicquam refert quod nostrorum temporum Philosophi eum in numero Philosophorum non habent, nec philosophum appellare solent, cum id non ex vera & recta aliqua ratione faciant, sed ex prava institutione & judicii perversitate, quam partim ex barbarie linguæ, partim ex falsitate doctrinæ suæ contraxerunt. Hanc igitur, de qua hactenus locuti sumus, Philosophiam & sapientiam cum Oratoria & eloquentia conjunctam, ut Antiquissimi illi teste Cicerone voluerunt, nos nihil aliud esse dicimus, nisi omnia literarum studia, & universam rem literariam, & omnino totam eam facultatem & professionem, quam Græci ἐγκυκλοπαιδίαν, Latini vero circulum omnium doctrinarum vocant. Et ut jam ad generalem nostram artium & scientiarum divisionem veniam, hanc ipsam facultatem tam amplam tamque late paten-

patentem, ut omnes ſcientias, omnes artes & uno verbo, omnia quæcunque tradita ſunt in literis & ſcriptis magnitudine ſua complectatur, prima diviſione ſecamus in partes duas maximas. Quarum unam, quæ ad res vere cognoſcendas rectèque agendas pertinet veteres imitati Philoſophiam & ſapientiam nominamus, alteram vero quę ſpectat ad verba & ad totam orationis compoſitionem, appellamus Oratoriam & eloquentiam. Et rurſus priorem harum partium, hoc eſt, philoſophiam ſive ſapientiam ſubdividentes, ejus partes ponimus duas, Phyſicam ſive naturalem, & politicam ſive civilem: Oratoriam autem hoc loco relinquimus indiviſam. Ut in ſumma tres ſint maximæ totius ſtudii literarii partes, Phyſica, Politica, & Oratoria: atque ut noſtra hæc omnium artium & ſcientiarum diviſio in omnibus conveniat & concordet cũ illa veterum, quam ſupra diximus, niſi quod, ut ibidem monuimus & probavimus, quam illi Ethicen vocant, nos politicen appellandam putavimus: & rurſus quam illi græce Logicen dicunt, nos latine interpretamur Oratoriam. Sed revertentes rurſus *ad duas illas dimidias & maximas totius encyclopædiæ partes, hoc eſt, ad philoſophiam & oratoriam, ſive ſapientiam & eloquentiam*, dicimus eas partim convenire inter ſe, partim eſſe differentes. Ac conveniunt quidem primo, quia quemadmodũ totus homo compoſitus eſt ex corpore & anima, ſic univerſum literarum ſtudium conſtat ex philoſophia & oratoria, ſive ſapientia & eloquentia, tanquam ex duabus maximis partibus ſuis. Quo fit, ut quemadmodum corpus & anima totius hominis, ſic philoſophia & oratoria, ſive ſapientia & eloquentia totius ſtudii literarii ex æquo dimidiæ partes ſint: Et rurſus, ut quemadmodum corpus ab anima ſeparatum ſemper eſt imperfectum, ſic philoſophia ab oratoria ſive ſapientia ab eloquentia ſeparata nunquam perfecta eſſe poſſit. Quocirca peſſime & de literis & de literatis omnibus meriti eſſe putandi ſunt Socrates, & Plato, & quicunq; alii tam pulchram ab antiquis factam diremerunt philoſophiæ & oratoriæ ſive ſapientiæ & eloquentiæ ſocietatem. Præterea conveniunt etiam eo quod ambæ pro ſubjecto atque materia, in qua verſentur, generaliter ſibi ſubjiciunt omnes res mundi nulla prorſus excepta. Si quidem nulla omnino res eſt, quæ ſubterfugere poſſit, quin aliquãdo ſubjiciatur officio vel philoſophiæ & ſapientiæ, vel oratoriæ & eloquentiæ, hoc eſt, quam non & vere cognoſcere ac ſcire, & ſi agi aut fieri poteſt, etiam rectè agere & facere, quantum in ſe eſt, contingat: quod eſt proprium philoſophiæ & ſapientiæ officiũ & de qua non & ſermonẽ habere, beneq; dicere liceat: quod ſimiliter eſt proprium oratoriæ & eloquentiæ munus. Ex quo ſequitur poſtremo utranq; harum eſſe facultatem & profeſſionem non particularem nec ſpecialem, ſed generalem & univerſalem.

Ut quemadmodum ante monui, cum dicitur philosophia & sapientia, nullius particularis rei scientia aut actio, sed omnium : & cum proferetur Oratoria & eloquentia similiter nullius specialis rei ars, sed plane omnium intelligatur. Atq; ita conveniunt inter se philosophia & oratoria, sive sapientia & eloquentia, Differunt autem, quod quamvis ita sit, hoc est, quamvis utraque idem habens totum sit, ut ita dicam, idem toto, & omnibus in rebus tanquam in proprio subjecto atque materia versetur : tamen distant partibus, & sunt diversæ partes totius studii literarii, & rei literariæ, & diversum habent officium. Nam ut dixi, philosophiæ & sapientiæ proprium munus est, vere cognoscere ac scire, & recte agere ac facere : oratoriæ autem & eloquentiæ non solum de civilibus, sed etiam de naturalibus rebus bene loqui & dicere. Quocirca quantum distat cognoscere & scire, agere ac facere, à loquendo & dicendo, tantum philosophia & sapientia differt ab oratoria & eloquentia. Intelligendo tamen semper in prima parte philosophiæ & sapientiæ, hoc est, in Physica, quæ proprie est scientia non ars, & theorica non practica, non duas diversas res, sed unam eandemq; rem esse & officium & finem, hoc est, cognitionem & scientiã rerum Ad hunc enim finem in hac parte philosophamur, ut cognoscamus & sciamus, atque adeo sapientiam hanc non propter aliud, sed propter ipsam sapientiam quærimus. In Philosophia autem & sapientia politica & activa, duo esse officia sive duos fines, hoc est, non solum cognitionem & scientiam rerũ, sed etiam actionem & factionem rectam. In hac enim, ut perfecta sit, non solum cognoscere & scire, sed etiam agere & facere necessarium est. Ad hæc est illa quoque inter eas differentia, quod philosophia & sapientia, ex ea tantum parte qua physica est, hoc est, speculativa, proprie solummodo scientia est nõ ars, quando quidem id quod est scientiæ proprium, in cognoscendo tantũ & sciendo occupatur, nec nisi ex ea parte qua politica est & activa, quicquam agit aut facit operis externi. Oratoria vero & eloquentia tota simul & scientia & ars recte dicitur, sed scientia communiter, ars vero proprie existit, eo quia non solum cognoscit ac scit præcepta ex quibus constat, & omnia ea, de quibus loquitur, quod est scientiæ, sed etiam ex præceptis & documentis illis cognitis & scitis, quod est artis, agit & molitur aliquid operis exterioris, hoc est, & recte loquitur & bene dicit. His itaq; tot modis partim conveniunt inter se, partim differunt hæ duæ maximæ & generalissimæ omnium facultates, hoc est, philosophia & oratoria, sive sapientia & eloquentia. Ex quo facile licet intelligere, quam ob causam nulla alia facultas ac professio, præter has duas, possit esse generalis & universalis. His enim duabus exceptis nulla alia reperitur, cujus consideratio sit tam generalis tamque ad omnia pertinens, ut

philo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [282] - 214

philoſophiæ & oratoriæ, ſive ſapientiæ & eloquentiæ. Nam quæ primum in ſcientiis particularibus, quam ob cauſam Aſtrologia, exempli cauſa, & Geographia non ſint ſcientiæ generales? quia non omnia ſunt aſtra & motus aſtrorum, in quibus ſolis verſatur Aſtrologus: nec omnia ſunt provinciæ & loca terræ, quæ ſola conſiderantur à Geographo. Deinde in artibus ſpecialibus iterum quæro quam ob cauſam Medicina & Architectura non ſunt artes univerſales? quia nõ omnes res ægrotant nec curantur, ut ſubjici poſſint officio Medicinæ: nec item ædificari & conſtrui poſſunt, ut ad Architecti officiũ pertineant. Quorum nihil neq; de philoſophiæ ſive ſapientiæ, neq; de oratoriæ ſive eloquentiæ officio vere dici poteſt. Quæ eſt enim tam abſcondita tamque abſtruſa res, quam non & vere cognoſcere, & ſi agi poteſt, etiam recte agere, quantum in ſe eſt: & præterea de qua non & recte loqui & bene dicere liceat? profecto nulla. *Quod uſque adeo verum eſt, ut videamur etiam cognoſcere ac*

(Quaſi vero hoc non ſit; aut quaſi poſſit appellari problema.)

ſcire ea, quæ non ſunt, ut diametrum eſſe incommenſurabilem lateri, & de eiſdem verba facere, ut Mathematici, cum problema illud verum eſſe probant. Quare jam audacter confitendum eſt, & ſine ulla dubitatione affirmandum, Philoſophiam ſive ſapientiam, eſſe facultatem & profeſſionem generalem & univerſalem, non ſolum cognoſcendi ac ſciendi, ſed etiam agendi & faciendi omnes res mundi, tam divinas quam humanas, tam cæleſtes quam terreſtres, quantum quidem humano ingenio aſſequi licet, & rerum ipſarum natura patitur. Oratoriam autem & eloquentiam eſſe artem ſimiliter generalem & univerſalem bene loquendi ac dicendi de omnibus rebus mundi, tam divinis quam humanis, tam cœleſtibus quam terreſtribus, cum illa tamẽ eadem conditione, quantum, ſcilicet, humanum ingenium conſequi poteſt, & res ipſæ dicendi de ſe copiam ac facultatem præſtant. Cæteras vero omnes ſcientias & artes præter has duas, eſſe facultates & profeſſiones, non generales nec univerſales, ſed particulares & ſpeciales, & non in omnibus rebus, ut hæ duæ, ſed in uno tãtum certo ac determinato rerum genere verſari. Nec mihi quiſquã hic objiciat Ariſtotelem & Peripateticos, qui præter has, quas dixi, duas etiam alias facultates ponunt generales & univerſales, hoc eſt, Dialecticam & Metaphyſicam, quam vocant. Nã ego infra objectioni huic reſpondebo, cum probabo utranque earum eſſe vel falſam, vel ſupervacuam, vel inutilem, vel denique ab omni artium & ſcientiarum numero ejiciendam. Atque hoc modo nos generalem *omnium artium & ſcientiarum diviſionem primo bipartitam fecimus in Philoſophiam & Oratoriam, deinde rurſus Philoſophiam ſubdividentes in Phyſicam & Politicam: Oratoriam vero ita indiviſam relinquentes*, una cum Antiquis illis, & propter rationes illas, quos & quas ſupra diximus, totius

ſtudii

ſtudii literarii ſive *encyclopædiæ partes facimus tres, Phyſicam ſive naturalem, Politicam ſive civilem, Logicen ſive Oratoriam.* Ac denuo unanquanque harum trium partium ſubſecantes, & ſingulis multas alias partes ſubjicientes nihil omnino nec artium nec ſcientiarum nec adeo ſcriptorum relinquimus, quod non huic noſtræ diviſioni ſupponatur, aut certe quod nõ ad eam aliquo modo referatur. Ad Phyſicam enim reducuntur Theologia, Meteorologia, Geographia, & reliquæ omnes phyſiologiæ partes: Ad politicam generalem revocantur ethica, politica ſpecialis, œconomica, Jus civile, & cæteræ artes ad civitatem pertinentes: Ad Logicen ſive Oratoriam retrahuntur, Grammatica, Rhetorica, Poetica, Hiſtorice, & ſi quæ aliæ ſunt hujus generis. Sed animadvertendum eſt in hac reductione artium & ſcientiarum, fere omnes tam eas, quas dixi, quam quaſcunque alias, quales ſunt Medicina, Arithmetica, Muſica, Geometria, & cæteræ Mathematicæ vel cum Mathematicis quandam habentes conjunctionem, ut Architectura, pictura, plaſtice, & aliæ ſimiles & poſtremo omnes tam Mechanicæ appellatæ quam Liberales: fere inquam omnes non ad unam partem tantum, ſed ad duas & quandoq; etiam ad tres referri. Nã ex ea parte qua cognoſcunt & ſciunt, ſi materia, in qua cognoſcendo & ſciendo verſantur eſt naturalis, ad phyſicam, ſi civilis ad politicam, ſi oratoria ad oratoriam reducuntur. Qua vero parte agunt vel faciunt aliquid, ſi actio & factio earum non ad loquendum nec ad dicendum, ſed ad regendum & gubernandum, aut aliquid aliud moliendum pertinet, ad politicam haud dubie rediguntur. Sin vero ad loquendum & dicendum, hoc eſt, ad ſermonem habendum & orationem faciendam ſpectat, non ad politicam, ſed ad Logicam ſive Oratoriam ſive Rhetoricam ſunt reducendæ. Atq; hinc ſi materiam artium & ſcientiarum ſpectes, libri Ciceronis de Natura deorum, exempli gratia ſunt phyſici, de Legibus & de Officiis politici, de Oratore & de Arte Rhetorica, Oratorii. Sin non materiam, ſed actionem vel factionem conſideres, libri Ethicorum, politicorum, Oeconomicorum Ariſtotelis, ſine dubio ſunt politici, & ſimiliter omnes alii quaruncunque actionum & factionum ſint, modo non ad orationis artificium pertineant, indubitanter ad politicam ſunt referendi. Sed & phyſici libri, & politici, & oratorii omnes ſimul cujuſcunq; generis exiſtant & quacunq; in materia verſentur, & de qualibet actione aut factione loquantur, ſi & orationem eorum cultam, & eruditum ſcribendi artificium intueare & contempleris, omnes inquam nõ ad phyſicam, nec ad politicam, ſed ad logicam, ſive oratoriam, ſive rhetoricam facultatem pertinent. Atque in hanc ſententiam intelligenda eſt definitio noſtra Rhetoricæ, cum dicimus, Rhetoricam eſſe artem bene dicendi de omnibus rebus mundi, tam

phyſicis

physicis & politicis quam oratoriis, hoc est, non quatenus cognoscuntur & sciuntur omnes, nec quatenus reguntur & gubernantur, aut alio quopiam modo aguntur & fiunt, sed quatenus de eis loqui & bene dicere potest Orator. Hactenus enim & hoc modo non alio quopiam dicimus Oratorem suo & proprio jure loqui & dicere posse de omnibus rebus mūdi, & omnino omnia, quæcunque sunt in rerum natura oratoriæ facultati esse subjecta. Aliæ nanque scientiæ alia docēt, physica cognoscere ac scire res suas, politica præter hoc etiā agere & facere aliquid aliud, ut gubernare rem suam familiarem quod ad Oeconomicam, curare morbos quod ad Medicinam, bene respondere de jure quod ad Jus civile, & alia multa hujusmodi, quæ ad alias artes pertinent. Sola Oratoria bene loquendi ac dicendi præcepta dat, & quoniam bene loqui ac dicere de omnibus rebus contingit, idcirco non mirum est, quod ad hanc partem attinet, si & Cicero & Quintilianus atque Aristoteles omnia prorsus de quibus sermo & oratio haberi potest, Oratoriæ arti subjecerunt. Quod quanquam ita sit, tamen si politicam spectes, quatenus inter alias leges multas quas fert, etiam nonnihil sancit de oratoriæ facultate, ut cum statuit accusatori ac defensori quot horas utrique liceat dicere, non immerito, ut alia ratione ipsa est oratoriæ arti subjecta tanquam materia, sic vicissim hanc eandem Oratoriam sibimetipsi subjicere, & tanquam partem sui quādam videtur. ut omnino nihil sit absurdi, si dicatur artes & scientias sibi nonnunquam invicem, sed alia atque alia ratione subjectas esse. Quibus ita explicatis & vera ac generali omnium artium ac scientiarum divisione nostra facta, non difficile fuerit ostendere divisionem illam totius Philosophiæ, quam supra posuimus, ab Aristotele & peripateticis factam, multis, ut diximus, scatere vitiis, & pluribus obnoxiam esse reprehensionibus. Quod in sequenti Capite, quam brevissime fieri poterit, ostendetur.

CAPUT QUARTUM.

De erratis Peripateticorum in generali Philosophiæ divisione admissis.

PEripatetici igitur primum, quod facturi partitionem omnium scientiarum sola Philosophiæ nulla Oratoriæ mentione facta divisionem se facturos pollicentur, non recte faciunt, sed vehementer errant, eo quod statim eloquentiam à sapientia, & ut Cicero inquit, quasi linguam à corde *separare* incipiunt, pessime & imperitissime collocantes Oratoriam, quam Rhetoricam vocant, in fine divisionis suæ tanquam Logicæ

(Non separant, sed sub ea comprehendunt)

particulam & quasi famulam, cum ut nos supra diximus & infra probabimus, non Logicæ particula sit, sed tota Logica, & vere totius studii litterarii universæque ejus, quam vocant encyclopædiam, dimidia pars: tam Philosophiæ, hoc est, rerum scientiæ & actioni, ex altera parte respondens: tum Grammaticam sub se tanquam particulam quandam sui continens: tum Dialecticæ ejus, quæ nunc in usu est, utpote falsæ & supervacuæ, nihil indigens, ut paulo infra demonstrabimus Sic igitur Pseudophilosophi cum primo dividerent omnes scientias & artes erraverunt, eloquentiam à sapientia, & quasi linguam à corde, separantes. Quem errorem nos vitantes non philosophiam solam, sed universum studium literarum, atque adeo circulum ipsum doctrinarum omnium divisimus, in Philosophiam & Oratoriam: ut quemadmodum diximus in homine esse corpus & animam, sic in omni studio literarum sit sapientia & eloquentia, & sapientia corpori, eloquentia vero animæ proportione respondeat. Alter vero error divisionis Adversariorum est, quod statim dividunt Philosophiam totam, in Theoricen & practicen, hoc est, in contemplativam & activam: & rursus Theoricen, in Metaphysicam, Mathematicam, & Physicam sive Physiologiam: Practicen vero in Ethicen, Politicen, & Oeconomicen: Quasi non & tres istæ inferiores magna ex parte sint Theoricæ, & ex tribus illis superioribus non & pene tota mathematica, & non parva etiam physiologiæ pars sit activa. Nam quod attinet ad primam illorum divisionem in theoricen & practicen, quamvis hujusmodi divisio longe discrepet ab ea, quam Antiqui ante Aristotelem fecerunt, in physicen, ethicen, & logicen, ut diximus, esset ea tamen non omnino mala, si partes, quæ utrique subjiciuntur, non partim essent falsæ, partim male subjectæ. Sed nos Theologiam primum à Metaphysica separamus, eo quod Theologiam, quæ de Deo Opt. Max. rebusque divinis recte loquitur, & veram & totam Theoricam esse confitemur. *Metaphysicam vero partim falsam, partim supervacaneam*, & non necessariam

(Quidni detur Cognitio de universo genere rerum?)

esse affirmamus, atq; ideo in numerum verarum & necessariarum scientiarum non recipiendam, ut infra in capite ad hanc unam rem probandam destinato probabitur. De Mathematica & physiologia, dico eas non minus practicas quàm theoricas esse, atq; ideo sub solam theoricæ philosophiæ partem non recte fuisse subjectas. Nam ut à Mathematica incipiam, quis nescit vel solas vel primas Mathematicæ partes esse Geometriam & Arithmeticam? At in Geometria sunt, ut ex Euclide notum est, *non solum Theoremata*, hoc est, ut Cicero vertit, præcepta, sive, ut alii, speculationes, quæ eam sine dubio esse Theoricam probant: *sed etiam problemata*, quę docent facere aliquid, ut supra datam lineam

(Problemata omnia ad theoremata reduxit Ramus.)

triangu-

triangulum æquilaterum conſtituere, & alia multa id genus ex quibus Geometria non ſolum ſcientia & theorica, ſed etiam ars & practica, atq; in ſumma non ſolum cognoſcens & ſciens, ſed etiam agens & faciens aliquid eſſe convincitur. Similiterq; Arithmetica cognoſcit illa quidem & ſcit numeros numerorumq; affectiones, ex quo theorica probatur: ſed præterea etiam componit, ſubtrahit, multiplicat, & dividit numeros tam integros quàm fractos, & radices, quas vocant, & alia multa agit facitq;, quibus non poteſt etiam eſſe ars practica, & ad agendum faciendūq; aliquid comparata. Ut taceam interim utriuſq; nomina, quæ utranq; non ſolum theoricam, ſed etiam practicam eſſe demonſtrant: Arithmetica enim dicta eſt, ἀπὸ τῆ ἀριθμεῖν, hoc eſt, à numerando: Geometria ἀπὸ τῆ γεωμετρεῖν, hoc eſt, à terra metienda: at numerare & exercere numēros, & terram aliaq, omnia ut ita dicam, metibilia metiri, non theoricæ ſed practicæ videtur eſſe officium. Quare Arithmetica & Geometria non minus practicæ quam theoricæ ſunt exiſtimandæ. Quod idem atque adeo multo magis de Muſica & Aſtrologia ſentiendum eſt, cum ipſæ quoq; magna ex parte in agendo, hoc eſt, canendo, & rebus futuris prædicendis verſetur. Quanquam ego partem illam Aſtrologiæ totam quæ ad agendum, hoc eſt, ad divinandum, reſq; futuras prædicendas pertinet, totam improbo atq; rejicio tanquam falſam & ad decipiendos deludendoſq; homines comparatam. Propter has igitur cauſas Mathematica ſolius Philoſophiæ theoricæ pars non recte fuit poſita. Jam vero quis neſcit bonam Medicinæ partem eſſe naturalem ac theoricam? & propterea ab ipſis Medicis appellari Phyſiologicen, ut de elementis, de temperamentis, de virtutibus naturalibus, & cæteris hujuſmodi: & tamen nemo niſi planè imperitus dixerit, Medicinam eſſe theoricam quam practicā. Quare non recte Ariſtoteles phyſicas ſcientias, in quarum numero eſt Medicina, in parte tantū theorica philoſophiæ collocavit, cum conſtet eam, quoq; eſſe phyſicam, & tamen non minus in parte activa quam in parte theorica eſſe ſtatuendam, ſi quidem eſt ars, & omnis ars proprie eſt activa, atq; ad agendum faciendumve aliquid, ut ante dixi, deſtinata. Quod autem ſpectat ad Ethicam, Politicam, & Oeconomicā, cum hæ quoq; ſint artes, ad bene faciendū aliquid inventæ, & ethica ad bene vivendum, ſeq; ipſum recte gubernandum, & politica ad rempublicam ſalubriter utiliterq; adminiſtrandā, & œconomica ad rem familiarem regendam tuendamque, cum inquam, ut dixi, tres hæ ſint artes ad aliquid agendum vel faciendum comparatæ, & cum omnes artes, ut ſupra docui, ſint ſcientiæ quædam præceptis documentiſq;, quæ ſciuntur, conſtantes: quomodo poſſunt ethica, politica, & œconomica non eſſe ſcientiæ? & ſi ſunt ſcientiæ, quomodo non ſunt theoricæ & contemplativæ? certe ſi ſcientia à

nobis ſupra recte fuit definita, eſſe cognitio quędam rei vel rerum ſcitu dignarum, cognitu difficilium, & vulgo ignotarum, non poſſunt hæ, quas dixi, tres artes, non inter ſcientias & in parte ſcientiarum theorica numerari. Omnis enim ars proprie quatenus ars eſt, neceſſario agit vel facit aliquid, atq; ideo activa vel factiva dici poteſt: quatenus vero eadem cognoſcit & ſcit præcepta ex quibus conſtat, & ea præcepta ſunt ſcitu digna, cognitu difficilia, & vulgo ignota: quibus ſciendis & cognoſcendis homo contemplatur & delectatur, quatenus inquam ita eſt, non poteſt ars omnis proprie non eſſe theorica & contemplativa, ſi quidem neceſſario intelligimus, cum artem dicimus, actionem vel factionem quandam, cum vero ſcientiam proferimus, ſpeculationem & contemplationem aliquam, accipiendo tamē tam artem quam ſciētiam proprie, ut ante diximus. Quare concludo Ethicam, Politicam, & Oeconomicam ex ea parte, qua agunt vel faciunt aliquid, eſſe quidem artes & activas: Sed ex ea parte qua præceptorum & documentorum ſcientiam continēt, non poſſe non eſſe contemplativas & theoricas. Omnis enim ſcientia, quatenus ſcientia eſt, neceſſario cum theorica quadam & contemplatione conjuncta eſt, & propter hanc cauſam Ariſtoteles rurſus non recte exiſtimavit, ethicam, politicam, & œconomicam inter activas tantum ſcientias eſſe numerandas, & in parte philoſophiæ practica ſolū collocandas, cum ſaltem ex dimidia ſui parte theoricæ ſint & contemplativæ. Ut quemadmodū dicimus Medicinā theoricam & medicinam practicam, ſic etiam recte dici poſſit, ethica theorica, ethica practica, politica theorica politica practica, œconomica theorica œconomica practica: non enim eſt major ratio ulla, cur theorica & practica de medicina dici poſſit, de ethica autem, politica, & œconomica dici non poſſit: cum omnes æque ſint ſcientiæ & artes, nec quicquam differat in Medicina, ſive dicas medicinam theoricam ſive medicinam ſcientiam, medicinam practicā ſive medicinam artem: & in illis ſive proferas ethicam theoricam ſive ethicam ſcientiam, ethicam practicam ſive ethicam artem, eodemq; modo in aliis. Quod autem iidem Adverſarii in diviſione ſua ad eas, quas ſupra diximus, theoricæ & practicæ philoſophiæ partes adjunxerunt etiam Logicen, & Logicæ ſubjecerunt Grammaticam, Dialecticam, & Rhetoricam, tanquam tres artes inter ſe diverſas: in hac quoq; adjunctione & ejus ſubdiviſione, multa admiſerunt errata. Et primum quia cum Veteres, ut ſupra dixi, ante Ariſtotelem recte diviſerint totam Philoſophiam, in Phyſicen, Ethicen, & Logicen, nulla neq; theoricæ neq; practicæ mentione facta attamen iſti non ſolum non recte theoricen & practicen adjunxerunt, ut ſupra oſtendi, ſed etiam falſō exiſtimaverunt Logicen dictam ab eo quod eſt λόγος, ut ſignificat non ſermonem

& ora-

& orationem, sed rationem, quod supra falsum à nobis demonstratum fuit. Alterum vero erratum eorum est, quod cum totam Philosophiam divisissent, in theoricen & practicē, & his duabus partibus postea addidissent logicen, tamen hanc ipsam logicen nec theoricæ nec practicæ philosophiæ subjecerunt, sed tanquā nec theorica nec practica esset, per se ipsam rejecerunt in tertium quendam quasi philosophiæ angulum. Cum tamen constet logicen nō minus esse tum theoricam tum practicam, quam mathematicam & ethicam, & cæteras, quas supra dixi: si quidem ipsi Logici sive Dialectici præsertim juniores nusquam non inculcant Logicam duplicem esse, docentem alteram, alteram utentem: sic enim ipsi loquuntur, qua divisione aut nesciunt quid dicant, aut hoc dicere volunt, Logicam alteram esse theoricam, alteram practicam: ut idē sit dictu, logica docens & logica theorica, logica utens & logica practica. Quanquam nemo nisi plane imperitus & Dialecticus ita diceret, *logicam docentem, & logicam utentem*, sed vel logicam theoricam & logicam practicam, ut medicinam theoricam & medicinā practicam: vel logicam scientiam & logicam artem, ut medicinam scientiam & medicinam artem, quemadmodū nos supra docuimus. Quocirca non parum hoc quoque nomine sunt coarguendi quod logicen nec theoricæ nec practicæ Philosophiæ subjecerunt, quasi scientia aliqua aut ars esse possit, quæ nec theorica sit nec practica. Et hoc majori reprehensione digni sunt, quod cū logicen à theorica & practica philosophia omnino separavissent: tamen postea tanquā immemores sui, & docentem & utentem fecerunt, non intelligentes hoc modo fieri, ut simul & semel, & theorica & non theorica, & activa & non activa esse videatur. Quod vitium nos vitantes divisionem illam philosophiæ in theoricam & practicam omisimus, ac docuimus inter scientias & artes proprie hanc esse differentiam, ut scientiæ omnes puræ, scilicet, & propriæ tantummodo sint theoricæ, artes vero simul & theoricæ & practicæ dici possint. Præter hæc autem, quæ hactenus dixi, divisionis Adversariorum errata, sunt etiam aliquot alia multo majora, quorum unum est, quia Metaphysicam, quæ falsa est & supervacua, ut ostendemus infra, tanquam veram & necessariam philosophiæ theoricæ partem primam fecerunt. Alteram quia sub Logicen unà cum Grammatica & Rhetorica subjecerunt etiam Dialecticen, quæ similiter, ut Metaphysica, nec vera est nec necessaria quodque peius est nullum nec inter artes nec inter scientias potest habere locum, ut in sequenti capite probabimus. Tertium quia Grammaticen posuerunt tanquam artem per se, & non solum à Dialectica, sed etiam à Rhetorica separatā: cum nō ars per se, nec à Rhetorica separata, sed Rhetoricæ elocutionis particula quædam sit, ut in capite de Grammatica probaturi sumus.

(Id est logicæ doctrinam & usum.)

Quartum & ultimum quia Rhetoricam impudenter & contra omnem rationē Dialecticæ partem & quaſi famulam fecerunt, & eidem relinquentes tantummodo eloquutionē & ornatum cultumq; orationis, majore etiam impudentia & malignitate ademerunt, inventionem, argumenta, & argumentationes, & omnino omnem diſputandi, diſſerendi, ac probandi proprietatem. Perinde quaſi hæc omnia ad Dialecticos proprie ſolum pertinerent, non ad Oratores: & quaſi cū aliquid invenire, ac per argumenta argumentationemq; probare, & omnino cum diſſerere & diſputare vult Orator, neceſſe haberet horū faciēdorum præcepta à Dialecticis mutuari. Quæ omnia quoniam ſunt falſiſſima & abſurdiſſima, & multis verbis longeq; oratione ad explicandum refutandumque egent, idcirco in ſequentia capita mihi viſa ſunt referenda. Illud tamen hic Lectores admonere volo, quod ſupra dicere oblitus fueram. In eo etiam Peripateticos valde erraſſe, quod Theologiam & totam eam partem Philoſophiæ, quæ de Deo & reliquis ſubſtantiis ſeparatis loquitur, à Phyſica ſeparaverunt, & phyſicam nullo pacto eſſe voluerunt: prorſus & contra authoritatem Platonis, & Veterum illorum Græcorum, qui ante Ariſtotelem philoſophiam diviſerunt, ac phyſicæ nomine etiam ſcientiam de Deo rebuſque divinis intellexerunt, & contra veritatem, eo quia Deus & divina omnia vere ſunt res naturales. Id quod manifeſte liquet eſſe verum ex communi linguarum uſu, tam Græcæ quam Latinæ. Ac græce quidem propter authoritatem illorum veterum, quos dixi, latinæ autem propter teſtimonium Ciceronis, qui libros in quibus fere totis erat locuturus de Deo rebuſque divinis, inſcripſit de Natura Deorum. Quod ſi naturæ nomine Deus & divina omnia apud Latinos non poſſent intelligi, ſequeretur Ciceronem in illa inſcriptione non latine locutum fuiſſe. Quod cum ſit abſurdum, pro certo habeant recte philoſophaturi, & nos recte Theologiam Phyſicæ ſubjeciſſe: & Ariſtotelem, qui Theologiam à Phyſica ſeparavit, vehementer erraſſe: Ut in ſubjecta generalis noſtræ diviſionis deſcriptione clare videre licet.

Univerſum rei literariæ ſtudium.
Circulus doctrinarum omnium.
Encyclopædia.

Philoſophia ſive ſapientia.		Logica ſive Oratoria ſive Rhetorica ſive Eloquentia.
Phyſica ſive naturalis	Politica ſive civilis	

CAPUT

CAPUT QUINTUM.

Dialecticam inter scientias & artes nec ut universalem nec ut particularem ullum omnino locum habere posse, sed tanquam non modo falsam, sed etiam inutilem & supervacuam ex omni artium & scientiarum numero ejiciendam.

DE falsitate Dialecticæ, nihil hoc capite sumus locuturi, cum id & antea fecerimus fere in omnibus supra positis capitibus & infra etiam fere in omnibus, quæ sequuntur, facturi sumus. Sed tantum ostensuri Dialecticam tanquam omni prorsus propria materia carentem, & nullum proprium officium, nullumque peculiarem finem habentem nec inter scientias nec inter artes ullum locum habere posse: eo quia nec definiri, nec distingui ab aliis scientiis, atque artibus queat: & propterea tanquam supervacuam & inutilem ab omni scientiarum atque artium numero ejiciendam. Quod statim ut appareat verius esse quam quæ ut apud Sagram, ut dicitur, primum ita statuo, ad hoc, ut aliqua scientia atque facultas vere in artium genere sit, & artis nomen vere sibi possit vendicare, necessarium esse, ut tria hæc habeat, quemadmodum supra dixi in omni arte requisita, materiam, in qua versetur agendo vel faciendo aliquid, officium, quod præstare debeat, finem propter quem agat vel faciat. Sine quibus tribus ne cogitari quidem potest, quomodo ars aliqua vere possit consistere. Sic enim ut rectissime Cicero docet in primo de Inventione, Medicinæ materia sunt morbi & vulnera, officium bene curare, finis sanare. Et ut idem in libris de Oratore asserit, nec Aristoteles in Rhetoricis negat, Rhetoricæ materia sunt omnes res mundi, officium bene dicere, finis probando vel persuadendo, hoc est, bene dicendo assequi quod intendas: & ita in cæteris omnibus artibus, ut supra diximus. Quare si Dialectica vere est ars & inter artes merito numeranda, oportet ut tria hæc habeat, materiam, officium, & finem: quorum nullum vere eam habere, statim hic probaturi sumus. Nam quod ad materiam attinet, Aristoteles quidem, quemadmodum Rhetoricæ, sic etiam Dialecticæ subjicit omnes res mundi. In primo enim Rhetoricæ an utranque in nullo determinato genere versari, sed de omnibus rebus generaliter esse, & de nulla privatim. Quare quod ad materiam attinet, Dialectica, ex Aristotelis sententia, nihil differt à Rhetorica, ut necesse sit si volumus eam definire & à Rhetorica distinguere; omnis ejus definitio & distinctio ab officio & à fine

(Subjectum dialecticæ est cogitatio, Rhetoricæ sermo Quia autem sermo & cogitatio omnium rerum est, contingit & dialecticam & Rhetoricam omnium rerum esse.)

ſumatur. Nam iis, qui non omnes, ſed certas quaſdam materias Dialecticæ ſubjiciunt, poſtea reſpondebimus, & errorem illorum refutabimus. Sed de officio & fine Dialecticæ, nec Ariſtoteles nec quiſquam Veterum, quod ſciam, ſatis aperte ſcripſit, quodnam eſſet ejus proprium officium, & qui proprius finis. Ariſtoteles enim in loco ſupra citato, de officio Dialecticæ nullam facit mentionem, ſed tantum de officio Rhetoricę loquens, non videtur diſtinguere officium artium à finibus earum: Si quidem ait, Medicinæ non eſſe ſanitatem inducere, ſed quo ad ejus fieri poſſit, eo uſque perducere, cum fieri poſſit, ut etiam ii, qui nullo modo ſanari poſſunt, bene tamen curentur. At ego contra adverſus Ariſtotelem, unà cum Cicerone dico, Medicinæ ſive Medici officiũ eſſe bene curare, finem autem ſanitatem inducere: quod ſi Medicus bene curet, & officium ſuum diligenter præſtet, etiam ſi non ſanet, nec finem ſuum aſſequatur, non propterea tamen debita laude carere debet, nec minus bonus Medicus eſt exiſtimandus. Artifex enim officium artis ſuæ præſtare tenetur, non finem. Itaq; Medicus modo bene curet, & ſecundum artem nihil eorum, quæ ad curationem pertinent prætereat, quamvis propter malignitatẽ morbi vel quampiam aliam cauſam, non ſanet, non eſt vituperandus: Sicut nec gubernator navis, qui navem bene gubernat, ſed propter vim tempeſtatis in portum pervenire non poteſt: nec Imperator belli, qui aciem ſuam perite inſtruit & ea omnia facit quæ facere debet, ſed vel propter imbecillitatem militum, vel propter alium quempiam fortuitum caſum, amittit pugnam. Quæ ſi Ariſtoteles intellexiſſet, nunquam profecto dixiſſet, Medicinæ non eſſe ſanitatem inducere: nec addidiſſet, quo ad ejus fieri poſſit, eo uſq; perducere: ſed prius finem Medicinæ ab officio diſtinxiſſet, deinde admonuiſſet, Medicinę officiũ eſſe bene curare, finem autem ſanare. Eſt enim revera Medicinæ ſanitatem inducere, ſed finis non officium, atq; ideo Medicus eum præſtare non tenetur. Quod autem addit, quoad fieri poſſit, eouſq; perducere, non officium eſt Rhetoricæ privatum, ut ille putat, ſed commune omnium artium: omnes enim artes tenentur facere id quod poſſunt, ſed aliud aliæ faciunt. Itaq; & Medicina bene curare, & Rhetorica bene dicere, & omnes aliæ artes quod eſt ſuum proprium munus facere debent. Quare Ariſtoteles in eo, quem dixi, loco de materia quidem Rhetorica, recte ſenſit cum ei ſubjecit omnia: revera enim Orator ex ſuo & proprio jure de omnibus rebus loqui & dicere poteſt, ut & Cicero in primo de Oratore, & Quintilianus in ſecundo oratoriarum Inſtitutionum in capite de materia artis, apertiſſime teſtatur. Verum idem Ariſtoteles de officio & fine, tum ejuſdem tum etiam Dialecticæ non ita recte: quia non ſatis diſtinxit finem artis ab officio, nec intellexit artium quodnam eſſet

proprium

proprium officium, & qui proprius finis. Quo factum fuit, ut quamvis de materia Dialecticæ satis aperte locutus sit, tamen de officio & fine ejus nihil potuerit definire. Quamobrem & veteres Peripatetici, ut Alexander Aphrodisiensis super primo Topicorum, & Severinus Boethius in quarto de Differentiis topicis, & ex recentioribus Dialecticis nonnulli, ut Rodulphus Agricola in secundo de Dialectica inventione, & Joachimus Perionius in primo Dialecticæ suæ, & aliquot alii multum laborasse reperiuntur in assignando vero officio & vero fine Dialecticæ, & in statuenda differentia vera, quæ sit inter Dialecticam & Rhetoricam. Nec tamen quisquam eorum adhuc quicquam profecit: partim quia ignoraverunt quodnam esset proprium officium, & quinam proprius finis artium, partim quia ignoratis veris discriminibus, quibus artes inter se vere distinguuntur, secuti sunt non veras differentias & meras nugas: partim etiam quod verius est, quia Dialecticam, quæ ars non est, tanquam si vera ars esset, à Rhetorica incassum distinguere conabantur. Quæ ut omnes luce clarius vera esse possint intelligere, breviter simul exponam omnes illorum differentias, & eadem brevitate expositas omnes refutabo, ut appareat Dialecticam inopia veri & proprii officii, veri & proprii finis, nec definiri, nec ab aliis artibus distingui, nec omnino inter artes locum ullum habere posse. Primum igitur ut omnes istorum differentias, quæ multæ & variæ sunt, ad certa capita redigam: In summa dico eos ex octo locis sive capitibus Dialecticam à Rhetorica distinguere conari: quorum primus est à materia utriusque, secundus à quæstionibus, tertius ab instrumentis, quartus ab usu, quintus ab officio, sextus à fine, septimus à definitione, octavus à modo considerandi. Ac quod attinet ad primum locum ajunt Materiam Dialecticæ esse omnes res præsertim naturales & subtiliores, Rhetoricæ autem res civiles & quasi crassiores. Quæ prima differentia statim falsa esse convincitur, quia est non solum contra veritatem, sed etiam contra Aristotelem: nanque ut vere inquit Cicero in primo de Oratore, & Quintilianus in secundo oratoriarum Institutionum in capite de materia artis, Oratoris materia sunt omnes prorsus res mundi, tam naturales quam civiles, tam subtiliores quam crassiores, nulla prorsus excepta Id quod etiam ante Ciceronem & Quintilianum, dixerat Aristoteles in primo Rhetoricæ, scribens Rhetoricam quemadmodum & Dialecticam nullius esse determinati generis subjecti, sed prorsus omnium, ac versari omnibus in rebus nulla addita exceptione neq; naturaliũ neq; subtiliorum, neque ullius generis. Quamobrem quicunq; Oratori sic assignat certum aliquod rerum genus, ut ab eo removeat reliqua omnia rerum genera, is non solum sententiæ præstantissimorum Oratorum & veritati, sed etiam

Aristotelis opinioni manifeste adversatur. Aristoteles enim cum omnia subjicit Oratori, nihil excipit, nec in una eum materia magis proprie, aut magis frequenter versari dicit quam in alia. Cujus contrarium nescio unde isti Philosophastri aut quomodo somniarint. Quocirca ex parte materiæ nullum potest inter Dialecticam & Rhetoricam verum discrimen assignari: atq; hoc modo sublata est prima illorum differentia, quæ etiam tunc clarius apparebit esse falsa, cum responderimus iis, quæ contra nos fortasse dici possent. Secunda vero differentia, quæ à quæstionibus sumitur, talis est, aiunt ad Dialecticam pertinere quæstiones infinitas & universales, quas Græci Theses appellant: ad Rhetoricam vero quæstiones finitas & particulares, quæ ab eisdem vocantur Hypotheses. Sed hæc quoque differentia ad materiam videtur pertinere: theses enim sunt quasi materiæ quædam universales, hypotheses autem particulares, atque ideo eodem modo quo superior illa refutatur. Nam & Aristoteles cum omnia subjiceret Oratori, ut supra diximus, non potuit non eidem etiam subjicere quæstiones tam universales quam particulares, tam theses quam hypotheses: & Cicero quamvis in primo de Inventione, cum etiam tum esset junior, secutus Hermagoram, dixerit Rhetoricam civilis scientiæ partem esse, & thesim nihil ad Oratorem pertinere; tamen postea factus senior, ut recte inquit Quintilianus, opinionem illam improbavit, & tam thesim quam hypothesim Oratoris esse voluit. Verba Quintiliani in tertio Oratoriarum Institutionum, capite, Quibus contineatur omnis ratio dicendi, cum de Hermagora loqueretur, hæc sunt, Cum sicut ex Ciceronis quoq; Rhetorico primo manifestum est materiam Rhetorices in theses & causas divisserit. Quod reprehendit Cicero, ac thesim nihil ad Oratorem pertinere contendit, totũq; hoc genus quæstionis ad Philosophos refert. Sed me liberavit respondendi verecundia & quod ipse hos libros improbat & quod in Oratore atq; iis, quos de Oratore scripsit libris & Topicis præcipit, ut à propriis personis & temporibus avocemus controversiam, quia latius liceat dicere de genere quam de specie, & quod in universo probatum sit, id in parte probatum esse necesse sit. Hæc Quintilianus, qui priorem illam Ciceronis opinionem usque adeo non probavit, ut quodammodo ei subirascatur, quod illam sibi excidere esset passus, & deposita verecundia illi se responsurum fuisse dicat, nisi postea correxisset errorem suum. Quocirca hoc pro certo habendum est, tam theses sive quæstiones infinitas, quam hypotheses sive quæstiones finitas ad Oratorem vere pertinere. Idq; non solum ex sententia summorum Oratorum, sed etiam Aristotelis, ut dixi. Et præterea quoniam æque absurdum & ridiculum est, concedere Oratori hypotheses sive quæstiones finitas, deinde eidẽ negare theses

sive

sive quæstiones infinitas: ut si quis diceret, tertianæ aut quartanæ curationem ad Medicum pertinere, febris autem vel morbi, quæ tertianæ & quartanæ genera sunt, non pertinere. Eodem enim modo thesis sive quæstio infinita sub se continet hypothesin sive quæstionem finitam, sicut febris vel morbus tertianam & quartanam. Quamobrem qui concedit hypotheses & quæstiones finitas Oratori, & eidem negat theses & quæstiones infinitas: perinde absurde & ridicule facit, ut si Medico curationem tertianæ & quartanæ tribueret, febris autē & morbi adimeret. Et deniq; ut si ad quem totū pertinet, ad eundē negaret partem pertinere, quo nihil dici potest magis absurdum aut magis ridiculum. Itaq; nullo pacto dubitandum est, quin ex sententia tam Aristotelis, ut dixi, quam summorum Oratorum, tam theses quam hypotheses, tam quæstiones infinitæ & universales quam finitæ & particulares ad Oratorem pertineant. Tertia autem differentia ab instrumentis ducta hæc est, Dialecticam ajunt integris syllogismis & inductionibus in disputationibus suis uti, Rhetoricam vero enthymematum & exemplorum brevitate, ut inquit Boethius, esse contentam. Cujus differentiæ author fuit non Dialecticus quispiam ignobilis, sed Aristoteles ipse, qui in summa quatuor posuit argumētandi modos, syllogismum, inductionem, enthymema, & exemplum: & eos ita partitus est, ut duas perfectiores argumentationes Dialectico assignaret, syllogismum & inductionem, Oratori autem enthymema & exemplum, tanquam imperfectiores argumentationes, & quasi fecem argumentationum relinqueret. Qua quidem in re non solum mendax & falsidicus, sed etiam malignus & veterator deprehenditur. Mos enim fuit ejus, in scriptis suis, ubicunque posset etiam contra manifestam veritatem, ut semper multum tribueret Dialecticæ ac Dialecticis suis, Rhetoricæ autem & Rhetoribus, quorum erat Adversarius, derogaret atque detraheret. Ut hoc loco in assignandis argumentationibus, & alibi non uno in loco, Rhetoricam Dialecticæ subjiciens, & illius quasi famulam pedisequamq; faciens. Sed non quemadmodum alii pene omnibus paulo inconsideratioribus ante nos, sic etiam nobis imposuit Aristoteles: Agnovimus enim ejus malignitatem & vafritiam, atq; ideo eam omnibus detegentes & aperientes, dicimus, istam illius argumentationū partitionem esse falsissimam, ac primum quia syllogismus & inductio argumentationes sunt ad Oratorem non minus pertinentes quam ad Dialecticum, id quod statim probatur ex Cicerone in primo de Inventione, qui tantum abest ut syllogismum & inductionem ab Oratore removeat, ut contra potius affirmet, omnem argumentationem Oratoriam tractari per ratiocinationem, hoc est, syllogismum & inductionem: de enthymemate vero & exemplo tanquā de argumentatio-

nibus Oratoriis nullam omnino faciat mentionem. Neque ſolum Cicero ſed etiam Georgius Trapezuntius in tertio Rhetoricorum ponit decem argumentationum Oratoriarum modos, & inter eos vel maxime numerat ratiocinationem & inductionem, cum tamen in eis nec enthymematis nec exempli nomen uſquam legatur. Nec mirum, cum revera enthymema & exemplum, non argumentationes, ſed argumenta ſint. Itaq; & Cicero, & Trapezuntius, & Hermogenes enthymemata & exempla non inter argumentationes, ſed inter argumenta rhetorica referunt. Et Ariſtoteles ipſe in ſecundo Rhetorices, tradit locos enthymematum Rhetoricorum, hoc eſt argumentorum non argumentationum, & communiter loquentes dicimus, argumentum ab exemplo, non argumentationem ab exemplo. Accipiendo tamen argumentationem proprie pro argumenti explicatione per orationem, & enthymema communiter, ut apud Græcos idem ſit enthymema, quod argumentum apud Latinos, & ut enthymema dicatur ἀπὸ τοῦ ἐνθυμεῖσθαι, quod eſt, acute excogitare, & enthymema nihil aliud ſit, niſi argumentum acute excogitatum, Non ἀπὸ τοῦ ἐνθυμεῖσθαι quod ſit quaſi ἐνθυμῷ retinere, ut nugantur imperiti Philoſophaſtri, putantes enthymema eſſe ſyllogiſmum imperfectum, & ex duabus tantum propoſitionibus conſtantem, eo quod una, ut ipſi dicunt, in animo retineatur. Quæ quidem etymologia prorſus eſt ſophiſtica falſa & vana, non ab Ariſtotele (nam Ariſtoteles nullo loco id dicit, & tale enthymema aperte nuſquam facere docet) ſed ab imperitis quibuſdam & loquacibus Pſeudophiloſophis Græculis excogitata. Præterea hoc idem & quotidiana experientia, & doctiſſimorum hominum ſcripta comprobant. Lege totum vel Ciceronem, vel Demoſthenem, non minus ſyllogiſmos & inductiones cum opus eſt, apud eos reperies quam apud Philoſophos. Item lege ſi placet, totum vel Platonem vel Ariſtotelem ſimiliter apud eos vix unquam invenies ullum ſyllogiſmum tripartitum & perfectum, ſed fere ſemper ſyllogiſmos bipartitos & imperfectos, hoc eſt, eo modo, quo Dialectici intelligunt enthymemata, ex duabus tantum propoſitionibus facta. Quocirca valde mirum eſt, quæ dementia, vel potius quæ inſania vexarit primum Ariſtotelem, ut eas argumentationes ab Oratoribus removeret, quas ipſi tanquam proprias ſibi vendicãt, & quibus quotidie cum opus eſt utuntur, hoc eſt, ſyllogiſmum & inductionem: eas vero quas ipſi non agnoſcunt pro argumentationibus, & quæ revera non ſunt argumentationes, eiſdem attribueret: hoc eſt, enthymema & exemplum. Deinde omnes eos, qui iſtas Ariſtotelis ineptias & dementias legentes non ſolum crediderunt eſſe veras, ſed etiam ſcriptis in illas bene longis & verboſis commentariis approbaverunt, & aliis credenda perſuaſerunt. Sed dici non poteſt quantum

erroris

erroris & cæcitatis hactenus versatum est in scholis non solum Dialecticorum sed etiam Philosophorum. Quare nos unà cum Laurentio Valla, & Rodulpho Agricola, rejectis & explosis omnibus istis Philosophastrorum insaniis, dicimus & affirmamus omnes argumentationes tam perfectas quàm imperfectas, sine ulla exceptione aut differentia esse omnium scriptorum atq; artium communes, sic ut tam Orator quàm Philosophus communiter uti omnibus possit, cum opus est, & cum eloquendi ratio id postulat. Verba Laurentii Vallæ in proœmio secundi libri Dialecticæ suæ, hæc sunt, Dialectici est syllogismo uti, quid non Orator eodem utitur? immo utitur, nec eo solo, verum etiam enthymemate & epichiremate, adde etiam inductionem. Sed vide quid interest: Dialecticus utitur nudo (ut sic loquar) syllogismo, orator autem vestito armatoq; auro & purpura ac gemmis ornato: ut multæ sint ei, & magnæ præceptorum comparandæ divitiæ, si videri volet Orator, Dialecticum prope dixerim paupertas decet. Rodulphus vero in secundo suo de Dialectica Inventione libro cap. XIV. ita inquit, Nihil ergo est quod quisquam putet certis artium generibus has vel illas argumentandi formas addici posse, rerum ipsa præsens conditio, ut quæq; est diligentius & constantius affirmanda consilium præbebit. Et quemadmodum in plerisque rebus semel potest in perpetuum præcipi quid fieri oporteat, sic in hac ut in aliis multis, hoc solum perpetuum est, quod perpetuum statui nihil potest. Hæc Rodulphus, qui multis ante nos annis præviderat istam argumentationum partitionem ab Aristotele factam, esse falsam & ridiculam, atque idcirco ea, quæ dixi, verba pluris veritatem quàm Aristotelem faciens monumentis literarum mandavit. Nam per Deos immortales, quænam ratio unquam satis idonea afferri poterit, quamobrem & Orator syllogismo & inductione, & philosophus enthymemate & exẽplo privandus esse videatur? profecto nunquam ulla. Quare desinant Dialectici & Philosophastri posthac nugari & garrire, nec aut syllogismos perfectos & inductiones Oratori, nec enthymemata imperfecta aut exempla philosopho sua loquacitate atque imperitia auferant. Et hoc pro certo habeant omnes, qui recte philosophari cupiunt, nullam, ut dixi, argumentandi formam, ullius scriptoris aut artis esse propriam, sed omnes argumentationes omnium artiũ & scriptorum esse communes, modo recte & pro rerũ probandarum conditione & qualitate adhibeantur. Sed hactenus de differentia ab instrumentis sumpta, nunc de ea quæ dicitur ab usu: sic enim Boethius loquitur, dicens orationem Dialecticã interrogatione & respõsione constitutam esse, Rhetoricam vero rem propositam oratione perpetua decurrere, atq; his duobus loquendi modis Dialecticam à Rhetorica esse distinctã. In quo non minus fallitur quam in instrumẽtis

cum non minus Oratoris quam Dialectici ſit oratione interciſa per interrogationem & reſponſionem uti, nec minus Dialectici quam Oratoris oratione perpetua & continuata diſputare. Nam & Oratores cum opus eſt nonnunquã interrogant adverſarium & reſpondent, atq; ideo apud Quintilianum in texto prope finem recte appoſitum caput eſt de Altercatione, in quo præcepta dantur quomodo interdum in cauſis inter diſputandum interrogandus ſit adverſarius, & viciſſim quomodo ei reſpondendum. Quod non fieret, ſi verum eſſet, quod Dialectici nugantur, orationem interciſam ab Oratore eſſe alienam. Similiterq nihil prohibitum eſt Dialecticis oratione perpetua uti, præſertim cum non diſputant, ſed præcepta Dialecticæ tradunt, id quod facit Ariſtoteles in ſuo illo tantopere celebrato Organo, in quo nihil aliud quam de Dialectica ſive Logica traditur. Contra vero Cicero in tribus de Oratore libris, & in Partitionibus Oratoriis, in quibus eodem modo nihil aliud quam de Rhetorica præcipitur: tamen non perpetua oratione, ſed interciſa per interrogationem & reſponſionem totam perficit diſputationem. Non me latet Quintilianum neſcio quo in loco mentionem feciſſe hujus, quam dico, differentiæ, orationis perpetuæ, ſcilicet, & interciſæ: ſed eo in loco loquebatur non ex ſua, ſed ex illorum opinione qui talem orationis formam Dialecticæ tribuunt. Nec obſtat nobis fabula illa Zenonis, de Dialectica pugno clauſo, & de Rhetorica manui apertæ ſimili, quæ ſimiliter ab illo ficta fuit, ut illa, de argumentationum partitione ab Ariſtotele, ut ſcilicet Dialectica, cujus ipſe inventor fuiſſe dicitur, & in qua totam ætatem ſuam fruſtra conſumpſit, attribueret veritatis poſſeſſionem, tanquam in pugno clauſam, Rhetoricæ vero tanquam verborum amatrici relinqueret manum apertam, quaſi patentem quendam mentiendi & blaterandi campum. Sed mihi diligenter conſideranti, res multo aliter ſeſe videtur habere. Nam ſi verum eſt quod Dialectici dicunt, Dialecticam uti ſyllogiſmis tripartitis & perfectis, Rhetoricam vero bipartitis tantum & imperfectis, ego Dialecticam potius manui apertæ, Rhetoricam vero pugno clauſo ſimilem eſſe dicerem: & quanto imperfectum perfecto, & duæ propoſitiones, tribus minores ſunt: tanto arctiores & ſtrictiores Oratores putarem quam Dialecticos. Idq; non ſolum in diſputando in circulis, quos vocant, ſed etiam in ſcriptis: ſi quidem unus Albertus, cognomento Magnus, Dialecticorum Coryphæus, & miraculorum pater multo plura nugatus eſt, cum ſuper aliis libris Ariſtotelis, tum maxime ſuper Poſterioribus Analyticis, quam ullus unquam Oratorum ſuper cauſis ſuorum clientum. Sed quid Albertum Magnum commemoro? omnes fere ſunt hujuſmodi, quis apud Græcos verboſior Hammonio? apud Latinos loquacior Boethio? qui non ſatis habuit elucu-

elucubrare unam editionem in Porphyrii Isagogen, nisi etiã secundam priore multo longiorem adderet, & in illa tanta verborũ farragine quid tandem docet, nisi falsitates? nisi mendacia? nisi ineptias? quæ omnia nos satis, ut opinor, deteximus in multis supra positis capitibus. Quare Zeno mea quidem sententia multo rectius fecisset, si quemadmodum nos Dialecticam manui apertæ, Rhetoricam vero pugno clauso similem dixisset. Sic enim per manum apertam verius significasset patentissimam, & omni freno carentem licentiam & libertatem loquendi, nugandi, & effutiendi, quibuscunque verbis, quamlibet impropriis, barbaris, & rusticis, quicquid in buccam venit, quod est proprium & peculiare vitium Dialecticorum, præsertim nostri temporis. Per pugnam autem clausam commodius designasset Oratoriam sive Rhetoricam, quæ usq; adeo arctis legibus & angustis conditionibus tenetur astricta, ut ei non liceat nec usurpare verbum ullum, nisi proprium & usitatum, & apud probatum aliquem authorem repertum, nec innovare ac parere vocabula, nisi parce & modeste, nec deniq; quicquam dicere, nisi cum & communi loquendi usu, & cum publica sermonis consuetudine consentaneum. Hoc igitur modo refutatis quatuor prioribus differentiis, quibus isti Dialecticam à Rhetorica distingui putant: supersunt etiam aliæ quatuor, quę proferuntur partim à Boethio, partim à Rodulpho Agricola, partim à Joachimo Perionio. Qui postremus omnium hac de re scripsit, & quanquam, ut ex ejus verbis apparet, videbat Dialecticam à Rhetorica nulla recta & vera ratione distingui posse, tamen quo jure quave injuria distinguere voluit. Ne scilicet Dialecticam suam de qua scribebat, & quam inepte veram putabat, relinqueret à Rhetorica prorsus indiscretam, ac ne aliquis forte existimaret, eam vel à Rhetorica diversam non esse, vel inter artes nullum sibi reperire locum. Quod nequis forte me finxisse arbitretur, verba ipsius Perionii hic apponam, Is enim in primo Dialecticæ suæ libro præfatus eam sibi quæstionem videri difficillimam, quomodo Rhetorica affecta sit ad Dialecticam, hoc est, quonam pacto inter se hæ duæ artes differant, ita tandem concludit. Qua propter difficillimum est, quænam earum sit dissimilitudo explicare, ut tibi naturæ ac rei proponas differentiam. Est enim utriq; idem propositus finis, in iisdemq; rebus versantur quas eodem modo, id est, probabili ratione concludunt. Hæc Perionius, quibus dictis ita statim subjungit. Quanquam autem hæc difficilis est quæstio, tamen danda opera est ut explicetur, quasi diceret, ut ego interpretor: quamvis Dialectica nullo pacto queat à Rhetorica distingui: nisi tanquam falsum à vero, tamen eam distinguamus: & ita facit. Nam eo in loco nihil aliud agit, nisi nugatur, & tandem absoluta disputatione lectorem multo magis dubium

& incer-

& incertum relinquit, quam acceperat. Quod ut ita esse omnes possint intelligere breviter ostendam non solum eum, sed & Agricolam & Boethiũ prorsus ignorasse & nescisse quonam pacto artes inter se vere distinguerentur, cũ nec vera artium officia, nec veros fines, nec veras definitiones, nec denique veros earum considerandi modos intellexerint. Perionius enim quod ad quintam differentiam attinet, in primo Dialecticæ suæ, officium Dialecticæ esse putat accommodate ad probabilitatem de quaq; re proposita disserere, finem vero probabiliter de quaque re proposita disputare. At Rodulphus in secundo de Inventione, officium ejusdem esse censuit probabiliter dicere, finẽ autem probabiliter de quaq; re proposita dicere. Boethius vero nulla officii mentione facta, finem Dialecticæ dixit esse, id quod vult ab Adversario extorquere conari. Quæ officia & qui fines istorum profecto nihil aliud sunt, quam mera mendacia, & meræ hominum delirantium nugæ: cum aut nihil prorsus inter se differant, aut non sint vera officia nec veri fines, aut certe non Dialecticæ propria, sed etiam Rhetoricæ communia. Itaque nullam omnino vim habent Dialecticam à Rhetorica distinguendi. Nam per Deos immortales, primum quæro à te Perioni, quid differt accommodate ad probabilitatem de quaq; re proposita disserere, & probabiliter de quaque re proposita disputare? & quid causæ est cur illud officium Dialecticæ, hoc autem finem esse arbitreris? certe ego inter istud officium tuum & istum finem tuum differẽtiam nullam esse video, nisi verborum & nugarum. Deinde dico istum, quem tu finem esse ais, non solum non esse ab isto officio tuo diversũ, sed etiam prorsus non esse finẽ. Nam probabiliter de quaq; re proposita disputare, non finis est Dialectici, sed officium: cujus rei signum indubitatum est, quia Dialecticus si non probabiliter de quaq; re proposita disputet, officium suum non facit, & magnopere reprehendendus est, quod propter finem non obtentum non solet, ut ante dixi, contingere. Sed fac utrunque ab altero esse diversum, & illud verum officium, hunc vero verum finem existere: tamen etiam dico utrunque, hoc est, accommodate ad probabilitatem de quaq; re proposita disserere, & probabiliter de quaq; re proposita disputare, magis Rhetoricæ ac Rhetoris, quam Dialecticæ & Dialectici esse proprium. Quid enim? Orator cum dicit non ne accommodate ad probabilitatem dicere debet? non ne jus ipsi de quaq; re proposita dicendi est ab ipso etiam Aristotele concessum? certe neutrum horum negare potes: nam si aut nõ accommodate ad probabilitatem disseret, aut non probabiliter disputaret, nunquam posset bene dicere, & si non bene diceret, nunquam faceret officium suum. Quare tuum istud officium, & tuus iste finis, ô Perioni, non sunt duo diversa: nec finis tuus est vere finis, sed officium: nec si cæ-

si cætera omnia recta essent, tamen adhuc istis differentiis Dialecticam à Rhetorica distinguere valeres. Quod dixi de officio & fine Perionii, idem dico de officio & fine tuo ô Agricola. Ais enim Dialecticæ officium esse probabiliter dicere, finem vero probaliter de re proposita dicere. At ego rursus tibi insto, te urgeo, quærens à te qua ratione, & quomodo ista duo inter se differant: nã ego in eis nullam differentiam video, omnẽ enim qui probabiliter dicit, oportere arbitror probabiliter de aliqua re proposita dicere, & si non probabiliter de aliqua re proposita dicat, non posse probabiliter dicere. Atque in summa tuum istud officium & tuum istum finem, nihil aliud esse dico nisi meras nugas. Ut omittam interim hoc quod est, probabiliter de re posita dicere, officiũ Dialectici esse non finem quia si non id præstet Dialecticus, reprehensione nõ caret. Atq; etiam ut taceam utrunque tam Rhetoricæ quàm Dialecticæ proprium esse, ut ante dixi, sic ut nullam prorsus habeat distinguendi Dialecticam à Rhetorica potestatem: tã enim probabiliter dicere, & probabiliter de quaq; re proposita differere debet Orator quam Dialecticus, & si nõ utrunq; faciat, ne Orator quidem appellandus esse videatur. Quare vehementer mirum quomodo Rodulphus & Perionius alioqui homines doctissimi nõ viderint illa sua officia & illos suos fines Dialecticæ, nihil esse inter se differentes, nisi verbis & nugis, & quos illi fines esse dixerunt, non fines esse sed officia, & deniq; nihil eorum magis esse proprium Dialecticæ quàm Rhetoricæ. Neque minori admiratione dignũ est, quod dicit Boethius in quarto de differentiis Topicis, is enim Dialecticæ finem esse censuit non probabiliter de quaq; re proposita disputare, ut Perionius, nec probabiliter de re proposita dicere, ut Rodulphus, sed id quod vult ab Adversario extorquere conari. Qui Boethianus finis pene eadem omnia vitia habet, quæ duo illi superiores: nam non est finis sed officium? debent enim omnes qui dicunt vel disputant conari ut ab Adversario extorqueant quod volunt, si possunt: quod officium est, non finis. Ideoq; rectius fortassis feciſſet, si ipsum extorquere, finem esse dixisset, quando ad eum finem Dialecticus disputare cum adversario videtur, ut ab eo extorqueat quod vult: sed extorquere conari, certe non finis, ut dixi, sed officium est. Quod si etiam finis esset, tamen non magis Dialectico conveniret quam Rhetori, atque ita non esset idoneus qui Dialecticam à Rhetorica distingueret. In summa quæcunque à Boethio, & ab Agricola, & à Perionio, de officio & fine Dialecticæ dicta sunt, omnia prorsus vel falsa sunt, vel inania, vel ridicula, ut ex iis quæ hactenus dicta sunt, manifeste apparet. Sed Perionius omnibus modis cupiens Dialecticam à Rhetorica distinguere, præter ea, quæ modo diximus, hoc est, præter officium & finem: addit etiam definitionem &

modum considerandi, hoc est, septimam & octavam differentiam à nobis supra propositas. Quare videamus etiam quam vim habeant ista duo reliqua Dialecticæ subsidia, & à definitione incipiamus Est enim, inquit Perionius, Rhetorica bene dicendi ratio, Dialectica autem bene disserendi; atq; his duabus definitionibus præclare se existimavit Perionius Dialecticam à Rhetorica prorsus separasse, nam quorum inquit, diversæ sunt definitiones, illa esse diversa necesse est. Sed ego tibi respondeo Perioni, primum Dialecticam recte definiri non posse, quia non habet neq; proprium officium, neque proprium finem : & propterea per definitionem suam non posse à Rhetorica separari. Deinde etiam si definiri posset, eo modo quo tu dicis, tamen adhuc non separaretur à Rhetorica, sed Rhetoricæ parva quædam pars esse convinceretur. Quorum utrunq; breviter sic probo: Tu Dialecticam esse ais rationem bene disserendi: at ego dico istam tuam Dialecticæ definitionem non bonam, neq; propriam esse: propterea quod est communis etiam Rhetoricæ. Quid enim? Nonne Rhetorica ipsa quoq; est bene disserendi ratio? imo est, & multo quidem rectior ac verior quàm Dialectica, quam esse falsam supra magnam partem probavimus & infra probaturi sumus. Neq; verbum disserendi Dialecticorum est ita proprium ut non magis ad Oratores quam ad Dialecticos pertineat. Quod vel ex eo potissimum intelligi potest, quod Cicero passim Oratores disertos, à disserendo scilicet nomine indito, Dialecticos autem & Philosophos nunquam disertos, sed doctos vel eruditos, semper nominat. Quare tua ista definitione Perioni non potes Dialecticam à Rhetorica distinguere, cum eadem definitio communis sit etiam ipsi Rhetoricæ, & ei perbelle possit accommodari. Sed fac ipsam esse propriam Dialecticæ, nondum assecutus es, quod intendis: eo quia, si vera est ista tua definitio, non Dialecticam à Rhetorica separas, sed Rhetoricæ partes facis. Nam si Dialectica est bene disserendi ars, & si bene disserere est pars bene dicendi, hoc est, officii rhetorici, necessario sequitur Dialecticam Rhetoricæ partem esse: bene autem disserere bene dicendi esse partem, ex hoc probatur, quod omnis qui bene dicit, bene disserit, non contra. Nam ego tibi concedam aliquem forte reperiri posse, qui utens omnibus præceptis Dialecticorum, quę ad bene disserendum pertinent, ut Dialecticus bene disserat, sed non assentiam eum bene dicere, quia fortasse non utetur omnibus præceptis Rhetorum ad bene dicendum pertinentibus, & usurpabit verba aut impropria aut inusitata, aut aliquo modo non accommodata, aut non adhibebit id dicendi genus, quod est proprium, aut omnino deficiet in aliqua parte elocutionis Rhetoricæ, de qua nihil præcipiunt Dialectici, & sine qua nemo unquam vere dici potest bene dicere. In summa nihil

est à

est à veritate alienũ, fateri aliquẽ bene disserere, qui tamen non omnino bene-dicat: verum affirmare quempiam bene dicere, qui non bene differat, à vero prorsus est remotum & quodam modo monstri simile. Quare Perioni tua illa Dialecticæ definitione non Dialecticam à Rhetorica disjungis, ut dixi, sed Dialecticam Rhetoricæ partem facis: cum bene disserere in bene dicendo tanquam pars in toto contineatur, & vere pars illius sit: quod mirum est à te non fuisse animadversum. At vero tanquam destitutus cæteris omnibus adjumentis, ut omnino Dialecticam à Rhetorica, etiam si vere separari non potest, tamen separes: tandem quasi ad sacram anchoram confugis ad modum considerandi, hoc est, ad octavam & ultimam ex differentiis à nobis supra propositis. Et ais Dialecticam considerare res non quatenus sunt, quemadmodum Metaphysicam, sed quatenus verbis significantur, atque ideo à Metaphysica esse diversam. Quæ verba tua Perioni, cum lego, equidem vix me continere possum quin partim rideam, tanta est levitas, & ut ita dicam, insulsitas dictorum tuorum, partim etiam tibi subirascar, qui bonos adolescentes recte philosophandi cupidos doces tam perverse philosophari, ne dicam subtiliter nugari. Primum enim cum proposueris te velle distinguere Dialecticam à Rhetorica, id non facis, sed à Metaphysica disiungis: quasi non magis falsa sit Metaphysica quam Dialectica, ut capite sequenti ostendemus. Et cum debuisses addere modum considerandi Rhetoricæ, ut videre possemus quonam pacto Dialectica distinguatur ab ipsa, de ea re ne verbum quidem facis. At ego volebam à te ut mihi diceres, quomodo Rhetorica consideret res suas: sic enim fortassis comparando modum considerandi utriusq; intelligi potuisset, quomodo inter se differant. Sed tu id quod dicendum erat, taces, credo quia nesciebas quid diceres: & quod tacendum erat profers, hoc est, Dialecticam à Metaphysica esse diversam. Et quibus argumentis, hoc est, quam vanis & quam insulsis Dii immortales. Metaphysica, inquis, res considerat quatenus sunt, Dialectica vero quatenus verbis significantur. At ego credebam Metaphysicam considerare res non quatenus sunt, sed quatenus fuerunt aut futuræ sunt, & Dialecticam considerare easdem non quatenus verbis, sed quatenus lignis aut lapidibus significantur. O indoctissimam doctrinam, ô insipientissimam sapientiam, ô infelicissimam studiosorum Philosophiæ sortem, qui jam prope bis millesimum annum in istis inanibus nugis consumunt. Et tu Perioni ex comparatione Metaphysicæ & Dialecticæ, quæ ambæ falsæ sunt: & ex modis considerandi utriusque, qui nugatorii sunt & ridiculi, distinguere vis utranque à Rhetorica. Nec tamen distinguis, quia non dicis quomodo Rhetorica res suas consideret. Itaq; non solum erras ac delinquis, quod tanquam cæcus nõ vides

nec cognoscis manifestissimã Metaphysicæ & Dialecticæ falsitatem, sed etiam quia non exequeris id quod proposuisti, & tanquam oblivioſus mox derelinquis quod instituerat. In summa nihil aliud agis, nisi incassum nugaris, & bonos Adolescentes veritatis amatores decipis, & communem jam prope duum millium annorum errorem confirmas. Ac ne ego quoque incassum loquendo & nihil concludendo errorem tuum imitari videar, dico te non solum nescire & ignorare res ipsas, sed etiam modos ac rationes exprimendarum rerum ac cogitationum tuarum, & orationem tuam non esse oratoriam, nec Ciceronianam, quemadmodum tu eam videri cupis, sed sophisticam, hoc est, fallacem & nugatoriam. Nam si recte loqui didicisses, non ita primum dixisses, Metaphysica considerat res quatenus sunt, sed tantummodo sic: Metaphysica considerat res. Deinde non ita protulisses: Dialectica considerat res, quatenus verbis significantur, sed ita solummodo Dialectica considerat voces sive nomina sive verba. Nam in superiori illa locutione tua de Metaphysica, quid opus erat addere: quatenus sunt? an fortassis est aliqua scientia, quæ consideret res ut non sunt? ut differentiæ causa necesse fuerit adjungere, quatenus sunt? Item in illa posteriori tua locutione de Dialectica, quid oportebat dicere, quatenus verbis significantur? an non rectius & clarius & apertius erat omittere illam caudam, & dicere, quemadmodum ego antea monui, voces vel nomina vel verba? certe si maluisses ab Oratoribus quam à Philosophastris, & sophistis discere rationem & modum loquendi, ita dixisses: qui enim dicit, voces & nomina & verba, is nihil aliud dicit, nisi res quatenus significantur, si quidem omnes voces & omnia nomina & omnia verba rem aliquam significant, saltem se ipsa, & ex vocibus & nominibus & verbis nihil omnino significantibus nulla cõponitur oratio. Quod si ita, ut nos dicimus, locutus fuisses, multo quidem, ut arbitror, clarius significasses Dialecticam, quæ ut saniores Dialectici putant, de vocibus & nominibus est. Sic enim loquuntur & Grammatici dicentes Grammaticam suam esse, non de rebus, quatenus vocibus significantur, sed de vocibus sive verbis tantum, quæ sine ulla alia adjectione, tamen tacite intelliguntur significare res. Quis enim ferat ac non tanquam imperitum & barbarum derideat eum, qui dicat Grammaticam esse de rebus, prout verbis significantur? certe nemo. Quanquam hoc ipsum esse de rebus ut verbis significantur, non minus recte de Grammatica quam de Dialectica dici posset, si Dialectica vera esset ars, & si talis loquendi modus esset usitatus. Ex quo patet quanta fuerit imperitia quorundam Dialecticorum, in quorum numero est Hammonius, qui dixerunt Dialecticam esse de vocibus significantibus res per medios conceptus, quasi non, etiam si omitteretur cauda illa, ta-

illa, tamen voces significare res intelligerentur. Et quasi non Grammatica etiam sit de vocibus significantibus res per medios conceptus. Nisi forte Dialectici opinantur voces ac verba Grammaticorum nullas res prorsus significare, & nullis conceptibus egere, ut intelligantur: quæ quidem opinatio ab eorum ruditate & ab aliis quamplurimis absurdioribus, quæ dicunt, non est aliena. Sed hic mihi sese opponunt Dialectici quidam mordicus retinere cupientes Dialecticam, & quo jure quaque injuria conantes à Rhetorica distinguere. Concedunt enim tam Rhetoricam quam Dialecticam communiter versari in omni materia mundi, hoc est, tam naturali quam civili, & tractare omne genus quæstionum, hoc est, tam theses quam hypotheses, & uti omnibus argumentandi formis, hoc est, tã syllogismo quã enthymemate, & usurpare utrunq; modum orationis tã perpetuum quam interciſum: quemadmodum nos antea diximus, sed diverso modo. Nam Dialecticam principaliter versari ajunt in materiis naturalibus & subtilioribus, & tractare quæstiones infinitas & syllogismo uti, & usurpare orationem interciſam, materias vero civiles, & quæstiones finitas, & enthymemata, & sermonem perpetuũ nõ nisi posterius & quasi secundario. Rhetoricam vero contra facere omnia, principaliter enim versari in rebus civilibus & crassioribus, tractare quæstiones finitas, uti enthymemate & perpetua oratione: posterius autẽ & secundo loco aliis materiis aliis quæstionibus, aliis instrumentis, alia orationis forma. Atque hoc distinguendi modo, per id quod est principaliter & secundario, ut ipsi loquuntur, putant se satis idoneã reperisse differentiam, qua Dialecticam à Rhetorica dirimant. Sed hic quoque distinguendi modus multo est inanior & vanior, quam omnes illi superiores: Nam hujusmodi differentia primum falsa & nugatoria est, saltem quod ad Rhetoricam attinet. Orator enim dicendo ex sua ampla & late patenti professione æqualiter versatur in omnibus materiis, & in omnibus quæstionibus, nec magis unum argumentandi modũ quam alium sibi præscribit, sed omnibus utitur cum res postulat & cum opus est, nõ solum in judiciis & in senatu & apud populum, sed etiam in cõventu ac scholis Philosophorum, neq; solum pronuntiando & agendo, sed etiam scribendo & libris posteritati mandandis. Cum autem Oratorem dico, non eum intelligi volo, qui causas forenses ac civiles tantum sciat defendere, sed eum qui sit idoneus, ut copiose & ornate de quacunq; re quam didicerit & cognitam habebit, verba faciat. Quod idcirco hic admonitũ volui, ut occurrerẽ objectationibus eorũ qui negant Oratorẽ de omnibus rebus posse dicere, nec ei ad dicendum subjecta esse omnia concedunt. Ajunt enim si Orator de omnibus ex propria professione sua posset dicere, & si ei subjecta essent omnia, nihil superesset reliquis

ſcientiis & artibus, in quo proprie verſari poſſent, & quod ipſis tanquam propria materia ſubjiceretur. Nam qua de re, inquiunt Philoſophi, Medici, Juriſconſulti, & omnino omnes alii ſcientiarum & artium profeſſores, proprie loquerentur, ſi Orator omnia jure ſuo teneret occupata? Quod cum abſurdum & falſiſſimum eſſe videatur, nequaquam concedendum eſſe contendunt ut Oratori tam ampla materia ſit attributa. Quibus ego reſpondeo, ſi hoc eſt abſurdum & falſum, non magis adverſus me eſſe quam adverſus Ariſtotelem: qui in Rhetoricis ipſe quoq; omnia prorſus Rhetoricæ ſicut etiã Dialecticæ ſubjecit. Sed neq; falſum eſt neq; abſurdum, immo veriſſimum & rationi maxime conſentaneum: nam ego dico & affirmo ubicunque eſt oratio quacunq; de re facta modo non omnino mala, ſed aliqua ex parte laudabilis, ibi Oratoris atq; Oratoriæ partes eſſe præcipuas. Itaq; Galenus & Hippocrates, exempli gratia, cum pharmaca propinant, morbos curant, vere Medici ſunt, & vere Medici officium faciunt: cum vero de Medicina loquuntur aut ſcribunt, ſi bene id faciunt, non amplius Medici funguntur officio, ſed Oratoris. Nam eum procemiantur apte, cum narrant aperte, cum confirmant aut refutant aliquid acriter, cum concludunt perſpicue, & denique cum in præceptis ſuis tradendis docent, delectant, & afficiunt Lectorem, hæc omnia non ex Medicinæ, ſed ex Oratoriæ præceptis promuntur. Quo fit ut in libris Medicorum bene & docte ſcribentium non minus Rhetoricæ præcepta cernantur uſurpata quam Medicinæ: atq; ideo in eiſdem libris jure ſuo non minorem partem Rhetorica quam Medicina ſibi vendicat. Quod dixi de Medicis eorumq; libris, idem quoq; intelligi volo de omnibus aliis laude dignis Scriptoribus eorũq; ſcriptis, quæ licet ſi diverſitates materiarum ſcriptarum inſpiciamus, ad diverſos artifices & authores vere pertineant: tamen ſi conſideremus dicendi & ſcribendi rationem, qua Scriptores illi in libris ſuis bene ornateq; conſcribendis uſi ſunt, non ad diverſos authores amplius, ſed ad unius Oratoris artem ac facultatem pertinere reperientur. Itaq; non mirum eſt ſi & Ariſtoteles, & Cicero, & Quintilianus, & nos quoq; tot ac tantorum hominum authoritatem ſecuti dicimus & affirmamus Oratorem ex ſua & propria facultate de omnibus rebus mundi poſſe dicere, & ei ſubjecta eſſe omnia, quatenus ſcilicet de eis ſermo haberi & bene dici poteſt. Quo rurſus fit, ut ante dixi, ut omnes boni Scriptores, & omnia recte ſcripta licet differant materiis, in quibus verſantur diverſis, & diverſa habeant nomina, tamen iidem bene ſcribendi dicendiq́ue peritia & artificio non diverſi ſed ejuſdem generis ſint, & eodem Oratoris nomine merito appellentur. Atque hoc modo reſponſum eſſe volumus illis, qui indocte negant Oratoris proprium eſſe ut de omnibus mundi rebus loquatur ac

dicat,

dicat, & qui imperite timent si tam ampla dicendi facultas Oratori tribuatur, ne cæteri omnes scientiarum & artium cultores nihil habeant, quod faciant aut dicant. Nam habebunt suum quisque officium ab aliis separatum, sed quatenus recte scribent ac dicent de sua quisq; materia, omnes erunt Oratores & Oratoris officio fungentur. Et sic Galenus non minus est Orator quam Medicus, cæteriáque omnes docti artium Scriptores. Quod ni ita esset, nunquam tam copiose & ornate scripsissent Galenus de Medicina, & alii omnes de sua quisq, arte: & hoc est illud quod multis verbis disputat Crassus apud Ciceronem in primo de Oratore, his verbis. Quamobrem si ornate locutus est, sicut fertur, & mihi videtur physicus ille Democritus, Materies illa fuit physici, de qua dixit, ornatus vero ipse verborum Oratoris putandus est: & si Plato de rebus à civilibus controversiis remotissimis divinitus est locutus, quod ego concedo: si item Aristoteles, si Theophrastus, si Carneades, in rebus iis, de quibus disputaverunt eloquentes, & in dicendo suaves atque ornati fuerunt, sint hæ res, de quibus disputant, in aliis quibusdam studiis, oratio quidem ipsa propria est hujus unius rationis de qua loquimur & quærimus: & cætera quæ sequuntur. Quo in loco toto Crassus, sive Cicero sub persona Crassi, nihil aliud significare voluit, nisi id quod ipsemet dicit, & ego supra proposui: Oratorem in omni sermonis disputatione suo proprio jure atque authoritate copiosissime versari posse, nec propterea tamen cæteri artium & scientiarum Scriptores nihil habent quod dicant aut faciant. Sed ut redeam id quod cœperam, & hanc partem aliquando concludam, dico differentiam istam, ejus quod est, principaliter aut secundario, versari in aliquibus materiis aut quæstionibus, uti aliquibus argumentandi aut orationis modis: quod quidem ad Rhetoricam attinet, esse falsam, ut ostendi. Nam quod pertinet ad Dialecticam, quam falsam hactenus ostendimus, & post hac ostensuri sumus, an vera esse possit, Dialectici ipsi viderint. Quod si etiam vera esset, tam quod ad Rhetoricam quam quod ad Dialecticam spectat, tamen iterum dicimus, hujusmodi differentiam non esse tantæ potestatis ac virium, ut sola possit has artes inter se facere diversas. Nam cum Dialectica nec materiam, nec officium, nec finem à Rhetorica diversum habere possit ostendi, ut supra probavimus: quid obsecro prodest ad ostendendam illius à Rhetorica diversitatem dicere, Dialectica principaliter versatur in his, Rhetorica vero in illis? Dialectica principaliter utitur hoc, Rhetorica illo? certe non magis quam si quis probare volens Chirurgiam non esse Medicinam, diceret: Chirurgia principaliter utitur cataplasmatibus & emplastris, secundario vero potionibus & antidotis: & contra, Medicina principaliter versatur in his, secundario in illis. Nam ego respon-

respondebo Chirurgiam non differre à Medicina, nisi ut partem à toto : est enim Chirurgia Medecinæ pars. Et eodem modo dicam de Dialectica & Rhetorica, Dialecticam scilicet, aut supervacuam esse & inter artes locum habere non posse, aut certe Rhetoricæ parvam esse partem. Ut recte scribit Laurentius Valla in procœmio secundi libri Dialecticæ suæ, cujus hæc sunt verba, Nam quid aliud est Dialectica quàm species quædam confirmationis & confutationis? hæ ipsæ sunt partes inventionis, inventio una ex quinq; Rhetoricæ partibus. Quare ex sententia Vallæ & mea, & quod longe majus est, ex veritate ipsa recte concludi potest, adversus Aristotelē & omnes Dialecticos, Dialecticam, ut dixi, aut supervacuam & non necessariam existere, aut certe parvam quandam Rhetoricæ partem esse. Sed ut tandem aliquando finiam hanc partem, cum ostensum sit Dialecticam à Rhetorica nullo pacto posse separari, neq; per materiam, quia utraq; est de omnibus rebus & de nulla privatim, ut dicit Aristoteles: neque per quæstiones, quia Rhetorica ex æquo tractat tam theses quàm & hypotheses, hoc est, quæstiones tam infinitas quàm finitas, ut docuimus: neque per instrumenta, quia Rhetorica non minus utitur syllogismo & inductione cum opus est, quàm enthymemate & exēplo, ac quod etiam magis mirum est, quia Rhetores enthymema & exemplum, ut argumēta tantum non ut argumentationes oratorias agnoscunt : neque per usum interrogandi & respondendi, quia tam Orator, quàm Dialecticus interrogat & æqualiter oratione intercisa uti pro conditione & qualitate disputationum suarum potest: neq; per officium, quia quodcunq; officium Dialecticæ hactenus tributum fuit, id necessario in officio Rhetoricæ inclusum est, ut illud Agricolæ quod est, probabiliter dicere, & illud Perionii quod est, accommodate ad probabilitatem de quaq; re proposita disserere, quorum neutrum evadere potest, quin in bene dicendo, quod est proprium Rhetoricæ officium, cōtineatur: neq; per finem, quia nullus eorum finium, qui Dialecticæ assignantur, vere finis est, sed officium, & eodem modo, quo superiora illa, sub Rhetoricæ officio contentum: neque per definitionem, quia similiter definitio illa Dialecticæ quam Perionius affert, in definitione Rhetoricæ inclusa est, non quidem ea, quæ traditur ab Aristotele in primo Rhetoricæ, quam esse falsam supra probavimus in capite secundo, sed in hac, quæ est Ciceronis, & Quintiliani, & omnium sanorum Rhetorum, Rhetorica est ars bene dicendi de omnibus rebus, in qua necessario continetur illa Dialecticæ allata à Perionio dicente, Dialecticam esse artem de quaq; re proposita probabiliter in utranq; partem differendi : nemo enim de quaq, re proposita probabiliter in utranq; partē differere potest, nisi de omnibus rebus bene dicat, bene dicere enim de

omnibus

omnibus rebus multo generalius eſt, ut ante dixi. Neq; poſtremo per modum conſiderandi, quia nullus unquam poterit aſſignari verus modus, quo Dialectica res ſive voces conſideret, ut non eodem quoq; modo Rhetorica res ſive voces ſuas conſiderare defendatur: cum inquam hæc omnia à nobis ſupra ſint oſtenſa, & cũ reſponderimus iis omnibus, quæ cõtra dicuntur vel dici poſſunt, nemini dubium relinqui poſſe arbitror, quin Dialectica nullo pacto, nulla ratione recte poſſit à Rhetorica diſtingui ac ſeparari: & propterea quin aut prorſus ſupervacua, aut ſaltem Rhetoricæ pars eſſe concedatur, quorum utrum velint eligant Dialectici, magnam neceſſe eſt accipiant plagam, ſed tamen parvam præ illa, quam ſupra acceperunt & infra accepturi ſunt, ubi de falſitate Dialecticæ agitur: hic enim tantum commovetur & concutitur Dialectica, ibi vero tota cadit & corruit. Sed de falſitate Dialecticæ ſuis locis agitur, nunc alia etiam non parum valida ratione Dialectica probatur eſſe ſupervacua & non neceſſaria, eo quia nullus hodie ejus uſus eſt nec in privatis nec in publicis diſputationibus. Nam mos ille antiquus diſputandi in conventu doctorum per interrogationem & reſponſionem, quo Dialectici veteres utebantur, jandiu obſolevit ac in deſuetudinem abiit. Nemo enim amplius hoc tempore ſic differit cum aliquo, ut primo eum interroget quemadmodum docet Ariſtoteles in primo Topicorum, aut hoc modo: An ſit animal gradiens bipes, definitio hominis: quam propoſitionem dialecticam vocat: aut hoc modo, ſit ne animal gradiens bipes definitio hominis nec ne? quod problema dialecticum ab eodem dicitur. Deinde quam ille partẽ vel propoſitionis vel problematis reſponderit, eam ipſe ſuſcipiat refutandam ac deſtruendam. Non inquam amplius hodie ſic differit quiſquam, *quod ego quidem in ſexaginta annis & amplius quos vixi, videre aut intelligere potuerim.* Sed is qui diſputat ſive privatim ſive publice id faciat, primo proponit eas, quas vocãt, concluſiones, hoc eſt, non propoſitiones nec problemata more Dialecticorum, ſed alteram tãtummodo partem propoſitionis & problematis dialectici, ſive aientem ſive negantem: & iis qui contra argumentari volunt, reſpondens poſitas concluſiones defendit, ſi poteſt. Sic enim fere hoc tempore diſputatur in publicis gymnaſiis & alibi, ut nuſquam appareat conſuetudo illa diſputandi, qua utebantur antiquitus Dialectici, & cujus ordinem interrogandi & reſpondendi docet Ariſtoteles in octavo Topicorum. Quare etiam ſi vera foret Dialectica, tamen ſupervacua eſſet & non neceſſaria, quoniam uſus & exercitatio ejus abiit in deſuetudinem. Quorſum enim aliquis tantopere laboret ac defatigetur in perdiſcenda illa arte, quæ nullo in loco ſit in uſu? nec à quopiam eo modo quo quondam ſolebat, exerceatur? At inquiunt, Dialecticæ Ariſtotelis

teſtimonio ad tria utilis eſt, ad exercitationes, ad congreſſus ſive colloquia, & ad Philoſophiæ ſcientias. Quibus ego reſpondeo, Ariſtotelem eo in loco, hoc eſt, in primo Topicorum, loqui non de reliquis Organi ſui partibus, ſed tantum de octo libris Topicorum, & de methodo inveniendorum argumentorum. Quamobrem rurſus etiam ſi verum diceret Ariſtoteles, tamen authoritas illius tantummodo prodeſſet libro Topicorum, reliquis vero Organi operibus nihil opis afferret Sed nec verum dicit Ariſtoteles, nec Dialectica ad ullam earum trium rerum, quas ille dicit, utilis eſt: ad eum, ſcilicet, modum tradita & uſurpata, quem ipſe tradit atque uſurpare docet. Nanq; ut omittam quod neq; ipſe dicit, nec aliquis Interpretum ſatis explicat, nec omnino facile percipi poteſt, quibus de exercitationibus, & quibus de congreſſibus ſive colloquiis eo in loco fit intelligendum: Alexander enim per γυμνασίας, quo verbo utitur Ariſtoteles, modo exercitationes eas vult intelligi, quæ fiunt in diſſerendo & diſputando, modo conatus neſcio quos quibus uti frequenter ſoliti eſſent Antiqui, per ἐντεύξεις vero, quod eſt alterum Ariſtotelis verbum idem intelligendos eſſe ait congreſſus ſive collocutiones neſcio quas, quæ in confabulando aut in conveniendo fierent. Quaſi non in iſtis quoque congreſſibus & collocutionibus adhiberentur exercitationes & conatus illi ſuperiores, ut poſita prima illa utilitate, non neceſſe fuerit ei adjungere hanc ſecundam. Adjunctio enim hæc perinde ridenda eſt, ut ſi quis diceret, Medicinam eſſe utilem ad duo, ad curationes primo, deinde ad hominum morbos & vulnera. Perinde quaſi non omnis curatio Medici ad morbos atque ad vulnera adhiberetur. Sed ut redeam ad Alexandrum. Ille ſic interpretatur illas γυμνασίας, & ἐντεύξεις Ariſtotelicas, ut non ſatis intelligatur, ad quales exercitationes ſive conatus & ad cujuſmodi congreſſus ſive collocutiones pertineant primæ illæ duæ utilitates ſuperiores. Et ſi id maxime intelligeretur, tamen illud adhuc eſt & ſemper erit incertum, qua ratione Ariſtoteles eodem in loco dixerit, κατηριθμημένοι δόξας, pro eo, quod eſt, conſiderantes opiniones, ut exponunt aliqui, ſive expendentes ſententias, ut interpretatur Perionius. Perinde quaſi idem ſit annumerare quod conſiderare ſive expendere, & tanquam μεταβιβάζοντες, quod paulo infra ab Ariſtotele dicitur, recte exponeretur, refutantes ſive refellentes, ut fere omnes exponunt. Sed ut omittam inquam has omnes obſcuritates & quaſi ænigmata, quæ ſunt propria & peculiaria Ariſtotelicæ orationis vitia, dico ſedes illas ac locos illos inveniendorum argumentorum ab Ariſtotele traditos, eo modo, quo traditi ſunt, non eſſe utiles. Propterea quod, quemadmodum infra monſtrabimus, in capite de libris Topicorum, magna ex parte non ſunt veri, ſed falſi & à cõmuni omnium

loquendi

loquendi consuetudine alieni. Quo fit ut neque ad Philosophiæ scientiam, quæ est tertia utilitas ab Aristotele attributa Dialecticæ, utiles esse possint: nisi quis forte ex falsis verum inveniri posse autumat. Et si maxime essent veri, tamen non recte fuerunt arctati ad quatuor illa problematum, quæ dicit Aristoteles, genera: de genere, de definitione, de proprio, de accidente, ut nos ibi probamus. Quo circa ad defendendam utilitatem ac necessitatē Dialecticæ nihil prodest Dialecticis, nec authoritas Aristotelis, nec quæ ab eo dicuntur de utilitate Dialecticæ in primo Topicorum quia partim sunt non satis intellecta, partim incerta, partim falsa, partim etiam non recte tradita. Sic itaque monstratum sit Dialecticam tanquam artem generalem & separatam & necessariam in tertia parte Logicæ Philosophiæ una cum Grammatica & Rhetorica non recte fuisse positam, cum non sit generalis, quia non vera est, ut & ante ostensum est & postea ostendetur: nec separata, cum à Rhetorica nullo pacto distingui queat, nisi ut falsum à vero: nec necessaria, cum quicquid in ea est veri & utilis, id totum in Rhetorica multo verius, clarius, & ad communem sensum accommodatius tradatur. Ex quo patet responsio ad eos, qui obstinate ac temere Dialecticam tueri cupientes dicunt, si harum duarum artium altera tollenda sit, non Dialecticam sed Rhetoricam esse tollendam. Contra quos breviter dico minime id esse faciendū, quoniā si Rhetorica tolleretur multa prorsus interirent quæ nunquam possent in Dialectica recuperari. Ut quæ præcipiuntur à Rhetoribus de procœmiis, de narrationibus, de statuū divisione, de movendis affectibus, de tota elocutione, & aliis hujusmodi faciendis, de quibus ne verbum quidem in libris Dialecticorum legitur. At contra si manente Rhetorica tollatur Dialectica, nullum prorsus damnum aut jacturam facient studiosi bonarū literarum & veræ Philosophiæ, cum ut dixi, quicquid verum & utile perditur ex amissione Dialecticæ, id totum multo auctius & cumulatius recuperatur in Rhetorica, & cum de argumentis & argumentationibus, & de omnibus quæ ad differendum & disputandū pertinēt, multo veriora & clariora præcipiant Rhetores quam Dialectici. Quare imprudentissimi simul & imperitissimi hominis est dicere, si harum duarum artium altera tollenda sit, Rhetoricam potius quam Dialecticam esse tollendam. Quod perinde absurdum est, ut si proponerentur duæ massæ aureæ, quarum una esset decem pondo auri puri, altera vero quinque tantum pondo auri non puri, sed in quo non parum æris esset admixtum. Et dubitaretur utra esset retinenda vel repudianda, & quispiam ridiculus accedens diceret, retinendam esse illam massam quinque tantum pondo & non synceram, repudiandam vero illam, in qua non solum bis tantum auri, sed etiam puri contineretur. Talis

enim vere est Dialectica Rhetoricæ comparata, hoc est, tanquam metallum quoddam dimidia parte minus: & quod pejus etiam est, majore ex parte insyncerum & adulterinum. Nam quod quidam dicunt, Dialecticam esse artem, cujus proprium munus sit discernere verum à falso : alii autem esse artem artium, & scientiam scientiarum, ad omnium methodorum principia viam habentem: alii vero aliis quibusdam modis definientes: omnes isti, si de ista, quæ nunc in usu est, Dialectica loquuntur, plane delirant & insaniunt : nec quicquam aliud faciunt, nisi nugantur : partim & ipsi ignorantes quid dicant, partim alios qui lecturi sunt decipientes, partim deniq; errorem & deceptionem jam amplius duûm millium annorum introductam confirmantes. Nanque Dialecticam non solum esse falsam inutilem & supervacuam, sed etiam noxiã & damnosam, jam inde usq; à temporibus Parmenidis & Zenonis erat animadversum. Si quidem Parmenides apud Platonem in Parmenide, adhortans Socratem ad Dialecticas exercitationes, ita inquit, Cæterum collige te ipsum, diligentiusq; te in ea facultate exerce, quæ inutilis esse videtur multis & quædam garrulitas nuncupatur. Quibus verbis apparet Dialecticam non nunc primum à nobis, sed jam inde à priscis temporibus fuisse damnatam. Nec obstat primum, quod Parmenides Socratem ad eam discendam hortatur, eo quia hoc ipsum eadem judicii subtilitate facit, qua etiam omnia, quæcunque sunt in rerum natura, unum tantummodo & non plura esse dixerat, hoc est, perversa & præpostera. Deinde quod Cicero quodam in loco sentire videtur, eam esse veri & falsi disceptatricem ac judicem : cum id faciat non quod ita sentiat, sed tanquam Academicus, ut eos, qui de Dialectica ita sentiunt, reprehendat ac refutet. In summa ut clare intelligatur qualis sit ista Dialectica, à vulgo & ab imperitis tantopere celebrata, pauca veterum tam Græcorum quam Latinorum testimonia & judicia de ea facta hic apponam, & ita finem huic capiti imponam. Apud Græcos Zeno ille Stoicorum princeps Dialecticorum artes justis mensuris dicebat esse similes, quæ non triticum nec aliud quidpiam alicujus pretii, sed paleas tantum & stercora metiuntur. Ariston Chius Dialecticam aiebat luto viarum similem esse, quod inutile cum sit, tamen prosternit transeuntes. Idem quoque Dialecticorum sermones telis aranearum comparabat, ut qui subtiles admodum sed inutiles essent. Quin etiam idem asserebat, eos qui Dialecticæ studium profunde rimantur, cancros edentibus similes esse, qui propter exiguum illorum alimentum circa plurimas crustas occupantur. Nec defuerunt etiam apud Græcos, qui Dialecticam comparaverint partim Lunæ, quia similiter ut Luna, nunquam cessat crescere & decrescere : partim Polypo, qui cirros suos assidue auctos devorat, sic enim Dialectica

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26:ZEN Leibn. Marg. 26, [312] - 244

lectici jam peritiores facti suas opiniones refutant: partim iis, qui alea ludunt, nanq; ut illi sic Dialectici non sine delectatione decipiuntur. Apud Latinos vero ut omittam M. Ciceronẽ, qui Dialecticam appellat tum inanem sermonis elegantiam, tũ spinosum dicendi genus, tũ spinas orationes, & aliis quibusdam parum honorificis nominibus. Author ille, qui scripsit Rhetoricam ad Herennium, sive is Cicero, sive Cornificius, sive alius quispiam fuerit, in secundo libro de Dialectica & Dialecticis loquens aperte ait, præcepta Dialecticorum non modo nullo adjumento esse Oratori, sed etiam maximo impedimento: & paulo infra concludens sermone sic inquit, verum horum, hoc est, Dialecticorũ pueriles opiniones rectissimis rationibus cũ voles refellemus, in præsentia hæc interim dicere non alienũ fuit, ut hujus infantiæ garrulam disciplinam contemneremus. Hæc Author ille, de Dialectica & Dialecticis monumentis literarum proditum reliquit. Seneca vero ubiq; Dialecticos & Dialecticam damnat & refutat, & quodam loco eam irridens, ita scribit, Mus est syllaba, syllaba caseum non rodit, mus igitur caseum non rodit. O pueriles ineptias, & quæ sequuntur. Quibus verbis Seneca nihil aliud significare voluit, nisi stultitiam Dialecticorum, qui in hujusmodi nugis tanquam in rebus seriis, totam ætatem consumunt. Et recte quidem Seneca unà cum omnibus illis, quos supra retuli, tam Græcis quam Latinis Dialecticæ vanitatem repræsentarunt, partim paleis & stercoribus, partim telis aranearum & luto viarum, partim lunæ ac polypo, partim aliis quibusdam hujusmodi rebus eam comparantes.

CAPUT SEXTUM.

Metaphysicam inter scientias & artes nec ut universalem, nec ut particularem ullum omnino locum habere posse, sed tanquam partim falsam, partim inutilem, partim supervacuam, ab omni artium & scientiarum numero removendam.

INter multos & graves errores, qui à Philosophastris in dividenda Philosophia fuerunt admissi, hic quem nunc sum refutaturus de Metaphysica, vel in primis mihi visus est animadvertendus, & pro virili parte mea refutãdus. Ne amplius esse possit impedimento iis, qui recte philosophari cupiunt, quemadmodum superioribus temporibus fuit, per annos, ut opinor, amplius mille & trecentos. Nam ex iis, qui vetustiores fuerunt, præsertim Latinis, nemo unquam, quod sciam, Metaphysicæ nomen audivit. Nec mirum, cum sit planè barba-

barbarum: nam Græci ad ipsum exprimendum, non una tantum sed quatuor vocibus utuntur, τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ nominantes: quasi dicas, ut ipsi interpretantur, post naturalia. Ajunt enim hanc scientiam post naturalem Philosophiam esse perdiscendam, eo quod sit perfectissima, nobilissima, universalissima: & denique quæ non modo una per se sola sibi sufficit, sed etiam probat principia omnium aliarum scientiarum: ut & prima Philosophia & Theologia & scientia divina ab eisdem appelletur. Sed ego contra hæc omnia dico & contendo, istam Metaphysicam cum tot ac tam ambitiosis nominibus, non solum non esse perfectam nec nobilem nec universalem, sed etiam nec omnino verâ nec necessariam. Idq; breviter sic probare incipio. Primum quia Metaphysica nullam habet propriam materiam veram, nec ullum proprium subjectum verũ nec generale nec particulare, in quo versari, & quo ab aliis scientiis distingui possit. Nanque ut supra ostendi ex Aristotelis sententia, scientiæ puræ ex subjectis & materiis suis distinguuntur. Quod cum ita sit, & cum Aristoteles

(Vana hæc disputatio est nam perinde est, dicere cum Scholasticis Ens qua Ens esse metaphysicæ subjectum & dicere cum Nizolio: subjectum ejus esse genus rerum, qua res sunt.)

aperte dicat, τὸ ὂν ᾗ ὄν, hoc est, *ens qua ens*, vel ut barbari loquuntur, ens in quantum ens, esse proprium Metaphysicæ subjectum: statim quæro ab eo, aut ab alio quopiam Peripatetico, subjectum istud, utrum res aliqua particularis sit an universalis: sit, particularem dicat, id erit contra suam ipsius doctrinam. Est enim dogma apud illum, & omnes illius sectatores, nunquam, ut ipsi putant, fallens: de particularibus nullam posse esse scientiam, sed tantum de universalibus: quare nullo pacto ita dicet. Si rem universalem respondeat, rursus dico universalia omnia realia, ut vocant, à nobis supra fuisse refutata. Et si id recte factum fuit, ut certe factum fuit, non posse subjectum istud Metaphysicæ, quod dicitur esse, ens inquantum ens, non esse falsum. Et tanto magis falsum, quanto ens inquantum ens, est ut etiam ipsi confitentur, universalissimum omnium universalium. Quare ad defendendam Metaphysicam, ne aut subjectum nullum aut non verum, sed falsum habere videatur, oportebit ante omnia aut defendere universalia, nec videantur esse falsissima, quemadmodum sunt, & nos supra validissimis rationibus & firmissimis argumentis probavimus, aut certe Metaphysicam in perpetuum materia in qua versetur saltem vera carituram. Et propter inopiam subjecti saltem veri nec inter scientias veras ullo pacto locum habere, nec ab aliis scientiis vere distingui posse: nisi forte quemadmodum falsa distinguuntur à veris, & commentitia à solidis. Nam quod ajunt Metaphysicam differre ab aliis scientiis, eo quod ipsa pro subjecto habet totum ens inquantum ens, & circa ipsum tantum, ut tale est, assiduè exerceatur, nec utatur rationibus nisi universalibus, unde etiam

scien-

ſcientia univerſalis vocetur : alias vero non totum ens inquantum ens, ſed particulam quandam entis, in qua verſentur, tantummodo ſibi arripere, & circa ipſam rationibus non niſi particularibus negotiari, unde & particulares ſcientiæ fuerint appellatæ : Quod inquam ita diſtinguunt Metaphyſicam ab aliis ſcientiis, nihil agunt, & operam atque oleum, ut dicitur, perdunt. Nanque ut differat ab aliis tanquam univerſalis & realis à particularibus & realibus, oportet primum univerſalia realia eſſe vera & ſolida, non falſa & commentitia, ut nos ſupra probavimus Deinde ſubjectum illius non eſſe univerſale reale, quale ipſi dicunt, quia nihil tale poteſt eſſe verum nec vere in rerum natura reperiri. Poſtremo rationes illas univerſales non eſſe falſas, ut fere ſunt omnes illæ, quæ afferuntur ad probandum Metaphyſicam non ſolum eſſe veram, ſed etiam neceſſariam, quarum neutræ ſunt veræ. Sed de veritate poſtea, nunc de neceſſitate ponendæ Metaphyſicæ videamus. Metaphyſica, inquiunt, neceſſaria eſt tribus de cauſis, primum ut ſit una aliqua ſcientia, quâ perficiatur intellectus noſter, ut divinus Nam intellectum noſtrum, aiunt, partim humanum eſſe, partim divinum: eundemq; perfici ex ea parte quâ humanus eſt per ſcientias naturales & Mathematicas: ex ea vero parte quâ divinus eſt per ſcientiam Metaphyſicam, quam eandem, ut dixi, vocant, & primam Philoſophiam, & ſcientiam divinam, & ſcientiam ſcientiarum, & Theologiam, multiſque aliis nominibus Quod ſi Metaphyſica non poneretur, nulla inquiunt extaret ſcientia, quâ perficeretur intellectus noſter, ut divinus, atque ita periculum eſſet, ne ſemper, ut talis eſt, remaneret imperfectus: quod ab ipſis magnum putatur eſſe inconveniens. Deinde ut inveniatur una ſcientia generalis & univerſalis, quæ tradat & doceat prædicata, ut ipſi dicunt, generaliſſima & univerſaliſſima, qualia ſunt ens, unum, aliquid, verum bonum, actus, potentia, neceſſarium, poſſibile, finitum, infinitum, dependens, independens, perfectum, imperfectum, idem, diverſum, oppoſitum, conveniens, & alia hujuſmodi, quæ ſunt principia, ut ipſi dicunt, omnium ſcientiarum particularium, & in nulla ſcientia particulari potuerunt conſiderari, cũ ſint univerſalia, & non magis ad unam illarum quam ad alias pertinere poſſe videantur. Quare ne iſta quoq; prædicata univerſalia ſine ulla propria ſcientia, in qua traderentur & docerentur, remanerent ignorata, neceſſario, ajunt, ponendam fuiſſe Metaphyſicam, quæ niſi poſita fuiſſet, ex neceſſitate ignoraremus ea omnia, quæ ſupra fuerunt commemorata: quibus ignoratis, ignorarentur etiam ea, quæ ex eorum cognitione pendent. Poſtremo vero ut inter multas ſcientias particulares, eſſet una generalis & univerſalis, ad quam omnes particulares, cum de ipſarum ſubjectis aut de majori aliqua re dubitaretur, quaſi

ad ſu-

ad ſuperiorem dominam & reginam confugerent, & ab ea ſuppliciter peterēt, ut vellet probare & defendere ſubjecta ſua, vel negata uel in dubium revocata. Nanq; hoc officii & tanquam miniſterii tribuunt Metaphyſicæ, ut ad ipſam & non ad aliam ullam pertineat, probare principia particularia aliarum ſcientiarum. Itaque ſi Philoſopho naturali negaretur eſſe motus, exempli cauſa, ipſe ne digitum quidem tranſverſum, ut ipſi aiunt, poſſet ultra procedere, nec quicquam dicere aut defendere, ſed neceſſe haberet confugere ad ſacroſanctum Metaphyſicæ tribunal: & quicquid illa de motu ſtatueret, ſententiæ illius ſtare & acquieſcere. Quod ſi Metaphyſica nunquam ab Ariſtotele fuiſſet inventa, videlicet, maximum erat periculum, ne Philoſophus naturalis nunquam probare poſſet ſubjectum ſuum, hoc eſt, motum eſſe: & nos, ſcilicet, nunquam certo eſſemus ſcituri, an motus vere eſſet in rerum natura nec ne. Hæ inquam ſunt illæ tres præclaræ & egregiæ cauſæ, propter quas, ſcilicet, Philoſophaſtri Metaphyſicam ſuam dicunt eſſe non ſolum utilem, ſed etiam neceſſariam, atq; ideo ex neceſſitate ponendam fuiſſe. Quæ uſq; adeo ſtultæ mihi videntur & vanæ, ut cum eas mecum nonnunquam reputo, valde obſtupeſcam, qui unquam fieri potuit, ut non ſolum tam falſæ & mendaces, ſed etiam tam ineptæ & futiles rationes in mentem hominis alicujus non omnino ſtultiſſimi cadere potuerint. Nam quod ad primam, hoc eſt, ad perficiendum intellectum humanum pertinet, ſi intellectus noſter ſive tanquam humanus ſive tanquam divinus eſt perfici poteſt ab aliqua ſcientia, quæ & ſubjectum habeat falſum, ut ante dictum eſt, & ipſa quoq; maxima ex parte ſit falſa vel inutilis, ut infra oſtendetur, fateor eum ab iſta Metaphyſica perfici poſſe. Item quod ſpectat ad ſecundam rationem, hoc eſt, ad prædicata illa, ut ipſi dicunt, generalia & univerſalia, propter quorum explanationem Metaphyſicam eſſe neceſſariam, & neceſſario ponendam contendunt: rurſus confiteor eos dicere verum, niſi ea ipſa prædicata ſive nomina longe melius ac verius explicentur atq; explanentur à Grammaticis, à Lexicographis, & Obſervatoribus linguarum, quam ab ullis Metaphyſicis, aut Philoſophaſtris: & ni ſi explicatio explanatioq; eorundem illorum prædicatorum ſive vocabulorum, ad Grammaticos & Lexicographos magis pertineat, quam ad ullos Metaphyſicos & Pſeudophiloſophos. Quorū utrunque paucis ita probo, ac primum id quod eſt poſterius, *Grammatica enim & nullius præterea alterius artis proprium eſt, omnes voces contemplari*, ut

(Imo Grammaticæ non eſt tradere voces, ſed communia de vocibus. Cujuslibet diſciplinæ, eſt tradere voces & explicare quibus ſubjectum ſuum eiuſq; partes, ſpecies, & affectiones ſignificatura eſt. *Lexica* verò ſunt excerpta ex variis diſciplinis ordine Alphabetico facta.)

& communis eſt omnium recte ſentientium opinio, & Ariſtoteles ipſemet teſtatur in principio tertii τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ, his verbis, ὅτι γραμματικὴ, μία οὖσα πάσας θεωρεῖ τὰς φωνάς, hoc eſt, ut Grammatica una cum ſit, omnes contemplatur voces. Quod cum ita ſit, nugantur & blaterant Metaphyſici

physici, nescio quarum vocum explanationem ad se pertinere? Si Grammatica omnes considerat, ut etiam Aristoteles fatetur, quænam obsecro Metaphysicæ relinqui possunt considerandæ? profecto nullæ. Itaque non ad nescio quos Metaphysicos nugatores, sed ad Grammaticos, ut dixi, & Lexicographos pertinet omnium vocum consideratio & explanatio, & præsertim quæ sunt communes omnium rerum vel saltem plurimarum. Nam quæ sunt privatæ aliquarum scientiarum aut artium, fortasse non injuria videri queant ad eas scientias & artes pertinere. At quonam pacto tam communes quam privatæ voces ullæ possint aut debeant à Metaphysica explanari, nulla unquam satis idonea ratio afferri poterit. Nam quod ajunt Metaphysicam esse scientiam universalem, atq; ideo universalium vocum explanationem ad eam pertinere, & quod addunt, si in Metaphysica non explanarentur, prorsus in nulla scientia possent explanari, quia non magis ad unam quam ad alias pertinere videntur: dico utrunque horum esse falsissimum, cum Metaphysica non solum non sit scientia universalis, ut nugantur, sed nec vera, ut mox probabimus: Et quamvis nulla esset Metaphysica, tamen voces omnes earumque significationes vel in libris probatorum authorum usurpatæ reperirentur, sic ut facile per se sine ulla Metaphysica possent intelligi, vel certe in Grammatica & à Grammaticis, Lexicographisque, & Observatoribus linguarum jure optimo explanarentur, ut explanantur: & quidem multo verius ac rectius quam in Metaphysica & à Metaphysicis. Id quod ita esse in tribus aut quatuor vocabulis breviter ostendo, hoc est, in explanatione vocabuli naturæ, vocabuli generis, vocabuli totius, ut Lector ex tribus his de cæteris omnibus facile judicium facere possit. Natura, inquit Aristoteles, parens, author & Deus Metaphysicorum, atque ideo maximus, ut ita dicam, Archimetaphysicus. Natura inquam, ait Aristoteles in quarto Metaphysicæ, uno modo dicitur generatio nascentium, altero modo illud ex quo generatur primum id quod gignitur, ut exempli gratia, cor in homine, & radix in arbore: alio modo illud ex quo primo est aut fit aliquid, ut æs vel lignum, in vasis æreis vel ligneis. Hæc & alia quædam, quæ prætereo ne sim longior, scribit Aristoteles, explicans significata vocis naturæ: quorum nullum est verum, saltem in latino sermone. Nam quis inquã invenit, aut legit apud authorem aliquem recte loquentem, naturam pro nascentium generatione positam? & iterum quis unquam fando audivit cor hominis aut radicem arboris esse naturam? & postremo quis ferat ac non rideat tanquam imperitum, si sentiat aliquem dicentem, æs vel lignum esse naturam, vasis ærei vel lignei? certe neminem arbitror recte loquentem unquam neque Latinum neque Græcum ita locutum esse, ut omittam interim

communem ſermonis conſuetudinem ab hoc loquendi modo prorſus abhorrentē. At vero ut alios Grammaticos & Lexicographos mittam, ſi legas Theſaurum linguæ latinæ, in quo reperiuntur obſervata fere omnium probatorū Scriptorum latinorum vocabula, nihil talium nugarum invenies, ſed omnia nominis naturæ ſignificata, & cum uſu probatorum quorumcunq; Scriptorum & cum publico omnium loquendi more conſentanea. Præterea rurſus Ariſtoteles in eodem libri explicans ſignificationes vocabuli generis: Genus inquit dicitur primo de generatione continua multorum eandē ſpeciem habentium, ut cum dicimus hominum genus: deinde de eo, à quo tāquam à generante deſcendit aliqua multitudo, ſecundum quē modum dicimus, Ionum vel Hellenū genus: tertio loco de primo & communi ſubjecto diverſarum formarum, eo modo quo planum eſt genus omnium figurarum planarum: quarto & ultimo modo de eo, quod dicitur de pluribus, & cætera, quæ ipſe apponit definiens genus in Topicis. Quorum quatuor generis modorum ab Ariſtotele traditorum in Metaphyſicis, nullus plane omni ex parte eſt verus: nam quod ad primum attinet, falſiſſimum eſt, genus eſſe continuam generationem aliquorum in eadem ſpecie convenientium, nec unquam reperietur vocabulū generis ab ullo Scriptore neq; Græco neq; Latino recte loquente hoc modo uſurpatum. Niſi forte ita dicere voluit, genus puta hominum vel animalium conſervari per continuam individuorum generationem & ſucceſſionem quod fateor eſſe verum, ſed aliud eſt genus continuam generationem eſſe, aliud per continuā generationem ſervari. Quod autem ſpectat ad ſecundum modum, is ſi eſt idem plane, qui & ſecundus Porphyrii, jam antea à nobis in capite de genere confutatus fuit. Quare de ejus falſitate nihil amplius hoc loco mihi dicendum arbitror. Nec tertius modus videtur eſſe verior duobus ſuperioribus: non enim video quomodo verum eſſe poſſit, quod ille dicit: planum eſſe genus omnium figurarum planarum, cum ut ipſemet tradit in Organo, & triangulus & quadrangulus & omnes hujuſmodi figuræ ſint in genere qualitatis, planum vero ſive ſuperficies, quod apud ipſos idem eſt, in genere quantitatis: niſi forte res unius prædicamenti poteſt eſſe genus rei, quæ in alio prædicamento ſita eſt: quod non ſolum à veritate, ſed etiam ab Ariſtotelis ipſius doctrina eſt alienū. De falſitate quarti & ultimi modi nihil dico, cum ea quoq; à nobis ſupra in eodem capite de genere ſatis ſuperque ſit detecta & refutata. Atque ita rurſus Ariſtoteles in Metaphyſicis de nomine generis, cujus ſignificationes omnes partim à Grammaticis, partim à Lexicographis & vere & recte reperiuntur explicatæ, & clariſſimis exemplis probatiſſimorum authorum comprobatæ: Præter tamen duas ex ſupra memoratis, hoc eſt, ſecundam & quartam, quas

Rober-

Robertus Stephanus à Dialecticis inconsiderate tanquam veras accepit. Nam tanta est hoc tempore *Aristotelis* authoritas apud omnes etiam Grammaticos, præsertim paulo magis credulos, & in istis abstrusioribus studiis parum versatos, ut quælibet ab eo scripta quamlibet falsa & absurda, tamen pro veris & indubitatis accipiant: sed nos, ut spero, errores illius & vitia ita jam supra magna ex parte deteximus & infra detegemus, ut nemine posthac amplius, nisi prorsus imperito & decipi se cupiente, possint imponere. Quod autem attinet ad vocabulum totius, non solum quàm falsò illud explicarit Aristoteles in Metaphysicis, sed etiam quàm stulte introduxerit illud suum totum universale, supra satis jam ostensum est, in capite partim de totis, partim de generali rerum divisione, quo in capite radicitus extirpavimus universalia. Quæ cum ita sint quomodo potest Metaphysica esse necessaria propter explanationem earum, quas dicunt, vocum: cum eas magna ex parte neque vere neq; recte, sed prave & falso exponere deprehendatur? ut constat ex illis, quæ supra dixi, de nominibus naturæ, & generis, & totius, & ex multis aliis, quæ prætermitto, ne sim longior in re manifesta. Et si maxime recte exponeret, tamen à Grammaticis & Lexicographis jure prohiberetur ea exponere ac tractare, tanquam ad se atq; ad officium suum minime pertinentia. Sed quoniam Metaphysica probari non potest esse necessaria, neq, quia perficiat intellectum nostrum ut divinus est, quia cum ipsa imperfecta & falsa sit, alia perficere non potest: neq; quia explanet voces illas communes, cum plerasque earum non vere explanare reperiatur, & si maxime vere explanaret, tamen non suo sed alterius officio fungeretur: an forte necessitatem aliquam habebit, propter probationem principiorum, quæ in particularibus scientiis vel negantur vel in dubium revocantur? nam, ut dixi, hoc officii ac muneris tribuunt Metaphysicæ, tanquam generali scientiæ, ut principia vel subjecta aliarum scientiarum, vel negata vel dubitata confirmet ac probet. At hoc non modo falsum est, sed etiam perridiculum: nam quomodo quæso confirmabit aut probabit Metaphysica principia aliarum scientiarum cum ipsa habeat principium, hoc est, subjectum, quod est ens inquantum ens, ut supra dixi falsum? Præterea quomodo eadem confirmare aut probare poterit quicquam negatum aut dubitatum, *cum nullos habeat syllogismos? nullas inductiones? nullos ar-*

(Inepte. Nam ita concludetur, nec Physicam quicquam argumentari, quæ itidem argumenta dialecticis & Oratoribus mutuatur.)

gumentandi modos? sed hæc omnia vel à Dialecticis vel ab Oratoribus mutuari necesse habeat? Profecto valde mirum est, qui unquam istud Aristoteli aut cuiquam alteri venerit in mentem, Metaphysicam sine ullis disputandi & argumentandi instrumentis habere officium probandi & stabiliendi principia aliarum scientiarum, & ei, quæ magna ex parte falsa est, & sua tutari non

poteſt, attribuendam eſſe alienorum defenſionem. Quod licet ita ſit, nihilominus tamen tunc credam Metaphyſicæ id muneris & officii recte tributum fuiſſe, cum videro vel ipſam ſemet ipſam defendentem, vel Metaphyſicum aliquem pro ipſa, iis quæ à nobis contra eam dicta ſunt, recte reſpondentem. Sic igitur tres illæ cauſæ, quibus Metaphyſica probabatur eſſe neceſſaria, oſtenſæ ſunt eſſe falſæ, ridiculæ, & inanes. Sed denuo inſurgit Ariſtoteles, & cum eo omnes ſectatores illius Peripatetici contra nos, per bella quidem & colorata, ſed fallaci & ſophiſtica ſimilitudine defendentes Metaphyſicam, ac dicentes. Quemadmodum omnium ſanorum, quorum aliqua ſunt proprie ſana, ut animalia, aliqua improprie, ut cibus ſanus, urina ſana, medicina ſana, tamen eſt una eademq; ſcientia, quæ dicitur Medicina: ſic etiam omnium entium, quorum aliqua ſunt per ſe & proprie entia, ut omnes ſubſtantiæ, aliqua vero non per ſe ſed in alio & quaſi improprie, ut omnia accidentia, oportere unam eandemq; eſſe ſcientiam, quæ non poteſt eſſe ulla alia, niſi Metaphyſica. Sic inquam dicunt, ſed falſa & vitioſa ratione conantur defendere ac perſuadere Metaphyſicam eſſe ſcientiam, non ſolum neceſſariam & neceſſario ponendam, ſed etiam generalem. Eò quòd, licet de ſubſtantia primo tanquam de nobiliori & per ſe ente ſit, tamen etiam de omni accidente, tanquam de ente in alio & quaſi improprio metaphoricoq; conſideret. Et quòd, ſicut improprie ſanum ad proprie ſanum reducitur, ſic quod in alio & quaſi improprie eſt ens, ut accidens, ad id quod per ſe & proprie ens eſt, hoc eſt, ad ſubſtantiam reduci oporteat. Quibus ita reſpondeo & dico, de omnibus quidem ſanis tam propriis quàm impropriis merito eſſe unam eandemq; ſcientiam, hoc eſt, Medicinam: quia ſine cognitione ciborum ſanorum, urinarum ſanarum, medicinarum ſanarum, non poſſunt animalia in morbum cadentia commode ſanari. Verum à ſanis ad entia, & à Medicina ad Metaphyſicam, non eſt bona nec idonea ſimilitudo, nec valet argumentatio, ut ſi in Medicina ita ſit, ita quoque in Metaphyſica eſſe debeat. Nam Medicina & vera & neceſſaria ſcientia eſt, Metaphyſica autem falſa & non neceſſaria: præterea non quemadmodum cibus, urina, & medicina improprie dicuntur ſana, ſic etiam qualitas, quantitas, actio & alia omnia accidentia improprie eſſe entia ſunt exiſtimanda. Quis enim tam ſit impudens ut contendere, tam imperitus ut affirmare audeat, cum ita dicitur, qualitas eſt ens, quantitas eſt ens, actio eſt ens, & alia hujuſmodi plurima, has locutiones non eſſe proprias, ſed improprias & figuratas? quemadmodum cum dicitur, cibus eſt ſanus, urina eſt ſana, medicina eſt ſana? certe nemo, niſi forte Dialecticus aliquis loquax & garrulus, aut Sophiſta quiſpiam impudens & importunus. At enim inquiunt, ſi accidentia non neceſſario reducuntur

ducuntur ad ſubſtantiam, tanquam improprie entia ad proprie ens, ut unam eandemq; ſcientiam faciant, at certe eadem accidentia ad ſubſtantiam non reduci non poſſunt, tanquam ea, quæ ſunt entia in alio, ad id quod eſt ens per ſe, & non per accidens, ut ex omnibus una eademque conflетur ſcientia, quæ ſit Metaphyſica. Sed hæc quoque ratio Metaphyſicorum vana eſt, & nullius momenti ad probandum Metaphyſicam eſſe ſcientiam generalem, hoc eſt, tam ad accidentia quàm ad ſubſtantiam pertinentem. *Nam licet ſubſtantia propter præſtantiam & nobilitatem ſuam à Græcis appelletur οὐσία, quaſi dicatur eſſentia, eò quòd ſola videtur eſſe ens per ſe & non in alio, reliqua autem omnia dicantur entia quaſi extranea & in alio exiſtentia, tamen ſubſtantia in latino ſermone, & aliis linguis non appellatur οὐσία, nec verum eſt eam ſtare poſſe ſine accidentibus, ſicut nec accidentia ſine ipſa* : Ad conſtituendam enim & conſervandam eſſentiam utriuſque æque neceſſaria eſt præſentia accidentium ſubſtantiæ, ſicut ſubſtantiæ accidentibus. Atque ideo non ſequitur, ſubſtantiæ & accidentium ſimul, cum ſint res tam diverſæ, oportere unam eandemq; ſtatui ſcientiam generalem : Quod ſi fieret, omnes ſcientiæ particulares eſſent ſuperfluæ & ſupervacaneæ. Sed denuo hic reſiſtunt Metaphyſici, & huic incommodo mederi conantur, dicentes Metaphyſicam per rationes tantùmodo generales & communes conſiderare & pertractare omnia entia, & ſcientiis particularibus relinquere ſuas cujuſque rationes proprias & ſpeciales : quibus in materia particulari & propria tanquam negocientur. Arq; hac ratione contendunt etiam ſi Metaphyſica generalis ſcientia ponatur, non propterea tamen reliquas ſcientias particulares fore ſupervacuas, cum non eiſdem rationibus nec eodem probandi modo hæ & illæ utantur. Quibus ego quoq; denuo contra inſto, & dico iſtas eorum rationes generales & modos probandi univerſales, eſſe mera verba & meras nugas. Nam ego quæro ab eis, cum iſtis ſuis rationibus generalibus & probandi modis univerſalibus, quid unquam veri invenerint? cujus ſcientiæ principia defenderint? cui ſubjecto negato aut dubitato opem tulerint? & denique; in tot ſeculis cum iſta præclara & egregia Metaphyſica ſua quid profecerint? Sed reſpondebunt, nonne Ariſtoteles in tertio Metaphyſicæ probavit verum eſſe principium illud, de quolibet dicitur eſſe vel non eſſe? quod à neſcio quibus, ut opinor, fatuis & mentecaptis negabatur. Nonne etiam ſi quis Philoſopho naturali negaret motum eſſe, ſtatim rationibus metaphyſicis, hoc eſt, communibus probari poſſet in rerum natura, non omnia eſſe prorſus quieſcentia, ſed reperiri etiã aliquid quod moveatur? ſic inquam fortaſſis reſpondebunt Adverſarii. Sed ego illis viciſſim reſpondeo, me valde mirari atque obſtupeſcere, quî fieri poſſit, ut non cognoſcant,

neq; ſentiant imperitiam, ne dicam fatuitatem Ariſtotelicam in quæſtionibus hujuſmodi vel proponendis, vel tractandis, vel ſolvendis. Scilicet niſi Ariſtoteles adverſus illos neſcio quos mente captos diſputaſſet in Metaphyſicis, periculum erat ne genus humanum ab illis perſuaſum crederet, duo contradictoria Metaphyſica, verendum, credo, fuerat: ſi quis forte negaſſet motum eſſe, ne non modo homines & omnia animalia, ſed etiam flumina. & cælum, cum planetis & ſtellis omnibus perpetuo ſtare, & nunquam moveri putaremus. ô pueriles ineptias, ô ſtolidam ſapientiam, ſi de tam manifeſtis rebus etiam dubitamus, & ut dubitare deſinamus etiam expectamus auxilia Metaphyſicæ & Metaphyſicorum. Næ veriſſimum eſt illud quod Cicero quodam loco dixit, nihil tam abſurdum excogitari poſſe, quod non dicatur ab aliquo Philoſophorum, ut jam apud nonnullos Philoſophi nomen non immerito eſſe cæperit ridiculum & infame. Sed jam ſatis apparet, ut opinor, Metaphyſicam, ut initio propoſueram, eſſe ſcientiam primo neq; veram, quia eſt de ente inquantum ens, hoc eſt, de ſubjecto univerſaliſſimo, ac falſiſſimo, & quia pleraſque voces explanat falſò & contra communem loquendi probatorumque Scriptorum conſuetudinem: & ſi maxime recte explanaret, tamen non ſuo ſed alieno, hoc eſt, Grammatici, vel Lexicographi, vel Obſervatoris, fungeretur officio. Deinde neq; neceſſariam, quia neq; perficit intellectum noſtrum, ſed potius perturbat ac confundit: Neque probat principia aliarum ſcientiarum, quia caret omnibus inſtrumentis probandi, & quia cum ſe ipſam ſuaq; tueri non poſſit, multo minus tuebitur aliena. Poſtremo neque univerſalem, quia rationes omnes quibus univerſalitatem illam ei attribuere conantur, vel falſæ ſunt, vel infirmæ, vel etiam ridiculæ. Neque tamen propterea nego in Metaphyſicis multa eſſe vera, & non inutilia legentibus, ſed hoc contendo, multò plura eſſe vel falſa, vel inutilia, vel ridicula, quàm vera, utilia, & ſeria: & propterea in tertia parte Philoſophiæ Theoricæ ab Ariſtotele & Peripateticis ſcientiam iſtam non recte fuiſſe poſitam, & cum immerito poſita fuerit ab omni ſcientiarum atq; artium numero ejiciendam, Sed ita tamen ejiciendam, ut quæ in ea & vera ſunt & utilia, ad aliam quampiam artem vel ſcientiam veram transferantur, hoc eſt, partim ad Grammaticã & ad Lexicographos, ad quam & ad quos maxima ex parte pertinent: partim ad Naturalem Philoſophiam, cujus ex alia parte maxime videntur eſſe propria: partim ad Rhetoricam, à qua non ſunt aliena propter ea, quæ traduntur de definitione: partim ad Theologiam, ad quã totus Metaphyſicæ liber XII. videtur pertinere: partim deniq; ad Ethicam & Politicam, propter alia quædam, quæ diverſis in locis ſparſa reperiuntur.

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

De comprehenſione univerſorum ſingularium vere philoſophica & oratoria: & ſimul de abſtractione univerſalium pſeudophiloſophica & barbara, contra falſam Ariſtotelis doctrinam falſo dicentis, abſtrahentium non eſſe mendacium.

TAmetſi ſupra in ſeptimo capite primi Libri ſatis oſtenſum eſt, ſcientias & artes omnes tradi non de univerſalibus pſeudophiloſophicis & barbaris, ſed de univerſis generibus ſive de omnibus ſingularibus ſui cujuſque generis ſimul: & præterea etiam dictum eſt, ipſa univerſa genera percipi & intelligi, non per abſtractionem illam chimericam unius univerſalis ab omnibus ſingularibus, ut ſomniāt pſeudophiloſophi, Sed per comprehenſionem omnium ſingularium ſui cujuſq; generis, univerſe ſive in univerſum acceptorū, ut doctiſſimi quiq; & recte loquentes viri ſcriptis ſuis teſtificantur: ex quo patuit univerſalia non eſſe neceſſaria propter artes ſcientiasque tradendas, id quod tunc probare volebamus. Tamen quod ad abſtractionem pſeudophiloſophicam attinet, nō ſatis illic probavimus eam eſſe falſam, ſed hunc in locum perfectam ipſius refutationē everſionemq; diſtulimus: ut quemadmodum hic error ſeparatus eſt ab illo univerſalium, & idem non facillimus ad refutandum: ſic etiam ſeorſum & per ſe, atq; ideo magis clare magisque aperte refutari poſſet. Quo facto etiam manifeſtius apparebit falſitas & vanitas univerſalium nam ſi univerſalia per ſe abſtractionē fiunt tanquam per parentem, ut Pſeudophiloſophi fatentur, & abſtractio ipſa falſa eſt, ut nos docebimus, quomodo poſſunt univerſalia (etiam ſi nullo alio argumento refutarentur) non eſſe falſa? certe nullo modo: ſed jam probare aggrediemur abſtractionem iſtam eſſe falſam, ſi prius admonuerimus recte philoſophari cupientes, nos quidem everſuros prorſus & ſublaturos eſſe hanc abſtractionem pſeudophiloſophicā, ut pote mēdacem, falſam, & non neceſſariam: ſed in ejus locum repoſituros & quaſi ſubſtituturos eſſe comprehēſionem vere philoſophicam & oratoriam, ex qua fiant & quaſi procreentur univerſa illa, de quibus nos ſcientias & artes proprie tradi, demonſtrationes & ſyllogiſmos vere fieri ſupra docuimus: ut ſtudioſi recte philoſophandi, nihil ex iſtius abſtractionis

abla-

ablatione & eversione amissuri sint, sed lucrum facturi maximum ac pro falsis vera, pro monstrosis naturalia, pro inusitatis usitata, & denique pro barbaris vere docta & erudita dogmata recepturi. Est ergo nostra hæc, quam dicimus, comprehẽsio vere philosophica & oratoria, nihil aliud nisi actio quædam sive operatio intellectus nostri, qua mens hominis singularia omnia sui cujusq; generis simul & semel comprehendit, & de eis ita comprehensis artes omnes & scientias tradit, ratiocinationes, & cæteras argumentationes generales facit. Et deniq; per quam, ut Pseudophilosophi per abstractionem universalia illa sua fieri comminiscuntur, sic nos universa nostra vere effici dicimus & affirmamus, & nostræ hujus affirmationis, authores citamus & tãquam testes proferimus omnes Scriptores tam veteres quam recentiores, tam Græcos quam Latinos recte loquentes: ex quibus nemo unquam, quod nos quidem sciamus, abstractionem illam pseudophilosophicam ne somniavit quidem, nedum usurpavit aut intellexit, sed omnes nemine prorsus discrepante tam in scientiis tradendis quam in syllogismis faciendis usi sunt comprehensione hac, quam dicimus, singularium omnium cujusq; generis simul & semel, & hujus ejusdẽ auxilio effecerunt, illud quod Græci τὸ καθόλου εἰπεῖν, Latini vero in universum loqui appellant. Quod autem supra dixi Scriptores recte loquentes, ita intelligi volo, ut inter Scriptores recte loquentes numerentur apud Græcos Plato, Isocrates, Demosthenes, Xenophon, & cæteri similes, qui recte græce, hoc est, vere cæterorum Græcorum more locuti sunt: non Aristoteles, non Alexander Aphrodisiensis, non Simplicius, non Hammonius, non alii omnes, quicunq. Peripatetici fuerunt appellati: non quidem in omnibus scriptis suis, si qua alia forte reliquerunt, sed tantum in Dialecticis, & Metaphysicis, & in magna parte librorum naturalium. In his enim solis eos valde reprehendo ac damno, tanquam linguæ græcæ depravatores, & communis loquendi consuetudinis corruptores: in cæteris vero non redarguo, sed vehementer laudo, & inprimis Aristotelem in libris de Animalibus, de Rhetorica, de Rebus moralibus, Politicis, & Oeconomicis, & aliis multis, quanquam in his quoque non pauca sunt, quæ non omnino careant vitio, sed tanta est in eis multitudo rerum bonarum, ut quæ minus bona sunt, non apparere quodammodo & ferenda esse videantur. Ac rursus *cum Aristotelem & hic dico & aliis fere omnibus in locis hujus operis nomino, semper intelligere volo non de Aristotele illo, quem Cicero tantopere laudat, & qui Magni Alexandri ac Theophrasti Præceptor fuit: sed de hoc, quem nunc habemus, ac de scriptis ejus, quæ in ultima operis hujus parte, probaturi sumus non vere esse Aristotelica.* In Scriptoribus inquam recte loquentibus eos, quos dixi, apud Græcos numé-

numerari volo: apud Latinos vero Terentium, Ciceronem, Cæsarem, Salluſtium, Virgilium, Horatium, C. Plinium, Cornelium Celſum, & alios multos, quorum opera nunc extant. Quorum nemo, ut dixi, abſtractionem illam monſtroſam ne ſomniavit quidem unquam, tantum abeſt, ut cognoverint aut approbaverint. At iidem quotieſcunque uſus venit, comprehenſionem hanc de qua ſermo eſt, & id quod per eam efficitur, univerſe ſive in universum loqui, ſive ut Græci dicunt τὸ καθόλου εἰπεῖν, omnes ſi non verbis at certe re ipſa recipiunt, approbant, & uſurpant. Nemo enim unquam poterit nec apud Græcos τὸ καθόλου εἰπεῖν, nec apud Latinos univerſe ſive in universum loqui, niſi comprehendat omnia ſingularia, eo quo diximus modo, & comprehenſionis veræ, non abſtractionis falſæ auxilio utatur. Atque hac de cauſa nos in philoſophiam pro abſtractione pſeudophiloſophica introducimus comprehēſionem vere philoſophicam & oratoriam, & ejus ſolius beneficio tum ſcientias & artes omnes tradi, tum ſyllogiſmos & quaſcunq; alias argumentationes generales fieri affirmamus. Quod autem pertinet ad abſtractionem pſeudophiloſophicā, quam Ariſtoteles & Peripatetici ſectatores ejus omnes uſq; adeo veram & omni falſitate carentem putant, ut audeant nec ullo pacto dubitent affirmare, abſtrahentium nullum omnino eſſe mendaciū: perinde quaſi qui eo modo, quo ipſi volunt, abſtrahunt, nullo modo nec decipi poſſint nec errare: De abſtractione inquam nos in hoc capite contra illos omnes ita ſumus diſputaturi, ut luce clarius appareat eos in abſtrahendo non ſolum eſſe mendaces & falſos, ſed etiam maximorum & fœdiſſimorum mendaciorum & falſorum authores: quod ut facilius intelligatur, paulo altius repetenda eſt eorum de abſtractione doctrina. Abſtractionis autem ſive abſtrahendi apud eos tres ſunt modi, unus in rebus Phyſicis, alter in Mathematicis, tertius in Metaphyſicis. Ad quos tres modos confirmandos in primis ſibi ſumunt & ponunt hoc, omnē materiam, quæ ſub conſiderationem & cognitionem noſtram venit, eſſe aut ſenſibilem aut intelligibilem: ac ſenſibilem appellant eam, quæ percipitur non ab intellectu, ſed à ſenſu: intelligibilem vero, quæ non à ſenſu, ſed ab intellectu. Ac rurſus utranque harum ajunt eſſe aut communem & univerſalem, aut individuam & ſingularem. Ut in ſumma ſint quatuor materiarum conſiderandarū formæ, una ſenſibilis communis & univerſalis, ut exempli gratia, cum dicitur caro & nervus: altera ſenſibilis individua & ſingularis, ut cum profertur, hæc caro, hic nervus: tertia intelligibilis communis & univerſalis, ut cum pronuntiatur, ſubſtantia: quarta & ultima intelligibilis individua & ſingularis, ut cum dicitur, hæc vel illa ſubſtantia. Quibus quatuor materierum modis ita conſtitutis ſtatim dividunt

cõsiderationes earum & abstractiones hoc modo, ut dicant: Physicum sive naturalem Philosophum cõsiderare materiam sensibilem universalem, ut carnem & nervum: abstrahere autem à materia sensibili singulari, ut ab hac carne, ab hoc nervo. Mathematicum vero speculari materiam intelligibilem universalem, ut substantiam, quæ quantitati proxime subjecta est: abstrahere à materia intelligibili individua, ut ab hac vel ab illa substantia. Postremo Metaphysicum contemplari res sive, ut ipsi loquuntur, entia abstracta à materia tam intelligibili quàm sensibili, tam universali quàm singulari, tam secundum rem quàm secundum rationem: qualia sunt ens, unum, actus, potentia, & cætera hujusmodi, quæ ab Aristotele traduntur in Metaphysicis. De abstractione dialectica, si tamen est ab istis separata, nihil hic dico, quoniam supra cum de universali loquerer, satis docui, quid & qualis esset, & quomodo fieret, & lectorem admonui, cum universalia, quæ ex ea gigni dicuntur, falsa sint, eam quoq; non posse non esse falsam. Quamobrem dialectica abstractione prætermissa, de reliquis tribus dicam id quod sentio, & quod verissimum esse arbitror, hoc est, eas quoq; non minus esse falsas inutiles & supervacuas. Nam quod ad considerationem & cognitionẽ materierum attinet, dico omnẽ materiam sensibilem esse etiam intelligibilem, & quicquid percipitur à sensu, idem etiam percipi ab intellectu, ac multo quidem perfectius, sed non contra. Nam multa cognoscit intellectus, ut genera universa, quale est universum genus animalium, & res universales, puta bellum universale, & voces universales, ut vocem animalis ad quorum nullius cognitionem sensus noster potest pertingere, saltem perfecte. Ac sensibilia omnia tam singula quàm universa, non solum à sensu sed etiam ab intellectu percipi, & quidẽ perfectius, illud est vel manifestissimum signum, quod sensus visus, exempli gratia, cognoscit tantummodo candorem, & nigrorem, cæteroſq; colores, & præterea nihil ultra. At intellectus non solum utrunq; percipit, sed etiam utriusq; nomina & proprietates: scit enim hunc appellari candorem, illum nigrorem, hunc disgregare visum, illum congregare: quod si neutrum cognosceret, ut dicunt isti Philosophastri, quomodo quæso & nomina & vires illorum essentei nota? Dixi autem intellectum nostrum cognoscere genera universa non genera universalia, quia talia genera & talia universalia, cum non vere sint in rerum natura, ut supra docui, nec à sensu nec ab intellectu vere possunt intelligi. Præterea tam bruta animalia quàm homines vident hos, quos dixi, duos colores, & tamen soli homines dicere possint, hunc candorem esse, illum nigrorem, hunc congregare, illum disgregare, cur ita: quia homines intellectum habent, quo hæc discernuntur, bruta animalia non habẽt. Quamobrẽ necesse est, singularia non

non ſolum à ſenſu ſed etiam ab intellectu cognoſci, & quidem perfectius, ut dictum eſt. Alioqui reddenda ratio, qui fieri poteſt, ut intellectus earum rerum, quas non cognoſcat, & nomen & proprietatem vere cognoſcere dicatur Poſtremo ſi, ut ſupra probavimus, quicquid eſt in rerum natura, id eſt, aut ſingulare aut multitudo ſingularium: & nullum eſt, nec vere eſſe poteſt univerſale pſeudophiloſophicum: oportet intellectum noſtrum aut nihil prorſus intelligere, aut intelligere ſingularia, tam ſingula quam univerſa. Nam ſi nullam dicatur habere cognitionem ſingularium, quomodo obſecro intelligere poterit univerſa? profecto maxima admiratione vel potius obſtupefactione dignũ eſt, qui fieri potuit, ut tanta doctorum hominum multitudo, in tantum errorem delapſa ſit, & tam diu neſcio quomodo vana quadam ratione, & nuda Ariſtotelis authoritate perſuaſa crediderit univerſalia, quæ non ſunt in rerum natura, cognoſci ab intellectu noſtro, ſingularia vero, de quibus nemo dubitat quin vere ſint, non cognoſci. Sic igitur nos dicimus & cõcludimus adverſus vanam illam & ſtultam Ariſtotelis & omnium Peripateticorum opinionẽ, intellectum noſtrum cognoſcere & intelligere ſingularia tam ſingula quam univerſa. De generibus vero & ſpeciebus univerſalibus more Pſeudophiloſophorum, nullam prorſus habere cognitionem aut intelligentiam veram, quia non vere ſunt. Quæ cum ita ſint, ut etiam melius infra conſtabit, jam illud dubium eſſe non poterit, quin omnis abſtractio à Pſeudophiloſophis introducta, ſive ea dialectica ſit, ſive phyſica, ſive mathematica, ſive metaphyſica, ut ipſi vocant, non modo falſa ſit, ut poſtea docebimus, ſed etiam omnino ſupervacanea, & nullam ad rem omnino neceſſaria. Nam ſi intellectus noſter, ut probatum eſt, per comprehenſionem intelligit ſingularia tam ſingillatim quam univerſe, & quocunq; alio modo intelligi poſſunt: quid obſecro amplius ad intelligendum ipſa ſingularia, aut ad tradendam de illis ſcientiam, aut ad probandum aliquid de eis per ſyllogiſmum, opus eſt ulla abſtractione aut dialectica, aut phyſica, aut mathematica, aut metaphyſica? profecto nulla. Atque ita dubitandum non eſt, omnes Pſeudophiloſophorum abſtractiones ita ut diximus, eſſe ſupervacuas & prorſus non neceſſarias. Utrum autem etiam ſi non neceſſariæ, tamen veræ ſint, rurſus hinc demonſtrare incipiamus: ac primum quod ad dialecticam abſtractionem attinet, dicimus eã deſtructis ſupra univerſalibus, ſatis ipſam quoq; deſtructam eſſe. Nam ſi univerſalia, quæ ex abſtractione fieri dicuntur, falſa ſunt, quomodo quæſo poſſumus negare, abſtractionem quoque non eſſe falſam? niſi forte quis à vera cauſa & tanquam à matre legitima effectum falſum, & tanquam ſpurium filium procreari poſſe autumat. Quod autem ſpectat ad abſtractionem & conſiderationem phyſicam

dico Philoſophum naturalem, ne ab eorum exemplis diſcedam, cum carnem & nervum conſiderat, & de carne ac nervo ſcientiam tradit, non conſiderare nec abſtrahere ullam carnem univerſalem ab omnibus ſingularibus carnibus, nec ullum nervum univerſalem ab omnibus ſingularibus nervis, ut Pſeudophiloſophi nugantur, quia talis caro & talis nervus vere non eſt nec eſſe poteſt in rerum natura: ſed omnes ſingulares carnes & omnes ſingulares nervos, quæ & qui ſunt in mundo, hoc eſt, univerſum genus carnium & univerſum genus nervorum, ita ut eſt in materia ſimul & ſemel animo comprehendere & mente conſiderare, atq; ita de univerſis illis ita comprehenſis, probare & demonſtrare id quod vult. Quo conſiderandi rerum naturalium modo poſito, tanquam à doctiſſimis quibuſq; viris approbato & uſurpato, nihil amplius opus eſt cõminiſci, & tanquam ſomniare ullum nervum, aut ullam carnem, aut ullam aliã materiam ſenſibilem & univerſalem, quæ naturali Philoſopho ad conſiderandum ſubjecta ſit, ut garriunt Pſeudophiloſophi, cum talis nulla in mundo reperiatur, & cũ omnia quæ conſiderantur à quocũq Philoſopho, & quacumq; in facultate neceſſario ſint ſingularia & individua, aut ſingillatim ſumpta aut univerſe: omninoque in rerum natura, ut ante docui, nihil ſit, quod non ſit ſingulare aut ſingillatim & per ſe, aut univerſe & cum aliis acceptum. Atque ita patet primo formam illam conſiderandi res ſenſibiles univerſales, quam Pſeudophiloſophi tribuunt Phyſico & naturali Philoſopho, non eſſe veram: Deinde modum iſtum abſtrahendi à materia ſenſibili ſingulari, quam naturalem vocant, hoc eſt, ut ipſi exponunt, ab hic & nunc, ut ab hac carne & ab hoc nervo, quæ & qui eſt nunc, non ſolum eſſe falſum, ſed etiam barbarum. Nec minus mendax & falſus eſt modus ille conſiderandi & abſtrahendi, quem Philoſophaſtri aſſignant mathematico Philoſopho, & mathematicum appellant, cum in conſiderandis rebus Arithmeticis, & Geometricis, cæteriſq; Mathematicis, non magis ſit opus ullâ abſtractione quàm in naturalibus & politicis rebus, & eodem plane modo tam hæ quàm illæ conſiderentur ac tradantur, per illam, ſcilicet, quam toties dixi, univerſorum cujuſcunq; generis ſingularium comprehenſionem ſimul & ſemel intellectu factam. Ex quo ſequitur Mathematicum iſtum conſiderandi & abſtrahendi modum, ut dixi, eſſe mendacem & à veritate longe alienum, cum id quod iſti per intellectum abſtrahere vocant, revera non ſit, abſtrahere nec ſeparare res intellectas à materia, ſed eis ita ut erant, in materia relictis, *conſiderare unam rem ſine alia*, hoc eſt, ſubjectum

(Quod *abſtrahere*, ſi ſano ſenſu accipiatur nihil aliud ſit, quàm conſiderare unam rem, alia non conſiderata, pluribus hodie inculcavit Thomas Hobbes.)

ſine qualitate, vel qualitatem ſine ſubjecto, vel unã qualitatem ſine alia qualitate, & denique per intelligentiam comprehendere omnia generis conſiderati ſingularia ſimul & ſemel ita ſeparata. Quod ſupra dixi, nihil aliud eſſe niſi

conſiderare

considerare res non universaliter, ut pseudophilosophi & falso & barbare loquuntur, sed universe vel in universum, ut Cicero & probatissimi quique Scriptores loqui consueverunt, cum eam rem exprimere volunt, quam Græci recte loquentes vocant, τὸ καθόλου. Itaque iterum dico in contemplandis rebus sive naturalibus, sive mathematicis, sive aliis quibuscunque, earumque scientiis & artibus tradendis nõ necesse esse nobis, ut quasi monstrose abstrahamus eas à materia, sed ut illis in materia, sicut erant relictis per intelligentiam separemus, ut dixi, qualitates à subjectis suis, vel alteram qualitatem ab altera disjungamus: atq; hoc modo simul & semel cognitione comprehendamus omnia earum singularia, & ita consideremus eas probantes & demonstrantes de ipsis omnia, quæ nobis videantur. Ut exempli gratia, in mathematicis si probare velim aliquid de linea vel de triangulo, ut puta, lineas parallelas non concurrere, aut triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, non necesse habebo per intellectum abstrahere & separare ullam lineam, aut ullum triangulum à materia, quod fieri non potest, ut mox ostendemus, sed omnes singulares lineas, & omnia singularia triangula sine subjectis in quibus sunt, & sine aliis omnibus accidentibus simul & semel intelligentia comprehendam, deque eis ita comprehensis id quod opus erit, demonstrabo & probabo. In naturalibus vero si probandum mihi sit, omne animal habere sensum tactus, non erit mihi necessarium ab omnibus singularibus animalibus, abstrahere unum animal universale, quod probem esse sensu tactus præditum, quemadmodum imperitissime simul & stultissime Philosophastri docent (est enim revera hoc totum negocium hoc modo abstrahendi falsum & non necessarium) sed de omnibus animalibus singularibus per intellectum simul & semel cõprehensis, sive de toto genere universaq; multitudine singularium animaliũ sic comprehensa tanquã de uno animali probabo id quod erit probandum. Et hoc modo una eademq; argumentatione animal omne sensum tactus habere demonstrabo. Qui modus considerandi res non per abstractionẽ sed, ut dixi, per cõprehensionem: non abstrahere à materia per intellectum dici debet, sed intellectu quasi congregare omnia singularia animalia, ut de eis omnibus semel tanquam de uno fiat probatio. Quod à doctissimis quibusque viris, ut dixi, non universaliter, sed universe sive in universum rẽ considerare nunc upatur: & si quis forte Pseudophilosophus tam erit audax & improbus, quales fere omnes hodie Philosophastri sunt, is sciat se non mihi tantum adversari, sed etiam omnibus Scriptoribus tã Græcis quã Latinis recte loquẽtibus: apud quos hoc, quod est probare aliquid universe sive in universum, aut quod Græci καθόλου dicunt, passim usurpatum reperiretur, & eo, quo dixi, modo, non aliter nec alio modo

intelligitur. Sed jam satis dictum est de naturali & mathematica, nunc superest ut de metaphysica etiam abstractione aliquid dicamus. Hanc vero nos idcirco multo magis, quam illas superiores, fallam & mendacem affirmamus: quoniã ex superioribus illis, naturalis tantummodo dicitur considerare ea, quæ sunt non abstracta à materia, sed immersa in ea secundum rem, ut illi loquuntur, & secundum rationem. Mathematica vero speculari solum ea, quæ licet, ut illi dicunt, sint abstracta à materia secundum rationem, tamen secundum esse, in materia sunt immersa: At Metaphysica non solum secundum rationem, sed etiam secundum esse statuitur esse prorsus separata atque abstracta à materia. Quo fit ut quanto magis dicitur esse remota à singularium aut materialium rerum conditionibus, tanto magis recedat à veritate: cum, ut supra docuimus, nihil prorsus sit in rerum natura, nisi vel singulare vel multitudo singularium, sive ea singularia materialia sint sive immaterialia, & cum omnis consideratio, ut ante dixi, cujuscunque Philosophi sit, & in quacunque arte aut scientia fiat, necessario aut in singularibus ipsis, aut in singularium multitudinibus considerandis versetur, idque singillatim aut universe sive in universum, nec ullus alius præter hos duos sit, aut esse possit verus considerandi rerum modus. Nam quod Metaphysici Græci dicunt, ὂν ᾗ ὄν, Philosophastri autem Latini, ens inquantum ens, esse verum Metaphysicæ subjectum, & à Metaphysico solo proprie considerari: quodque affirmant istud suum ens, esse prorsus separatum & abstractum ab omni materia omnique ente singulari, & alia multa hujusmodi: Ego ad hæc omnia cõmentitia & mera somnia, respondeo eodẽ modo, quo paulo ante dixi, & quo supra responsum est in destruendis universalibus. (oportet enim has responsiones non semel tantum afferri, sed multoties iterari & inculcari, ut tandem aliquando veritas, si fieri potest, in mentibus hominum hæreat, & contrariam sibi falsitatem extrudat.) Respondeo inquam omne ens mundi non falsum neq; cõmentitium sed verum, esse aut unum ens individuum & singulare, aut unam multitudinem entium singularium & individuorum: & præter hos duos essendi modos, nullum alium esse tertium ac verum: & rursus omnem modum considerandi rerum similiter non falsum, neq; commentitium, sed verum, fieri ac versari in rebus singularibus & individuis vel singillatim vel universe sive in universum acceptis: & præter hos duos considerandi modos, nullum alium esse tertium, qui quidem verus sit, & non falsus neq; commentitius. Itaq; si istud Metaphysicorum ens inquantum ens, est subjectum Metaphysicæ & à Metaphysico solo consideratur, ut ipsi dicunt, necesse est ut sit aut singulare & individuum, aut multitudo singularium & individuorum, & ut consideretur aut singillatim & per se, aut universe

sive

ſive in univerſum, & ſi neutro modo ſit, neutroq; modo conſideretur, ut nullo pacto nec eſſe nec conſiderari poſſit. Præterea ſi tale ens in rerum natura eſſe ſtatuatur, quod neq; ſit ſingulare neq; multitudo ſingularium, nec ſingillatim nec univerſe conſideretur, oportet aut rationem aut neceſſitatẽ aliquam afferre, cur ita ſtatuatur, aut certe confiteri illud eſſe penitus ſupervacuum & inane. Nos enim ſupra probavimus tale ens, hoc eſt, ut ipſi intelligunt, univerſale, prorſus nec utile nec neceſſarium eſſe, nec propter artes ſcientiaſq; tradendas, nec propter ſyllogiſmos argumentationeſq; formandas, nec propter prædicationes ſuperiorum de inferioribus faciendas: & propterea nulla unquam ratio ſatis vera & idonea poterit afferri, quamobrem tale ens inquantum ens, introducendum fuiſſe, & non omnino falſum & vanum eſſe videatur. Ex quibus patet, ut ad propoſitum redeamus, abſtractionem metaphyſicam, ipſam quoq; neceſſario non ſolum falſam, ſed etiam inanem & ſupervacuam eſſe judicandam. Nanque ut jam aliquoties dixi, & rurſus dico, ut clare intelligar, ſi univerſalia, quæ ex abſtractione tanquam ex parente fieri dicuntur, falſa & ſupervacua ſunt, ut certe ſunt, quomodo quæſo iſta abſtractio non ipſa quoq; falſa & ſupervacua fit? certe nemo unquam poterit eam à falſitate & vanitate tueri, niſi defendat univerſalia non eſſe falſa & inania: nec defendere valebit univerſalia niſi probet eã non ſolum poſſe fieri & non eſſe monſtroſa, ſed etiã ad aliquam rem ſeriam agendam utilia & neceſſaria. Sed de abſtractione phyſica, mathematica, & metaphyſica ſeparatim hactenus ſatis: nunc de omnibus communiter aliquid dicamus, & oſtendamus eas etiam ſi utiles & neceſſariæ eſſent, tamen non poſſe fieri. Nam ſi in conſiderandis rebus ſive naturalibus ſive mathematicis, ſive metaphyſicis, oportet eas abſtrahere, ut Pſeudophiloſophi dicunt, quæro ab eis, ab unane tantum re ſingulari unius alicujus generis abſtractionem iſtam faciant, an à pluribus, an ab omnibus: & ſi ab una tantum ſingulari reſpondeant, rurſus quæro à qua potiſſimum: neceſſe eſt enim ab una aliqua, & non major ratio eſt ab una quam ab alia, hoc eſt, ab hoc ligno, exempli gratia, quam ab illo, ab hac linea quam ab illa, & deniq; ab hoc ente quam ab illo. Quamobrem iſta reſponſio eſt vana, & nullam habet rationem. Quod ſi reſpondeatur, ab omnibus, non minus ridiculum & vanum erit reſponſum: qui enim fieri poteſt, ut unus & idem homo, ex tam diverſis & pene innumerabilibus ſubjectis unum & idem lignum, unam eandemq; lineã, unum & idem ens univerſale conſiderandum, præſertim in tam parvo temporis ſpatio poſſit abſtrahere? certe nemo ſanus ita reſpondeat. Sin non ab una re, nec ab omnibus, ſed à pluribus abſtractionem fieri dicant, eadem erit quæſtio, cur ab his potiſſimum & non ab aliis. Itaque quomodocunque ſe vertant philo-

philosophastri, ridiculi & irrationales appareant necesse est, cum ista sua plusquam sexcenties stulta abstractione, non solum naturali & metaphysica, sed etiam mathematica. Quam etiam si concederem esse veram, non propterea tamē minus inanes & ridiculi essent existimandi, quippe qui non possent mihi reddere rationem cur lineam & superficiem, exempli gratia, magis esse res mathematicas dicant, quam colorem & sonum: nec quare illa sine materia, hæc cùm materia considerari putent. Certum est enim eos, qui colores ac sonos considerant, & de eis scientiam tradunt, non id facere quatenus sunt in aliqua certa materia sive subjecto, sed generaliter in quacunque materia vel subjecto reperiantur. Id quod vel maxime ita esse cognoscitur ex definitionibus eorum: sunt enim color & sonus, ut etiam illi definiunt, duæ qualitates naturales, quarum illa visu, hæc auditu percipitur: in quarum definitionum neutra est appositа certa ulla materia, quemadmodum nec in illa quæ est rei mathematicæ, cum dicitur, longitudo est qualitas rei longæ, latitudo est qualitas rei latæ. Quod si quis dicat in definitionibus coloris & soni appositos esse duos sensus, quasi materias quasdam & subjecta, hoc est, visum & auditum: respondeo has non esse materias singulares certas, sicut nec in illis, longitudinis & latitudinis, rem longam & rem latam. Ac si idem pergat asseverare visum & auditum esse certas materias, ego quoq; rem longam & rem latam certas esse materias affirmare perseverabo, nec unquam ulla sana ratione probare poterit visum & auditum magis esse aut materias simpliciter, aut materias certas, quam rem longam & rem latam. Et si respondebitur in definitione mathematica lineæ & superficiei quæ sunt, linea est longitudo sine latitudine, & superficies est longitudo & latitudo simul sine profunditate, nullam esse omnino materiam: ego quoque vicissim referam, definitionem coloris candidi, & acuti soni, omni prorsus materia carentem: cum ita dicitur, *candor*

(Hæc definitio inanis est, similiter enim nigrities esset definienda: color contrarius candori, & ita oriretur Circulus.)

est color contrarius nigritiei, & sonus acutus est sonus contrarius sono gravi. Ex quo patet res, quas isti appellant naturales, in quarum numero sunt color & sonus, sine ulla materia certa, vel etiam sine materia simpliciter non minus considerari ac definiri posse, quam res arithmeticas & geometricas & cæteras, quas mathematicas vocant, ut nulla possit afferri ratio certa, cur linea & superficies magis quam color & sonus dicantur res abstractæ & à materia separatæ, aut omnino cur illæ magis quam hæ inter res mathematicas numerari & mathematicæ appellari debeant. Atque ita, ut dixi, etiam si concessero Philosophastris suam illam abstractionem mathematicam esse veram, tamen non poterunt reddere rationem cur res geometricas & arithmeticas magis mathematicas, hoc est, à materia per considerationem separatas dicant, quam colorem

& so-

& ſonum & cæteras res naturales, atq; etiam morales & civiles. Quamobrem ut dixi, quocunq; ſeſe vertant Pſeudophiloſophi non poſſunt effugere quin tā colorem & ſonum res mathematicas eſſe confiteantur, quàm lineas & ſuperficies: & denique quin prorſus deſipere & delirare videantur, cum ſua illa pluſquam ſexcenties ſtulta abſtractione, quæ neq; in contemplandis rebus divinis eſt neceſſaria, quoniam ipſæ ſatis per ſe ſunt abſtractæ à materia, nec ut ab ea ſeparentur ulla intellectus noſtri ope indigent: Nec in rebus mathematicis, quoniam res mathematicæ, ut conſiderentur eodem modo quo naturales, nec ſeparari à ſingularibus nec abſtrahi, quia non poſſunt, ſed congregari earum ſingularia comprehendiq; mente, atque ita comprehenſa conſiderari, probari & demonſtrari debent: Nec deniq; in naturalibus aut ullis aliis, quæ conſiderentur à nobis, & de quibus artes ſcientiæque tradantur, in omnibus enim his ſatis ſuperq; eſt comprehenſio illa ſingularium, quam toties dixi, per intellectum, & conſideratio eorum univerſe, hoc eſt, ſimul & ſemel omnium. Hic enim comprehēdendi & conſiderādi rerum modus jam inde à principio mundi ſemper fuit approbatus & uſurpatus à doctiſſimis quibuſq; viris tam Græcis quàm Latinis recte loquentibus, non ſolum Oratoribus ſed etiam Philoſophis, cum non Pſeudophiloſophorum ſed doctorum hominum vel Græcorum vel Latinorum more loquebantur. At ille alter modus, quo ſe iſti res conſiderandas & tradendas per intellectum abſtrahere & quaſi prodigioſe à materia ſeparare dicunt, à nemine unquam, niſi Pſeudophiloſopho & linguarum corruptore fuit approbatus aut uſitatus: Non à Platone, qui ponebat non univerſalia eo modo, quo Ariſtoteles, ſed Ideas illas ſuas falſas quidem & vanas: ſed multo minus falſitatis ac vanitatis quàm univerſalia continentes: non ab Iſocrate, non à Xenophonte, non à Demoſthene, non ab ullo alio Græco, quod ſciam, niſi Pſeudophiloſopho: non à M. Tullio, non à Varrone, non à Seneca, non à Plinio, & ne omnes ſingillatim perſequar, non ab ullo Latinorum veterum, ſed nec recentiorum, niſi barbaro & Philoſophiæ pſeudariſtotelicæ Sectatore. Quare qui recte philoſophari cupiunt, nullo pacto recipiant aut probent iſtas falſas & commentitias abſtractiones Pſeudophiloſophorum, ſed eas rejiciant & prorſus improbent: pro certo habentes in nulla demonſtratione ſive probatione tam mathematica quàm phyſica & naturali neceſſariā eſſe iſtam abſtractionem ſophiſticam: & eo plane modo conſiderari & probari & demonſtrari res mathematicas, ſicut res naturales, hoc eſt, comprehendendo ſingularia eorum univerſa ſive in univerſum, ſive generaliter, ſive cunctas ſimul & ſemel, quæ omnia idem ſunt. Et denique res naturales, ſi modo iſtud, quod vocant, abſtrahi, aliquid eſt, nō minus eſſe abſtractas à materia quā res mathematicas.

Nam quæro ab iſtis abſtractoribus, quæ ratio aut quæ cauſa poſſit aſſignari, cur candor & nigrities in naturalibus, cum Phyſicus de eis loquitur, non ita ſint res abſtractæ à materia, ſicut linea & ſuperficies in mathematicis? At inquiunt, linea & ſuperficies mathematicæ, quod ad conſiderationem attinet, ſunt ſine materia & definiuntur ſine materia, candor vero & nigrities & cæteræ res naturales, in materia ſunt immerſæ, & ſecundum eſſe & ſecundum rationem, quia non abſtrahunt, ut ipſi loquuntur, ab hic & nunc. Hæc ſenim eſt præclara illa ratio & cauſa, quam afferunt, cur mathematica ſic vocantur abſtracta, naturalia vero à tali abſtractione ſint aliena. At ego contra, dico iſtam Pſeudophiloſophorum rationem eſſe futilem & vanam, cum non minus ſine materia definiri poſſint res naturales quàm res mathematicæ. Nam cum ita definitur candor, ut dicatur eſſe color maxime contrarius nigritiei, quæro in hac definitione rei naturalis, cur magis videatur eſſe admixta materia, quam in illa rei mathematicæ, cum dicitur, linea eſt longitudo ſine latitudine? profecto aut utraque harum definitionum caret admixtione materiæ, aut utraque habet materiam admixtam, aut non una magis vel minus quàm altera, materiam habere dicenda eſt. At rurſus inquiunt, definitio mathematica eſt ſicut definitio curvi, definitio autem naturalis ſicut definitio ſimi: nam in definiendo curvo nulla materia neceſſario eſt adhibenda, cum id curvum vere dicatur eſſe, cujus medium declinat ab extremis: in definitione autem ſimi ex neceſſitate materia, hoc eſt, naſus ponitur, cum ſimum nihil aliud ſit, niſi naſus curvus. Quæ ratio tametſi ſpecioſa, & multum veritatis colorem habere videatur, tamen eſt fallax & ſophiſtica, nec per eam recte probatur abſtractio mathematica eſſe vera. Nam quod in definitione ſimi non in definitione curvi apponatur materia, hoc non idcirco evenit, quia curvum ſit magis abſtractum quàm ſimum, ſi quidem utrunque cum ſit accidens revera eſt in materia, ſed hoc differunt, quod *curvum nullam habet certam materiam ſibi ſubjectam, ſimum vero habet, hoc eſt, naſum*: atque ideo curvum cum materia certa defi-

(Hoc ipſum eſt quod Scholaſtici ſibi voluntetſi minus commode eloquantur.)

niri non poteſt, quia non habet, ſimum vero cum materia certa definitur, quia linguarum uſus & communis loquendi conſuetudo eam illi proprietatem attribuerunt. Quod quamvis ita ſit, tamen tam curvum quàm ſimum revera eſt materia, & à materia vel certa vel incerta, ſeparari non poteſt. Præterea qui curvum definit, unam tantum rem ſimplicem definit, hoc eſt, ipſam curvitatem, qui vero ſimi definitionem affert, non unum ſimplex definit, ſed duo ſive unum ex duobus compoſitum, hoc eſt, ex naſo & curvitate. Quare quid mirum ſi in definitione ſimi appellantur duo, hoc eſt, accidens & materia? in definitione autem curvi, non niſi unum, hoc eſt, accidens? Quis enim non

videt:

videt aliam esse definitionem rei simplicis, aliam rei compositæ? certe nemo, nisi philosophaster imperitus & ineptus, & tamen propter hunc diversum definiendi modum, una res non debet dici magis abstracta & mathematica quam alia, & non curvum magis quam simum, cum utrunque æque sit in materia aut non sine materia. De naturalibus loquor & mathematicis, nam divina fateor omnino ab omni materia esse separata: nec mirum, si ex figuris mathematicis alia videtur significari sine materia ut curvum, alia cum materia ut simum: cum etiam in coloribus, quæ sunt sine dubio res naturales non mathematicæ, hoc idem usu veniat. Nam & cæsius & niger sunt colores, & tamen cæsius significatur cum propria materia, hoc est, cum oculo: est enim cæsius oculus subalbidus, niger vero sine ulla propria materia: non enim cum nigrum dicimus magis oculum significamus quam aliam quamvis rem nigram. Quocirca si Abstractores isti pergant dicere, curvũ esse magis abstractum quam simum, ego quoq; eadem ratione defendam nigrum magis abstractum quàm cæsium esse dicendum, & quemadmodum illi curvum, sic ego nigrum inter res mathe-

(Imo spatium curvum intelligi potest, etsi sublata sint omnia corpora, corpus nigrum intelligi non potest, si sublata sint omnia corpora.)

maticas numerandum esse contendam. *Cur enim curvum magis quam nigrum in mathematicis numeretur?* æque enim nigrum sicut curvum nullam habet certam materiam sibi admixtam: æque nigrum est contrarium candido, sicut curvum recto: æque nigrum sine materia definitur, sicut curvum: ut enim curvum est figura cujus medium declinat ab extremis, sic nigrum est color maxime contrarius candori. Quæ cum ita sint, rursus quæro quonam pacto defendi potest, curvum magis quã nigrum in rebus mathematicis esse numerandum? certe aut his omnibus respondeant oportet isti Abstractores Philosophastri, quod nunquam facere poterũt, aut fateantur omnia naturalia æque, sicut mathematica esse aut abstracta aut materiæ immersa, & abstractionem suam nihil aliud esse, nisi meram fabulam & meras gerras siculas. Sed ut totum hoc caput paucis complectar & semel finiam, dico in summa Metaphysicam esse falsam, quia est de ente inquantum est ens, hoc est, de subjecto omnium universalissimo, & propterea falsissimo: si quidem, cum universalia dialectica falsa sint: & quanto aliquid est universalius, tanto est magis falsum, necesse est ens universalissimum esse omnium falsissimum. Partim quia ens inquantum ens, sive ut Græci dicunt, ὂν ᾗ ὄν, aut ita intelligendum est, ut significet omnia entia singularia universe sive in universum sumpta, & sic non possit esse subjectum Metaphysicæ, aut nihil verum, quod intelligi aut mente humana percipi possit, significet, ut necesse sit Metaphysicam sine subjecto ullo saltem vero semper remansuram.

CAPUT OCTAVUM.

Oratoriam esse facultatem vere generalem, & Grammaticam sub se primo, deinde reliquas omnes artes & scientias vere continentem: cum partes ejus majores breviter exponuntur omnes, & eidem, quæ à Pseudophilosophis iniq; fuerunt ablata, restituuntur.

ET si supra satis multa diximus de Oratoria & Philosophia, deque earum generalitate, utilitate, & necessitate, & simul de conjungendis simul eloquentia & sapientia, quas Pseudophilosophi veteres pessime de literis & literatis omnibus meriti maligniſſime separaverunt, ut ante diximus: tamen cum in duobus supra positis capitibus ostensum sit Dialecticam & Metaphysicam esse professiones nec universales, nec utiles, nec necessarias, & propterea ex omni artium & scientiarum numero ejiciendas: Hic locus exigere ac postulare videtur, ut rursus separatim & breviter omnia prorsus contraria demonstremus de Oratoria, hoc est, Oratoriam esse scientiam & artem vere generalem: prætereaque eadem brevitate & summatim ut exponamus omnia, quæ ad illius officium & quasi jurisdictionem proprie pertinent & ei, quæ à pseudophilosophis inique fuerant erepta, restituamus. Quibus quidem in rebus exequendis, illud ante omnia non ignorari volumus, hãc de qua locuturi sumus facultatem, à nobis appellari tum Oratoriam latine ab orando, hoc est, concionando, more Oratorum: tum Rhetoricen græce, ἀπὸ τοῦ ἐρεῖν, hoc est, à dicendo: tum etiam Logicen, ἀπὸ τοῦ λόγου, hoc est à sermone vel oratione, in qua facienda & componenda proprie versatur. Sed cum Oratoriam vel Rhetoricam nominamus, nullo pacto intelligi volumus de illa sola, quam intelligunt Pseudophilosophi, hoc est, de illa tantum, quæ in judiciis & causis civilibus exercetur: quæ quamvis sit magna quædam Oratoriæ pars, tamen non est tota Oratoria: sed de ea, de qua loquitur Cicero in toto eo libro, qui inscribitur Orator, & Crassus, sive rursus Cicero sub persona Crassi, pene in totis de Oratore libris: & post Ciceronem Quintilianus in secundo oratoriarum Institutionum. Hæc est enim vera, integra, & perfecta Oratoria: eodemque modo qui hanc habet Oratoriam, verus & integer & perfectus est Orator. Nec refert si nemo unquam fortasse nec fuit nec est nec erit talis Orator, modo hoc intelligatur, quanto quisque tali huic Oratoriæ cesse-

cesserit propior, tanto cum fore magis verum, integrum & perfectũ Oratorẽ. Qui enim de quacunq; re scribunt perfectissimam ejus rei formam animo concipere & scriptis suis exprimere conantur, id quod fecit in Oratore Cicero. Quod si res non tales postea in hominibus reperiuntur, quales in libris doctissimorum hominum sunt expressæ, nulla est Scriptorum culpa, sed naturæ rei, quæ fortassis tam est difficilis & ardua, ut vires & humanam superet facultatem. Cum vero non Oratoriam nec Rhetoricen, sed Logicen dicimus, similiter intelligi volumus de ista, quæ nunc est in usu, falsa & barbara, & à nobis partim ante refutata, partim infra refutanda: quam falsissime & perversissime Logicam appellant, cum nihil sit, nec esse possit magis contra λόγον, hoc est, non solum cõtra rationem, sed etiam contra cõmunem omnium recte loquentium sermonem: De ista inquam cum Logicen dicimus nequaquã intelligi volumus, sed de illa vetere & vera, quam Antiqui illi, quos suprã dixi, ante Aristotelem una cum Physica, & Ethica tertiam Philosophiæ totius partem fecerunt, & ei hoc officii ac numeris dederunt, ut sola intra suos terminos, & quasi cancellos, contineret ac complecteretur omnia præcepta ac documenta, quæ pertinerent ad bene loquendum, differendum, disputandum, & deniq; ad bene dicẽdum de omnibus quæstionibus ac materiis mundi, tam infinitis ac thesibus quam finitis & hypothesibus, tam physicis & politicis quam oratoriis & proprie suis, tam in scholis philosophorum & in conventu doctorum hominum quam in judiciis, in senatu, & apud populum: & omnino corã quibuscunque auditoribus sive discipuli sint sive cujuslibet alterius generis. Et præterea cum quibuscunq; argumentis & argumentationibus, nõ modo in soluta & perpetua oratione, sed etiam in versu, & per interrogationẽ responsionemque. Has inquam omnes partes Antiqui illi Logicæ suæ assignaverunt, hoc est, ut comprehenderet & contineret intra fines suos omnia illa præcepta & documenta, quæ dixi, & ea suppeditaret ac subministraret omnibus Physicis, Politicis, Medicis, Jurisconsultis, Historicis, Poetis, Grammaticis, Astrologis, Geometris, Arithmeticis, Musicis, & in summa omnibus aliis professoribus artium & scientiarum aliarumq; rerum: idq; sive sermonem habituri & verba facturi de quavis re laudabiliter essent, sive scripturi aliquid lectu dignum, & monumentis literarum nõ omnino inculte & barbare, cogitationes suas mandaturi. Hæc est inquam tertio vera, justa, propria, legitima, & integra professio atque possessio totius oratoriæ facultatis, quam ei concesserunt & assignaverunt primo Veteres illi, quos ante dixi: deinde M. Tullius, ut dixi, in Oratore, & de Oratore: & Quintilianus in secundo oratoriarum Institutionum: Et post omnes ego quoque, si quid est in me potestatis & authoritatis

ritatis concessionem & assignationem hāc totis viribus meis approbo atq; cō-firmo, tanquam justam, utilem, & necessariam omnibus, qui recte in literas incumbere, & vere philosophari cupiunt. Quæ quidem approbatio & confirmatio si recte fit à nobis, ut certe fit, jam satis patet, opinor, Oratoriam non posse non esse artem generalem & universalem: ut pote, quæ primum sub se continet Grammaticam tāquam eloquendi sive elocutionis, hoc est, tertii officii sui partem primam. Est enim Grammatica, cujus proprium est docere emendate loqui: elocutionis Rhetoricæ pars prima: nunquam enim perfecta esse potest elocutio, nisi ante omnia sit emendata: Elocutio autem officii rhetorici pars tertia. Quare necesse est Grammaticā sub Oratoria tanquam partem partis suæ contineri. Atque hoc pacto Oratoria, ut dixi, sub se continet primo Grammaticam, deinde omnes alias artes & scientias & scriptiones cujuscunq; generis, modo non omnino malas, verum aliqua laude dignas, sed diversa ratione. Nanque Grammaticam sub se comprehendit, tanquam partem officii sui, hoc est, bene dicendi: nemo enim, ut dixi, potest bene dicere, nisi emendate dicat. Sed dubitet fortasse aliquis, si ita est, cur ergo in Rhetoricis libris præcepta Grammaticæ non traduntur? respondeo una cum Quintiliano, quia cum proprium Oratoris officium sit bene dicere, bene autem dicendi pars prima sit, emendate loqui Rhetores & dicendi præceptores partem illam docendi, quomodo fiat emendata locutio, tanquam magis molestam & minus honorificam ad Grammaticos veluti ministros suos rejecerūt, & sibi retinuerunt partes præcipiendi & docendi, quo pacto copiose, ordinate, ornate, venuste, & memoriter, hoc est, ut hæc omnia duobus verbis complectar, benedicatur. Atque hac de causa, in Rhetoricis libris de emendate loquendo, vel nulla vel pauca admodum reperiuntur præcepta: sed non propterea tamen minus hæc quàm illa ad Oratorem pertinent. Ex quo patet Oratoriam & Grammaticam, licet ambæ versentur in eadem materia, hoc est, in omnibus rebus mundi, tamen differre inter se, eo quod Oratoria est quasi totum, Grammatica pars illius: Oratoria continet, Grammatica in ea continetur: Oratoriæ officium est bene dicere, Grammaticæ autem emendate loqui, quæ est pars prima & tanquam principium bene dicendi. Unde quidam nō ineleganter definientes utranque κατ' ἀναλογίαν dixerunt Grammaticam esse Oratoriam nascentem, Oratoriam vero Grammaticam jam adultam & natu grandiorem. Hanc igitur, quam dixi, ob causam Oratoria primum sub se continet Grammaticam tanquam partem primam officii sui, deinde etiam reliquas omnes artes & scientias & scriptiones similiter quidem sibi subjicit: sed non ut partes officii rhetorici, quemadmodum Grammaticam, sed ut earum una quælibet

totius

totius materiæ Rhetoricæ, hoc est, omnium rerum mundi, pars una est: De omnibus enim artibus & scientiis & scriptionibus tanquam de materiis & subjectis suis bene loqui & dicere debet Orator. Nec ulla est aut esse potest oratio aut scriptum recte factum, sive id sit artis aut scientiæ aut cujusvis alterius rei, in quo non Oratoria jure suas sibi vendicet partes, hoc est, artificia procœmiorum, narrationum, divisionum, definitionum, argumentorum, argumentationum, & omnino omnium confirmationum, & confutationum, & conclusionum, aliorumq; similium, vel faciendorum vel inveniendorum, sive ea arte sive natura fiant vel inveniantur. Hæc enim omnia Oratoriæ propria sunt officia, & Oratores ea suo jure sibi vendicant, reliqua vero omnia, quæ in eisdem artibus & scientiis & libris continentur, qualia sunt res gestæ in monumentis historiarum, vita & mores hominum in libris moralibus, documēta gubernandæ reip. in scriptis politicis, præcepta medendi in libris Medicorum, dogmata rerum naturalium in voluminibus physicis, percepta Arithmeticæ & Geometriæ in libris Mathematicorum, & alia pene infinita hujusmodi, quę in scriptis aliorum Authorum leguntur, non amplius ad Oratoris officium pertinent, nec Oratoriæ propria sunt, sed aliarum artium & scientiarum & scriptionum. Unde omnia fere scripta lectu digna, & omnes Scriptores probati, cujuscunq; generis sint, duo jure sibi vendicant nomina: unum privatum & particulare, alterum commune & generale. Privatum nomen est, quod à sua quisque arte aut scientia aut scriptione particulari sibi invenit: ut nomen Medici vel medicinalis à Medicina, nomen Physici vel naturalis à Physica, nomen politici à Politica, nomen Jurisconsulti à Jure civili, nomen Architecti ab Architectura, nomen Musici à Musica, & similiter aliorum quoruncunq; artificum de sua cujusq; arte & facultate docte loquentium vel scribentium, privata & particularia nomina. Commune autem nomen est, quod à communi omnium & generali arte omnes sibi acquirunt, hoc est, ab Oratoria: atq; ita omnia cujuscunq; generis dicta vel scripta, in quibus pronuntiandis vel legendis apparent Oratoriæ artis præcepta servata, vere & sunt & appellantur oratoria: & similiter Scriptores illorum quatenus præcepta illa in dicendo vel componendo servarunt, vere & sunt & nominantur Oratores. Atque hoc modo, quo dixi, & non aliter intelligendi sunt Cicero & Quintilianus, cum idem dicunt & quasi clamant, omnes res mundi tanquam subjectum & materiam, oratoriæ facultati esse subjectas, & Oratorem sua ac propria facultate de omnibus mundi rebus disputare posse. Quod idcirco sæpius jā diximus, & multis in locis repetivimus, ut aliquando si fieri potest, tollatur & de mentibus hominū extirpetur falsissima illa opinio pseudophilosophorū:

quū

qui putant Dialecticam & Grammaticam esse duas artes à Rhetorica separatas, atque etiam, si Diis placet, qui affirmare audent Rhetoricam Dialecticæ esse partem, vel ut Aristoteles dicit ὅιον παραφυὲς: quod non aliter est falsum & absurdum, quàm si quis diceret, aurum esse partem ferri, aut lucem tenebrarum. Sic igitur generaliter constituta amplissima quasi juridictione & imperio totius oratoriæ facultatis, nunc super est, ut assignemus eidem suas & proprias omnes partes principales, quæ sumuntur partim à materia ejus, partim ab officio: atque à materia dupliciter, hoc est, aut à genere materiæ, aut à qualitate materiæ. A genere materiæ, quæ sunt omnes res mundi, quatuor sumuntur partes, quæ vocantur genera, ut genus Demonstrativum, genus Deliberativum, genus Judiciale, genus Philosophicum. Demonstrativi generis officium est, laudare vel vituperare: Deliberativi, suadere vel dissuadere: Judicialis, accusare vel defendere in causis capitalibus, in pecuniariis petere vel recusare: Philosophici, probare vel reprobare. Item Demonstrativi generis finis est, honestas vel turpitudo: Deliberativi, utilitas vel inutilitas, cum honestate vel turpitudine; Judicialis, æquitas vel iniquitas: Philosophici, veritas vel falsitas. Partes vero à qualitate materiæ sumptæ sex sunt, quæ similiter appellantur genera, ut genus honestum causæ, genus turpe, genus dubium, genus humile, genus obscurum, genus admirabile, sive præter opinionem, quod Græci παράδοξον vocant. Postremo partes, quæ nec à genere nec à qualitate materiæ ducuntur, sed ab officio, quod est bene dicere, quinque sunt, hoc est. bene invenire dicenda, bene disponere inventa, bene eloqui tam inventa quam disposita, bene pronuntiare omnes superiores partes, & ad extremum bene recordari Unde illæ nemini non notæ Rhetoricæ partes quinque inventio, dispositio, elocutio, pronuntiatio, & memoria: & rursus aliæ sex partes ex subdivisione Inventionis orientes, quæ sunt, exordium, narratio, divisio, confirmatio, confutatio, & conclusio. Ad hæc præter eas, quas supra diximus, rhetoricas partes tam principales quam secundarias, sunt etiam aliæ quædam ex divisione quæstionum & constitutionum emergentes. Quæstionum enim primo aliæ sunt consistentes, aliæ inconsistentes, hoc est, quæ non consistunt nec in judicium aut disputationem possunt venire: ex consistentibus vero, quæ sunt contrariæ inconsistentibus, hoc est, quæ habent rationes ad utranq; partem probabiles, & in judicium disputationem q́ue venire possunt: ex his inquam communiter à Rhetoribus fiunt quatuor constitutiones sive status rhetorici, conjecturalis, definitivus, generalis & translativus. Quos qui cognoscere cupit diligenter traditos & explicatos, una cum omnibus aliis partibus supra dictis, is legat vel Hermogenem vel Ciceronem vel Trapezuntium

apud

apud quos hæc omnia copiosè scripta reperiuntur.| Nos tantummodo capita partim rhetoricarum hoc loco recensenda putavimus, ut admoneremus Lectores recte philosophandi cupidos, earum, partim, quæ à quibusdam oratoriæ arti iniquissime fuerunt vel prorsus ademptæ, cum revera essent illius propriæ, vel corruptæ & perversæ, cum ab Antiquis recte fuissent institutæ, vel denique additæ cum oratoriæ obsint non parum, vel certe non multum prosint. Primum igitur dicimus in assignatione primorum generum, hoc est, demonstrativi, deliberativi, & judicialis ab Aristotele primum, deinde ab omnibus aliis, qui eum secuti sunt, non recte prætermissum fuisse genus philosophicum, cum non minus quam reliqua tria proprium & germanum sit Oratoriæ. Non quidem fortassis illius, quæ tantum in foro & causis civilibus versatur, nam illam nos quoque fatemur imperfectam esse: sed hujus de qua nos in præsentia loquimur, quæ ab Antiquis illis ante Aristotelem primum fuit instituta & cum sapientia conjuncta, deinde à Cicerone & Quintiliano confirmata. Sic ut quicunque separat ac removet genus causæ philosophicum ab Oratore, is statim sapientiam ab eloquentia, & ut recte inquit Cicero, quasi cor à lingua, & pectus ab ore dilacerat. Atque ideo recte quidam ex neotericis hominibus doctis, in quibus est Philippus Melanchton in prima partitione generum rhetoricorum, ad cætera tria genera etiam genus philosophicum addiderunt, videlicet, additione illa, significare volentes tractationem quæstionum philosophicarum ab Oratore perfecto, hoc est, qui sapientiam cum eloquētia jungit nequaquam esse alienam. Deinde asserimus & affirmamus Inventionem rhetoricam, quæ est una & prima pars officii oratorii, maxime propriam & germanam esse Oratoris, & non alterius cujuscunque artificis, cum si rationem inveniendi ab Oratore auferas, cui nam quæso rei cæteras officii sui partes adhibebit? quid disponet? quid eloquetur? quid pronuntiabit aut recordabitur? At inquiunt, rerum inveniendarum præcepta à Dialectico cujus sunt propria, mutuabitur Orator: sic enim ait Rodulphus Agricola in secundo de Inventione Dialectica libro, Cap. XVIII. ô pudendum Rodulphe erratum tuum, ô sententiam non rationibus & argumentis, quia non meretur, sed risu & cachinatione refutandum: ergo ex sententia tua, ô Rodulphe, Orator à Dialectico, hoc est, disertus à barbaro, doctus ab indocto, verus à falso, vere eloquens à garrulo & loquaci præcepta inveniendi mutabitur? Equidem cum caput illud tuum nonnunquam primo occursu lego, vix credere possum à te fuisse scriptum: sed postea desino mirari, cum reliquos non paucos errores tuos considero, & inter alios illum, quod librum illum tuum potius de Inventione Dialectica, quam de Inventione Rhetorica vel Oratoria inscribendum

putasti. Nam in ipso statim libri principio tam graviter tamq; turpiter errasti ut nec gravius nec turpius quicquam potueris errare: scilicet inventio rerum dicendarum ab Oratore arido & jejuno, ad Dialecticum copiosum & abundãtem transferenda est. Id quod tu videris sensisse, & quantum in te fuit judicasse: Burleum & Paulum Venetum fuisse meliores rerum dicendarum inventores, quam Demosthenem & M. Tullium. Dixi autem Burleum & Paulum Venetum præcipue, non ut eos irriderem, qui si Dialectica illa sua, quam dicerant, esset vera, jure essent laudandi & inter homines doctissimos connumerandi, sed ut ostenderem cæcitatem & perversitatem judicii tui, qui in tantis tamq; manifestis erroribus Dialecticæ tuæ, à nobis supra refutatis & infra refutandis, ne unum quidem unquam videris animadvertisse, & ex sententia tua rationem inveniendi ab Oratore auferens, cogis Oratores de quavis re dicturos à Dialecticis suppliciter petere præcepta rerum inveniendarum. O

(Aliud est hominem ab homine, aliud artem ab arte sua mutuari.)

egregium & præclarũ spectaculum, si quis videret aut Demosthenem genibus flexis petentem à Chrysippo, aut M. Tullium rogantem à Burleo ut se doceret quonam pacto ex locis erueret argumenta, & qua ratione syllogismos cæterasq; argumentationes conformaret. Quod spectaculum profecto, si verum esset, quod tu in fronte libri tui posuisti, ô Rodulphe, & quod rursus in eo, quod supra citavi capite, repetivisti, nobis necessario esset videndum: sed falsissimum est, quod tu non solum sensisti, sed etiam monumentis literarum mãdare non erubuisti. Itaq; nos melius contra atq; tu fecisti, Inventionem quam tu iniquissime ab Oratore removeras, Oratori jure optimo restituimus, tanquam artifici vero utili & necessario: & Oratoriam, quam tu indignissime de possessione detruseras, tanquam artem verã, utilem & necessariam, in suam veterem & legitimam reducimus possessionem. Neque solum hoc facimus, sed si qua in nobis est authoritas, tanquam legislatores veritatis, sancimus Dialecticam maxima ex parte, tanquam falsam, inutilem & supervacuam, aut Oratoriæ partem esse, videlicet, ex ea parte, qua verum dicit, aut certe ex omni artium & scientiarum numero ejiciendam, ut ante dixi. Atque hoc modo nos genus causæ philosophicum, ab Aristotele non recte prætermissum, reliquis tribus generibus, hoc est, demonstrativo, deliberativo, & judiciali addimus, & Oratoriæ restituimus. Inventionem vero, quam Agricola ab Oratore removerat, non solum Oratori reddimus, sed etiam auferimus à Dialectico, qui eam per spatium annorum paulo minus duum millium contra jus ac fas tenuerat occupatam. Præterea cum inter partes oratoriæ inventionis, ut supra diximus, sit una, quæ dicitur divisio: & inter status rhetoricos unus, qui vocatur definitivus: & inter argumenta ad probandum unum, quod appellatur,

à divi-

à divisione, alterum à definitione: iterum dico & affirmo si officia dividendi, definiendi, & probandi vere ad Oratores pertinent, ut certe pertinent, præcepta omnia dividendi, definiendi & probandi quacunq; in materia & subjecto propria esse Oratoris, & non alterius cujuslibet artificis, & proprie ab Oratoribus petenda, non à Dialecticis. Idque non solum, ut dixi, quia propria sunt Oratorum: sine præceptis enim dividendi, definiendi, & probandi, non possunt nec proponere dicenda per divisionem, nec tractare cõstitutionem definitivam, nec argumentari modo à divisione rei, modo à definitione: sed etiam quia Rhetorica sive Oratoria, cum sit ars vera, veras tradit omnium eorum quæ dicta sunt, faciendorum rationes. Dialectica vero & Dialectici maxima ex parte vel falsas, vel inutiles, vel supervacuas. Primum enim, præcepta dividendi Dialecticorum fere non possunt esse vera, quia cum quicquid dividitur, sit, ut supra diximus, totum vel continuum vel discretum, & majore ex parte argumenta dividendi sumantur à toto discreto, hoc est, à genere: ipsi quædam tota, & quædam genera, universalia introduxerunt, quæ non sunt in tota rerum natura, saltem vera, nec esse possunt, ut ante monstravimus. Quod cum ita sit, qui possunt obsecro Dialectici vera dividendi præcepta tradere? cum id, quod subinde dividendum est, non sit verum? Præterea quomodo me Dialecticus docebit definire, aut argumentari vel à divisione vel à definitione? cum majore ex parte divisiones ejus, & definitiones sint falsæ? ut divisio illa transcendentium in sex partes, & illa entis in decem prædicamenta, à nobis supra refutatæ? & rursus definitio illa generis, speciei, differentiæ, proprii, cæterorumque à Dialecticis falsò definitorum: & rursus illa nominis, verbi, & orationis, quas in sequenti capite refutaturi sumus. Profecto valde mirum est, quomodo isti Pseudophilosophi sint tam impudentes & importuni, ut audeant polliceri se tradere aliis præcepta faciendi ea, quæ ipsi facere nesciunt. Sed de præceptis argumentorum inveniendorum, & argumentationum faciendarum, quæ Dialectici vel falso inutiliterque tradunt, vel ab Oratoribus iniquissime surrepta, pro propriis & suis usurpant, postea dicemus in Quarto Libro: Ubi & ea, quæ à Dialecticis de argumentationibus & argumentis perperam fuerunt tradita, corrigemus vel refutabimus, & ea, quæ iidem ab Oratoribus furtim & malitiose surripuerunt, ipsis dominis & veris possessoribus curabimus restituenda. Nunc si pauca etiam addiderimus de veris nominis, & verbi, & orationis definitionibus nostris veris, & de falsis ab Aristotele traditis in sequenti capite, finem simul & huic Tertio Libro, & Logicæ ei, quam Veterem vocant, imponemus.

CAPUT NONUM.

De definitionibus nominis & verbi & orationis Grammaticorum veris, & Pseudophilosophorum falsis, & de aliis, quæ ab Aristotele falsò vel inutiliter in libro Περὶ ἑρμηνείας *traduntur.*

IAm tandem aliquando post multas digressiones pervenimus ad ultimam partem Dialecticæ sive Logicæ ejus, quàm Philosophastri barbari, veterem vocant, nos vero non veterem, sed novam potius & veteratoriam, censemus appellandam. Cujus duas partes priores, hoc est, librum Porphyrii Prædicabilium, ut vocant, & librum Prædicamentorum Aristotelis, pene totas ostendimus esse vel falsas, vel inutiles, vel supervacuas. Nunc supereſt postrema pars, hoc est, liber Περὶ ἑρμηνείας, qui ut recte scribit Ludovicus Vives in libro tertio de causis corruptarum artium, magna ex parte Grammatici est potius quàm Dialectici officii: Nam cujus est dicere, quid nomen sit, quid verbum, quid pronuntiatum, quid universale, quid singulare, nisi Grammatici? Quod vero subjungit Vives, idcirco Aristotelem ea, quæ ad Grammaticam pertinerent, tradidisse in Dialecticis, quia Grammatica tempore suo non esset inventa, non est verum: Grammatica enim ante Aristotelem, atq; etiam ante Platonem inventa fuerat, ut eorum uterque testatur, multam ejus in scriptis suis mentionem facientes: sed Aristotelis hoc fuit peculiare vitium, de ut eisdem rebus sine ulla consideratione, & prorsus supervacue multis in locis differeret. Nam de substantia, de qualitate, de quantitate, de multis aliis in Dialecticis & Metaphysicis verba fecit: & rursus de nomine & verbo in Rhetorica, in Poëtica, in Dialectica scripsit: Ut mirum sit, quid in mentem veneritilli homini tot in locis de una & eadem re pertractare, præsertim sine ulla necessitate. Nam quod aiunt, illum quidem de eisdem rebus diversis in locis scripsisse, sed in aliis alio modo: nempe de rebus, in Metaphysica prout sunt, in Dialectica prout verbis significantur: item de nomine & verbo disseruisse, & ea definivisse, ut sunt accommodata, in Dialectica ad faciendam propositionem, in Rhetorica ad componendam orationē, in Poetica ad pangendos versus. Sic enim quidem Pseudophilosophi conantur reddere rationem, cur Aristoteles de eisdem rebus diversis in libris & aribus scripserit: quibus ego quoque vicissim respondeo, omnes istas rationes, quas

quas afferant, esse vanas & inanes, ut etiam ostendimus supra in hoc eodem libro cap. V. Nemo enim, nisi barbarus & imperitus Philosophaster, ita loquitur, ut dicat vel sic Metaphysica considerat res prout sunt, sed ita tantum, Metaphysica considerat res, eo quia etiam si non addatur, prout sunt, id tamen subintelligitur. De rebus enim, prout non sunt, nemo nisi stultissimus, considerat: vel sic, Dialectica considerat res prout verbis significantur, sed ita tantum, Dialectica considerat verba, à quibus etiam si id non dicatur, tamen res intelliguntur significari: cum de verbis, à quibus nullæ res significentur, nemo, ut dixi, consideret: nisi forte Dialecticus aliquis ter fatuus & ineptus, qui & secundarum substantiarum & universalium voces considerat, quæ nullius prorsus saltem veræ ac solidæ rei habent significationem. Præterea nullius alterius artis aut scientiæ, proprium est considerare nomina & verba, quid sint & quomodo definiantur, nisi Grammaticæ, quæ idem nomen & verbum, eodem modo generaliter definitum accomodat omnibus aliis artibus & scientiis ad diversa officia, neq; propter diversitatem eorum officiorũ variatur definitio nominis & verbi à Grammatico tradita. Itaq; rationes istorum, quibus conantur excusare Aristotelem, quod de eisdem rebus diversis in locis disseruerit, sunt, ut dixi, vanæ & inanes: neq; Aristoteles eis recte à vitio defenditur, præsertim cum ipsemet in Metaphysicis scribat, ut ante dixi, Grammaticæ unius esse contemplari omnes voces: quod cum ita sit, cur aut Dialecticus, aut Rhetor, aut Poeta definitionem nominis & verbi, ad se non pertinentem, tradat? Sed concedamus Aristoteli Dialectico, Rhetorico, & Poetico etiam sine ullo vitio potuisse definire nomen & verbum, nec in ejus definitiones nimiũ scrupulose inquiramus, si tamẽ recte utrũq; definierit. Quare parũper videamus, utrum nomen & verbum à Grammaticis an ab Aristotele & à cæteris Philosophis rectius fuerit definitum, & qui rectius definivisse reperientur, ad eos definiendi nomen & verbum fateamur proprie officium pertinere. Nomen, inquiunt Grammatici, est pars orationis declinabilis per casus sine tempore, verbum est pars orationis declinabilis per modos & tempora sine casu: Philosophi vero ita definiunt, nomen est vox significativa κατὰ συνθήκην, cujus nulla pars separata aliquid significat, Verbum est quod tempus adsignificat, cujus nulla pars significat separata. Sic inquam & Grammatici & Philosophi suas utrique nominis & verbi definitiones afferunt, sed diversas, in quibus à Grammaticis loco generis ponitur, pars orationis, non vox, ut à Philosophis, eo quia omne nomen & verbum, revera est in duobus generibus, in genere partium orationis proximo, & in genere vocum remoto. Primum enim omne nomen & verbum est pars orationis, deinde omnis pars

orationis est vox, non contra, ut vox sine dubio sit genus remotius à nomine & verbo quam pars orationis. Atque ita apparet philosophos in definitione nominis & verbi minus recte apposuisse vocē loco generis, eo quia est genus remotius, Grammaticos autem rectius addidisse partem orationis, tanquam genus propinquius, & eo magis quia nomē & verbum à Grammaticis proprie & primo considerantur ut partes orationis, & ad orationē faciendam accommodatæ, non ut voces, nisi improprie & quasi secundario. Nanque ut voces sunt, non tam ad Grammaticos quam ad philosophos naturales pertinere videntur: ut si ita dicatur, nomen & verbum esse voces, hoc est, percussiones aeris, indissolutas usque ad auditum. Sic enim non Grammatici sed philosophi res suas definire solent. Cæteræ vero partes, quæ in definitione nominis & verbi à Grammaticis ponūtur, distinguunt ea vel inter se vel ab omnibus aliis partibus orationis, ut nemo nescit, nisi qui nullam unquam didicit Grammaticā, aut si didicit, postea quā cœpit dare operam Dialecticis, dedidicit totam. Quæ vero apponuntur à Philosophis, prorsus vel nihil distinguunt, vel male distinguunt, nam esse significativum, non videtur convenire, & esse proprium omnibus nominibus & verbis: ut si ita dicatur, Blytiri & Blytirare sunt nomina nihil significantia. Quibus in locutionibus certe blytiri & blytirare sunt nomina, eo quia utrunq; est suppositum in oratione vera & perfecta, & tamen nihil significant: κατὰ συνθήκην vero quæ est tertia particula ab Aristotele addita, hoc est, ex consensu sive ex instituto, ea nihil aliud efficere videtur, nisi refutare opinionem Platonis in Cratilo, qui nomina non κὴ συνθήκην, ut Aristoteles, sed κατὰ φύσιν, hoc est, ex natura, constare existimabat, ut κατὰ φύσιν & κατὰ συνθήκην, sint contraria: sed nomina revera constant, neque omnia ex natura, ut Plato voluit, quoniam pleraque ex hominum consensu atque arbitrio imponuntur: neque omnia ex consensu, ut placuit Aristoteli, quia multa reperiuntur ex natura ipsa rei ducta, ut murmur & sibilus, sive ut Græci dicunt, Τονθορισμὸς, & φλισβὸς, in quibus proferendis quasi naturam ipsam imitari videmur. Sicque nec Plato de nominum impositione recte sensit, nec Aristoteles in definitione nominis recte Platonem voluit refutare. Ut omittam interim hanc definitionis nominis particulam ab Aristotele aliter in Dialecticis, aliter in Poetica fuisse traditam: in Poetica enim non κατὰ συνθήκην scriptum est, sed συνθετὴ, quasi dicatur, composita, vel ut alii exponunt aliis quibusdam modis. Quam ad diversitatem Vincentius Madius Poeticæ Aristotelis Interpres doctissimus, super eo loco multum laborat, & multa dicit, ne Aristoteles ipse sibi super ejusdem rei definitione contraria dixisse videatur, sed nihil agit, quia dum locū illum corrigere licet ingeniose nititur,

nititur, tamen non videt Aristotelem ob adjectionem illius particulæ vehementer esse reprehendendum. Nam si vere nomen esset vox significans κατὰ συνθήκην, sequeretur nullum nomen significare κατὰ φύσιν, quod est non solum contra Platonem, sed etiam contra veritatem & communem experientiam. Sed neque illud, quod in fine definitionis nominis & verbi ab Aristotele adjungitur, hoc est, cujus nulla pars separata aliquid significat, magis rectum quam superiora, non enim per illam caudam oratio recte separatur à nomine & verbo, ut nugantur Dialectici, eo quia oratio revera est, non vox significans sed voces significantes, atque ideo definienda est non sic, ut Dialectici faciunt, oratio est vox significativa cujus pars aliqua separata significat. sed sic, oratio est vocum compositio vel explicita vel implicita, cõgruam perfectamque sententiam significans, quemadmodum Grammatici recte definiunt, ut per compositionem vocũ oratio satis distinguatur à nomine & verbo, & nihil necesse sit addere, cujus nulla pars separata aliquid significat, ut imperite putavit Aristoteles, aut quicquam aliud, ut inepte existimavit Mercurius ille Major in Grammaticis institutionibus suis, qui in definitione dictionis, cum dixisset, quemadmodum Aristoteles Dictionẽ esse vocem significativã cujus nulla pars significat separata, & videret sibi posse objici de dictione cõposita, tanquam responsurus tacitæ objectioni addidit, composita tamen semper excepta. Sed quæ (malum) ô Mercuri, est ista additio tua? cur non definiebas dictionem more cæterorum Gramaticorum? & istius additionis nihil eguisses sed scilicet maluisti cum Aristotele Dialectico errare, ut postea te corrigeres quam cum Grammaticis tuis bene sentire. Ex quibus omnibus patet non solum nomen & verbum, sed etiam orationem à Grammaticis longe melius quam ab Aristotele & ab omnibus philosophis fuisse definitam. & falsissimum esse id quod scribit *Cæsar Scaliger in libro de Causis linguæ latinæ*, dicens, nihil esse infelicius Grammatico definitore: immo vero contra ego tibi narro Scaliger, nihil esse stolidius Dialecticis tuis, non solum suas, sed etiam alienas res, ut ita dicam, definiturientibus: si quidem Priscianus Grammaticus nominis, & verbi, & orationis definitiones attulit meliores, quam Aristoteles Dialecticus. Quod vero post definitiones nominis, & verbi, & orationis, Aristoteles assignaturus differentiam enuntiationum sibi sumit, tanquam verum & concessum: rerum alias esse universales, alias particulares, ac universalem rem eam esse, quæ de pluribus apta nata est dici, particularem vero quæ non: ut homo quidem universale sit, Callias vero particulare: ea sumptio & falsissima est, & à nobis ante refutata, cum universalia refutavimus. Quare & si fateor, propositionum alias universales esse, alias particulares, quia

esse

esse universale & esse particulare vocibus & orationibus recte tribuuntur, nõ tamen eodem modo res alias esse universales alias particulares concedo: propterea quod nulla talis universalitas, qualem Aristotelem vult, in mundo reperitur nisi falsa, & ut ita dicam, chimærica. De enuntiationibus autem tam affirmativis quam negativis, tam universalibus quam particularibus, & si Aristoteles alioqui vera tradat, non tamen ejus traditio probanda est, quia est extra locum suum proprium, hoc est, extra Grammaticam. Hæc enim puer sive adolescens, dum Grammaticis adhuc imbuitur, discere debet, quæ usque adeo non sunt difficilia, ut etiam sine traditione naturaliter possint intelligi. Atque haud scio an illud etiam sit verius, hæc melius per se ipsa quam ab aliis tradita cognosci, & subtiliore traditione obscuriora fieri. Deinde quia si non pertineant ad Grammaticam, tamen à Rhetoribus multo justius quam à Dialecticis usurpantur. Rhetorica enim est ars vera, quæ habet materiam, officium & finem proprium: Dialectica vero, ut ante monstravimus, nec materiam, nec officium, nec finem ullum proprium habet, & propterea nullum inter artes locum sibi reperire potest. Quod si necessitatem cognitionis enuntiationum respicere volumus, profecto hæc non minus, atque adeo multo magis Oratori quam Dialectico necessaria est. Quid enim? putamus Oratorem sine cognitione enuntiationum tam aientium quam negantium, tam universalium quam particularium posse argumentari & cõcludere? aut omnino confirmare ac refutare quicquam? minime gentium. Et tamen Rhetores nullo in loco de hujusmodi enuntiationibus tractare reperiuntur, saltem ita scrupulose & anxie, ut Aristoteles facit: cur ita? quia putarunt eas apud Grammaticos etiam sine præceptore aliquo, per se posse disci: & omnino esse faciliores ad cognoscendum quam ut præceptis ullis egerent. Quare idem quoq; facere debebant Dialectici, hoc est, hanc enuntiationum doctrinam, aut Grammaticis tradendam relinquere & ab illis discere, aut certe per se eam percipere, quæ ad percipiendum, vel nullam vel certe modicam haberet difficultatem. Possem hic quoq; multa alia, quæ ab Aristotele dicuntur in hoc libro refellere, ad ostẽdendũ istam nominis & verbi & enuntiationũ doctrinã esse partim falsam, partim inutilem, partim supervacuam, sed quod ad propositum nostrum attinet, hæc quæ dicta sunt, satis esse videntur. Non enim omnia persequi proposuimus, sed tantum recte philosophandi studiosis principia vera confirmare, falsa autẽ refutare, eaq; non omnia, sed tantum, quæ majoris alicujus momenti sint. Nam reliqua ex his, quæ diximus, unusquilibet per se, vel mediocriter doctus facile poterit intelligere.

FINIS LIBRI TERTII.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [348] - 280

MARII NIZOLII BRIXELLENSIS

De veris Principiis, & vera ratione Philosophandi, contra Pseudophilosophos, & simul de falsis eorum principiis.

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

De utilibus & veris argumentis, deque utili & vero eorum tam tradendorum quam usurpandorum modo, contra partim falsam, partim inutilem ipsorum doctrinam ab Aristotele traditam in libro Topicorum.

HUc usq; in superioribus tribus libris tradidimus plurima recte philosophandi principia nostra vera, & totidem Pseudophilosophorum falsa refutavimus: sed majore ex parte pertinentia utraque ad eam Dialecticæ sive Logicæ partem, quæ à philosophastris *Logica vetus*, à nobis autem *veteratoria* rectius appellatur, & tota constat ex libro prædicabilium, ut vocant, Porphyrii, ex libro prædicamentorum Aristotelis, cum Anteprædicamentis, & Postprædicamentis, & denique ex libro, qui περὶ ἑρμηνείας inscribitur. Nunc superest ut tradamus etiam ea principia, non solum nostra vera sed etiam Adversariorum falsa, quæ non amplius ad veterem illam sed ad novam hanc &, ut verius loquar, ad vanam & alogam Logicam pertinent, constantem totam ex libris Aristotelicis Priorum Analyticorum, Posteriorum Analyticorum, Topicorum, & Elenchorum. Et quemadmodum supra reddidimus oratoriæ facultati primo genus causæ philosophicum: quod Aristoteles tanquam ad Oratores nihil pertinens in divisione generum Rhetoricorum, non recte sed malitiose prætermiserat. Deinde primam officii rhetorici partem, hoc est, inventionem, quam nonnulli etiam doctissimi viri,

in quorum numero etiam est Rodulphus Agricola, nescio qua dementia vel potius furore correpti ab Oratore removere & ad Dialecticam transferre nō erubuerunt. Tum præterea officium & scientiam dividendi & definiendi, & multa alia, quæ cum essent antiquitus Oratorum propria, nescio quo pacto Dialectici & Pseudophilosophi furtim ab illis involata jam per annos, ut opinor, mille & amplius occupata tenuerunt: Quemadmodum inquam supra reddidimus hæc omnia oratoriæ facultati, sic etiam hoc loco restituamus eidem usum & tractationem omnium tam argumentationum quam argumentorum, quæcunq; pertinent ad confirmandum, ad confutandum, ad differendum, ad disputandum, & denique ad bene dicendū de quacunq; re non solum civili sed etiā naturali & mathematica, & cujuscūq; alterius generis sit in utranque partē. Quæ omnia similiter, ut superiora illa, cum propria & legitima Oratorum essent, ut vere inquit Quintilianus, ab Oratoribus relicta & destituta infirmioribus ingeniis, hoc est, Dialecticis & Pseudophilosophis velut prædæ fuerunt. Verba Quintiliani in procœmio oratoriarum Institutionum hæc sunt. Quare tametsi me fateor usurum quibusdam, quæ philosophorum libris continentur, tamen ea jure, vereque contenderim esse operis nostri, proprieque ad artem oratoriam pertinere. An si frequentissime de justitia, fortitudine, temperantia, cæterisque similibus sit differendum, & adeo, ut vix ulla possit causa reperiri, inquam non aliqua quæstio ex his incidat, eaque omnia inventione, atq; elocutione sint explicanda, dubitabitur ubicunq; vis ingenii, & copia dicendi postulatur, ibi partes oratoris esse præcipuas? Fueruntq; hæc, ut Cicero aptissime colligit, quemadmodum juncta natura, sit officio quoque copulata, ut iidem sapientes atq; eloquentes haberentur. Scidit deinde se studium, atq; inertia factum est, ut artes esse plures viderentur. Nam ut primum lingua esse cœpit in quæstu, institutumq; eloquentiæ bonis male uti, curam morum, qui diserti habebantur, reliquerunt. Ea vero destituta, infirmioribus ingeniis velut prædæ fuit. Inde quidam cōtempto bene dicendi labore ad formandos animos, instituendasque vitæ leges regressi, partem quidem potiorem, si dividi posset, retinuerunt: nomen tamen sibi insolentissimum arrogaverunt, ut soli sapientiæ studiosi vocarentur. Hæc Quintilianus, quæ idcirco hic ascribenda duxi, ut ostenderem non me solum sed etiam Quintilianum, & ante Quintilianum Ciceronem, ut ex Crassi disputationibus in libris de Oratore appareat, vidisse & improbasse istum Dialecticorum & Pseudophilosophorum impudentiam atq; improbitatem, qui se solos sapientiæ studiosos appellare non erubescunt, & aliena furtim surrepta tanquam sua tandiu iniquissime tenuerunt occupata. Sed ut jam veniamus ad id quod propositum est agendum, hoc est, ad

est, ad tradendum vera principia, quæ spectant ad doctrinam argumentorum, argumentationumq; omnium nostram veram confirmandam, & Pseudophilosophorum falsam refutandam: primum ita dicimus, argumentum à nobis hoc in loco accipi pro ratione ea, quæ rei dubiæ fidem facit, argumentationem vero pro explicatione argumenti per orationem: quemadmodum tam Rhetores quam Dialectici utrunq; definiunt. Sed de argumētationibus postea cum pervenerimus ad librum Priorum Analyticorum agemus, ibi enim locus est argumentationum proprius, quoniam in eo libro de argumentationibus pertractat Aristoteles. Nunc de argumentis ad librum Topicorum pertinentibus agendum est, & simul ostendendū recte philosophari cupientibus quid veri & quid falsi, quid utilis & quid inutilis, quid necessarii & quid supervacanei contineat ille liber. Non enim facile nec cujusvis est de tanta re judicium facere, sed nos, ut spero, ita diligenter & subtiliter rem hanc tractabimus, ut apparitum sit de libro Topicorum Aristotelis, in tam longo temporis spatio, & in tam multis hominum millibus, qui eum legerunt, nondum usq; in hunc diem, recte à quopiam fuisse judicatum. Sed jam omissis longioribus proœmiis, ad propositum negotium accedamus. Aristoteles in libris Topicorum pollicetur se traditurum *artem & methodum disputandi de omnibus rebus in contrarias partes probabiliter: quod pollicitum certe si verum esset, & si præstaretur, omni est-*

(Imo vero hac arte nihil est generi humano nocentius.)

set labore ac pecunia redimendum. Quid enim pulchrius aut optabilius homini possit contingere, quam tam præclaræ tamque præstantissimæ artis fieri compotem? Sed nec verum pollicetur Aristoteles, nec promissam fidem perfecte servat: immo & se ipsum frustra fatigat, & scribit plurima partim falso, partim inutiliter, partim etiam legentibus valde noxia. Quod quam brevissime fieri poterit, hic probare aggredimur: ut appareat eum non minus in hoc, quam in aliis dialecticis libris errasse: & dialecticam hanc disputandi consuetudinem: licet temporibus antiquis fortasse fuerit in usu, tamen ætate nostra non solum esse falsam sed etiam inusitatam & inutilem. Nam Aristoteles in principio hujus libri propositis quibusdam, quæ ad intelligenda ea, quæ sequuntur, necessaria existimabant, in summa totam doctrinam suam topicam ad quatuor capita redigit. Et ait, omnem quæstionem sive omne problema dialecticum esse aut de accidente aut de genere, aut de proprio aut de definitione. Sed cum problematibus de accidente simpliciter conjungit problemata de eodem accidēte comparate. Ad problema vero generis adiungit problemata de differentia: quoniam, ut Dialectici inquiunt, differentia in modo prædicandi magnam cum genere habet similitudinem. De problematibus speciei nihil loquitur, quia dicunt speciem specialissimam in problemate dialectico

ſemper eſſe ſubjectum, nunquam prædicatum, & propterea de ea non quæri, ſed de prædicato, quod ſemper ſit aut genus, aut certe ſpecies ſubalterna. Atque hoc modo Ariſtoteles omnem quæſtionem ſive problema Dialecticum ad quatuor capita redigit, ut nihil ſit de quo diſputetur à Dialectico, quod non, ut ipſe arbitratur, ad unum aliquod quatuor iſtorum capitum reduci queat. Quam quidem doctrinam Ariſtotelis topicam omnes Philoſophi veteres præſertim Peripatetici ſine ulla dubitatione non ſolum receperunt & approbaverunt tanquam veriſſimam & utiliſſimam, ſed etiam bene longis & verboſis cõmentariis explanaverunt: ut apud Græcos Themiſtius, & apud Latinos Boethius & Albertus. Nam M. Cicero licet Topica ſua ad Trebatium ex Ariſtotelis topicis tranſtuliſſe ſe fateatur, tamen nos pro certo habemus eum nunquã iſta Topica, quæ nunc pro Ariſtotelicis leguntur, nec vidiſſe nec legiſſe, ſed alia ab Ariſtotele compoſita, quæ hodie non extant. Nam Ariſtoteles, ut ex Laertio conſtat, non unum tantum, ſed multa & varia ſcripſit Topicorum opera, de quibus poſtea aliquid dicimus. Atq; hoc modo iſti octo Ariſtotelis Topicorum libri ita recepti fuerunt & approbati ab omnibus uſq; ad ætatem noſtram, ut nemo quod quidem ego ſciam, de eorum doctrina quin vera, utilis neceſſariaque eſſet, dubitarit, aut contra eam aliquid dicere in dubium que revocare tentarit. Sed nobis pueris neſcio quomodo in ultima Germania extitit Rodulphus Agricola vir natione Phriſius & in primis doctus, qui qua ingenii perſpicacitate multa alia vidit, hoc etiam animadvertit, & intellexit: hanc Ariſtotelicam Topicorum doctrinam non ita eſſe veram & utilem, ut ſuperiores omnes exiſtimaverunt, ſed magnum in ea vitium verſari, eo quod illius Dialecticæ materia ab Ariſtotele nimis anguſte ſit concluſa. Non enim ſolum, ut ipſe inquit, ſemper quæritur, an aliquid ſit definitio, vel genus, vel proprium, vel accidens, ſed etiam abſolute ſine his nominibus infinitæ fieri poſſunt quæſtiones dialecticæ, ut patet exemplis ab ipſo poſitis in primo ſuo de Inventione dialectica libro, cap. III. Quem locum idcirco indicandum putavi, ut ſi quis forte videre velit ejus verba, id facere poſſit, & judicare nunquid recte Ariſtotelem reprehendat necne. Nam Joachimus Perionius in primo ſuo de Dialectica libro exiſtimat Ariſtotelem non recte à Rodulpho fuiſſe reprehenſum, & ipſum defendere conatur: ſed ipſe unà cum ſua illa defenſione multis modis eſt reprehendendus. Ac primo quia quod calumniatur à Rodulpho non fuiſſe cognitum, id optime Rodulphus cognovit. Nempe omnes quæſtiones ſine determinatione, hoc eſt, in quibus nulla fit mentio nec accidentis, nec generis, nec proprii, nec definitionis, ad problema de accidente referri poſſe. Non ignoravit inquã nec negavit hoc Rodulphus, quod ei falſõ

imputat

imputat Perionius, sed in eo reprehendit Aristotelem, quod in problematibus de accidente non recenset omnia, quæ ad ostendendū aliquid inesse alteri sunt accommodata, nec locos describit, nec numerum eorum facit, aut nomina: sed tantum deducta ex locis argumenta quæstioni propositæ applicat. Hæc enim diserte sunt Rodulphi verba, & hoc modo hacque de causa Aristotelem coarguit, non quemadmodum ait Perionius calumniator. Deinde etiam reprehendendus est in eo, quòd qui profitetur docere alios, quonam pacto intelligenda sit quadripartita illa problematum Dialecticorum Aristotelis divisio, ipse ex Aristotelis opinione nescit discernere problemata accidentis à problematibus generis & aliorum. Ait enim, hoc problema, sitne vox corpus, esse de genere: & hanc, sitne tempus motus cæli, esse de definitione: & hanc, solusne ignis natura sua sursum feratur, esse de proprio. In quibus omnibus longe fallitur, & prorsus nescit quid dicat, *cum omnes hæ, & talia hujusmodi quæstiones, in quibus non apponitur nomen, nec generis, nec proprii, nec definitionis: nec de genere, nec de proprio, nec de definitione sint, sed de accidente.* Ut manifeste docet Alexander Aphrodisiensis super primo Topicorum, quo in loco pulcherrimam tradit regulam, qua ex Aristotelis sententia cognosci possit, ad quod nam illorum quatuor capitum referendæ sint omnes dialecticæ quæstiones. Quare si Alexander recte Aristotelem intellexit, & non male eum exposuit, non potest Perionius non deliraſſe, & toto, ut dicitur erraſſe cælo, qui volens alios reprehendere, ipse maxime reprehendendus deprehenditur, & qui profitetur se docere alios cognoscere problemata dialectica, ipse ea non cognoscit. At ego contra unà cum Rodulpho dico & Aristotelem, & Alexandrum, & Perionium, & omnes Dialecticos vehementer esse damnandos & vituperandos, qui licet tradant *locos dialecticos*, tamen in eis tradendis & docendis quam plurimos errores admittunt, sic ut non facile dictu sit, plus ne utilitatis an detrimenti studiosis Philosophiæ ac bonarum literarum afferre videantur. Principio enim quod attinet ad quadripartitam illam Aristotelis problematum divisionem, dico illam esse falsissimam, propterea quod omne problema de accidente, & de proprio, atque etiam de definitione, est etiam problema de genere: & fere nullum fieri potest problema, quod non sit problema de genere, eò quia genus à nullo eorum unquam removeri ac separari potest. Nanque ut supra docui in capite de differentia & proprio, differentia, & proprium, & accidens nihil aliud sunt, nisi & genus differens, & genus proprium, & genus accidens: Et quod etiam ibidem dixi, rationale magis est genus quàm differentia, & risibile rursus magis genus quàm proprium, & album deniq; magis genus quàm accidens. Si quidem magis vere &

consuete dicimus, hominem esse in genere rationalium quam in differentia rationalium, & rursus hominem esse in genere risibilium quam in proprio risibilium, & deniq; cignum esse in genere alborum quam in accidēte alborum. Ex qua communi & trita loquēdi consuetudine sine ulla dubitatione constat, rationale magis esse genus quam differentiam, & risibile magis genus quam proprium, & album magis genus quam accidens. Quod dixi de his tribus, hoc est, de differentia, de proprio, de accidente, idem dico de definitione: est enim animal rationale mortale magis genus quam definitio, cum magis proprie dicatur, hominē esse in genere animalium rationalium mortalium, quam in definitione animalium rationalium mortalium. Quamobrem verissimum est id quod dixi, omne problema de differentia, de proprio, de accidente, atq; etiam de definitione, esse etiā problema de genere, atq; adeo magis problema de genere quam de differentia, de proprio, & de accidente. Atque ideo non recte feciſſe Aristotelem, qui genus à differentia, proprio, accidente, & definitione disjunxerit, ac separaverit tanquam res diversas, cum non sint diversæ, nisi quemadmodum genus & species. Nam genus est tanquam totum quoddam & genus ad omnia illa, & illa omnia sunt quasi quædam generis species. Atque hinc communiter loquētes dicimus, rationale esse genus quoddam animaliū differens ab irrationali, hinnibile esse genus quoddā brutorum propriū equo, (nanq; ut homo est in genere proprio risibilium, sic equus in genere proprio hinnibilium) album esse genus quoddam rerum accidens parieti (accidit enim parietem esse in genere alborum) animal rationale esse genus quoddam in definitionem hominis ingrediens. Quibus exemplis apparet genus, ut dixi, esse quoddam commune illis omnibus, atq; illa omnia esse quasi quasdam generis species, ut sint, minimum, tres generis species, genus commune, ut animal, genus differens, ut rationale, genus proprium, ut risibile. Nam genus accidentale quemadmodum etiam genus substantiale sub uno aliquo illorum trium semper continetur, & est aut genus accidentale commune, ut calidum: aut genus accidentale differens ut naturale, quæ est differentia quædam calidi, cujus contrarium est præter naturam: aut genus accidentale proprium, ut regelans: caloris enim proprium est, quod congelatum erat regelare. Nec minus quam hæc quæ dixi, etiam problema definitionis reducitur ad genus, eo quod partes definitionis ipsæ quoq; & singillatim sunt genera, ut genus commune, & genus differens, & genus proprium: & communiter, ut genus animalium rationaliū mortalium. Quæ cum ita sint, quæro ab iis, qui Aristotelem tam vehementer laudant, & illius doctrinam tantopere admirantur, quæro inquam quomodo potest esse vera quadripartita illa divisio problematum dialecticorum ab Aristotele facta? quæ dicit, omne problema dialecticum esse aut de genere, aut de

pro-

proprio, aut de definitione, aut de accidente: *cum primo nullum possit esse*
(Etsi omne fere prædicatum sit genus, non tamen genus subjectum vel ut speciem continens.)
problema neque de proprio, neque de definitione, neque de accidente, quin idem etiam sit problema de genere. Deinde cum ipse Aristoteles non vere intellexerit, sed prorsus ignoraverit, quid vere sit genus, quid differentia, quid proprium, quid definitio: ut in propriis cujusque horum capitibus supra demonstratum est. Et denique cum ex doctrina illius proposito aliquo problemate cognosci non possit ad quodnam caput sit referendum. Nam hoc problema, quod est, utrum vox sit corpus an non, & hoc aliud: utrum divitiæ sint bonæ, nec ne: si consulas Alexandrum, is dicet, & hæc & alia similia esse problemata de accidente: propterea quod facta sunt sine ulla determinatione aut generis, aut proprii, aut definitionis, aut accidentis. Omnia enim talia, quæ determinatione carent, ipse ad problema de accidente putat esse referenda. At Perionius in Dialectica sua diserte ait, hæc ipsa problemata esse de genere: & perinde esse scribit dicere, utrum vox sit corpus, & utrum divitiæ sint bonæ: ut si diceretur, utrum corpus sit genus vocis nec ne, & utrum bonum sit genus divitiarum nec ne. Atque ita summi Dialecticæ magistri & doctores tantopere discordantes in referendis problematibus dialecticis ad capita illa ab Aristotele proposita, manifestissimo sunt argumento, doctrinam istã Aristotelis topicam usque adeo esse confusam, incertam, & obscuram ut ea certo sciri non possit, ad quod caput unum quoq; problema sit referendum. Atque ideo non injuria queritur Rodulphus Agricola, Aristotelem angustius concluisse materiam dialecticam quam oportebat, & neque locos descripsisse, neq; numerũ ipsorum feciisse aut nomina, sed tantum deducta ex locis argumenta quæstioni propositæ applicasse. Perionius vero male & imperite Aristotelem defendere & Rodulphum refellere conatur, præsertim cũ falso calumnietur, partitionẽ Aristotelis à Rodulpho non fuisse cognitam, ut ante dixi. Ego autem hoc amplius quam Rodulphus queror & reprehendo, quod Aristoteles non solum non fecit id quod ille dicit, sed etiã quod locos falsos quæstionibus propositis applicavit, & inter applicandum quamplurima falsa tradidit. Quæ ego primum per singulos Topicorum libros discurrens non quidem omnia, nam id esset infinitum, sed tantum insigniora quædam indicabo Adolescentibus recte philosophandi cupidis, & cæteris omnibus, ne authoritate Aristotelis decepti in maximis erroribus versentur. Deinde in fine capitis aperiam rationem & viam, qua veri loci ad inveniendum argumenta in quacunq; quæstione, & ad disputandum de quacunq; re multo facilius & verius quam ex Aristotele cõparari possint. Et quoniam in quarto Topicorũ libro multo plura sunt errata

quam

quam in cæteris, hac de causa ab illo mihi visum est incipiendũ, & ante omnia generaliter hoc admonendum, locos qui traduntur ab Aristotele in astruendis & destruendis problematibus de genere, partim esse inutiles, quia nunquam venit eorum usus, partim falsos, quia non intellexit quid vere esset genus, nec ipsum accepit, quẽadmodũ Græci cõmuniter loquentes & scribẽtes accipere solent, sed modo quo jam plane sophistico & prorsus inusitato, ut supra etiam diximus in capite de Genere, cum genus dialecticum falsum & commentitium esse ostenderemus. Sed ut veniamus jam ad particularia, dico primum quarti libri locum esse simul & inutilem & falsum: Inutilem, quia nemo nisi Logicaster & Sophista quærit hoc modo. Utrum bonum sit genus voluptatis: sed hoc modo, utrum voluptas sit bonum: nec in tali problemate vere est quæstio de genere sed de veritate. Nam si constet, vere voluptatem esse bonum, necessario bonum erit genus voluptatis, & voluptas erit in genere bonorum: si vero id non vere constet, nullo pacto bonum poterit esse genus voluptatis, nec voluptas esse in genere bonorum. Falsum, quia genus verum, quemadmodum supra dixi, de nullo, quod contineatur sub genere, nec dicitur nec prædicatur, sed tantum nomen generis, idq; nõ in recto, sed in obliquo casu. Nam cum dicitur, exempli causa, homo est animal, vel homo non est animal, in neutra harum enuntiationum, nec animal est genus, nec homo est species: sed perinde est ac si diceretur, unus homo est unum animal, vel unus homo non est unum animal. Cum vero sic profertur, homo est in genere animalium, vel homo non est in genere animalium, utrobiq; est nomen generis de sua specie prædicatum in obliquo. Quod dixi de his duobus, idem dico de omnibus, ut verum esse nõ possit, quod dicit Aristoteles in hoc loco: inspiciendum esse ad omnia, quæ cognata sunt quod dicitur, si de aliquo prædicatur. Nanque, bonum, ut genus est, non prædicatur de voluptate, sed tantum ut nomen generis: idque non in recto, sed tantum in obliquo casu, ut si dicatur hoc modo. Voluptas est in genere bonorum: Quare primus hic locus Aristotelis de problemate generis, non solum est inutilis, sed etiam falsus. Nec minus etiam inutiliter, & falso traditus est ab eodem secundus locus sumptus ab eo quod est, prædicari, hoc est, si id quod dicitur, non in quid prædicatur, sed ut accidens. Nam quod ille dicit, album non esse genus nivis, est falsissimum: nix enim vere est in genere alborum, & nisi ita esset, nix non esset alba. Sed decipitur Aristoteles, non intelligens ex generibus vere alia esse essentialia, alia accidentalia, ut nos supra docuimus, sed accipiens genus contra communem omniũ recte loquẽtiũ, tã Græcorum quam Latinorum loquendi consuetudinem, pro illo suo falso & monstroso universali, jam antea à nobis refutato, & imperite existimans

nullum

nullum accidens posse esse genus rei substantialis, cum etiam pueri sciant tam parietē album esse in genere alborum, quam hominem in genere animalium. Intelligendo tamen juxta communem doctorum omnium loquendi usum, cū dicitur in genere animalium & in genere alborum, nihil aliud significari, nisi in multitudine rerum animatarum, & in multitudine rerum albarum. Si quidem genus latine, & γένος græce, nihil aliud significat, nisi multitudinem quandā singularium, & album nihil aliud est nisi res alba. Quod cum ita sit, quis, nisi ter ineptissimus Logicaster, neget & parietem album, & nivem, & cignum, & alia hujusmodi esse in genere alborum, si non essentiali at certe accidentali? hoc est, in multitudine sive in numero rerum albarum? certe nemo. Quare abeat Aristoteles cum suo isto loco, non solum falso sed etiam inutili, quia nemo, nisi mente captus, non solū non quærit, sed ne dubitat quidē, utrū albū sit genus nivis, sive utrū nix sit in genere alborū: quando quidē statim, ut cognitū est, nivē esse albā, eodē temporis momento nō potest ignorari, quin nix in genere alborū vere sit collocata. Eisdem plane vitiis, atq; etiā pluribus & majoribus, laborat etiā tertius locus: de quo tamen Interpretes dubitant, an sit ratio secundi superioris loci, an locus per se separatus & sumptus à definitione accidentis. Ait enim nec movere se ipsū animæ, nec albū nivis genus esse, quia in definitione accidentis ponitur, quod contingit idē in esse alicui & non inesse. Quæ ratio est plane falsa & vana, nō enim quoniā aliquid alicui potest inesse & non inesse, ob eā rē prohibetur esse genus illius, ut, ne discedā ab exemplo superiore, albū potest inesse & nō inesse parieti, nec propterea tamen ea res ullo est impedimento, quominus albū sit vere genus parietis albi, & quominus paries albus vere sit in genere alborū, ut ante dixi. Nō enim necesse est ut Aristoteles, & Dialectici stulte putant, omnia genera esse essentialia & inseparabilia à suis speciebus: ut illis nunquā non inesse possint, sed tantum hoc verum est in generibus essentialibus, ut in genere animaliū & hominibus, & in genere colorū & particularibus coloribus. Hæc enim & alia hujusmodi genera nunquā possunt non inesse suis speciebus. A in generibus accidentalibus & extrinsecis,

(Imo vero etiam ex Nizolianis principiis verum manet genus à specie separari non posse. Species enim calidi non est aqua, sed calida aqua. Iam etsi calidum esse, ab aqua separari possit; calidam tamen aquam, calidam non esse implicat contradictionem.)

quæ sunt multo plura, nulla inest talis necessitas. Itaq; quamvis aqua dum calida est vere sit in genere calidorum, tamen esse calidum, quod est genus accidentale aquæ, facile potest ab aqua separari: sic ut aqua, quæ paulo ante erat in genere calidorum, amisso calore, in contrario genere esse incipiat hoc est, in genere frigidorum. Idemque dico de omnibus aliis generibus accidentalibus, quæ à suis speciebus separari & abesse possunt, sine ulla specierum subjectarum omnimoda corruptione. Quod cum ita sit, valde mirum est,

quonam pacto Aristoteles crediderit omnia genera esse inseparabilia à suis speciebus, cum & sermo cõmunis omnium recte loquentium, & usus scriptorum doctissimorum tã Græcorum quam Latinorum genera & vere esse putet & recte nominet, tam ea, quæ separantur à suis speciebus, quam ea, quæ sunt inseparabilia, ut patuit exemplis supra positis. Et multo etiam majori admiratione dignum est, quomodo idem introduxerit nobis unum genus commentitium & monstrosum, quod non est in rerum natura, & quo nemo utitur nisi ipsi Dialectici, idque ad nihil aliud faciendum, nisi ad garriendum: id vero genus, quod est verum & germanum, & quod omnes tam indocti quam docti communiter usurpant, hoc est, genus accidentale suis speciebus, prorsus non viderit nec intellexerit: perinde quasi dedita opera & se ipsum, & alios decipere voluisse videatur. Quare omnes recte philosophari cupientes, doctrinam Aristotelis hac in parte tanquam perversam, monstrosamque fugiant, & de generibus hoc pro certo habeant, esse quædam genera, quæ suis speciebus non sint essentialia, sed ab illis facile separari possint: & propterea vocentur accidentalia, ut genus candidorum à pariete, & genus calidorum ab aqua: paries enim, cum albario tectus est, in genere est candidorum, cum vero alio quopiam colore inficitur, in aliud genus transit. Idemq; facit aqua, quæ cum fervet est in genere calidorum, refrigerata vero in genere frigidorum numeratur. Sed in hujusmodi locutionibus animadvertendum est primo, Pseudophilosophos cum ita dicitur, remoto genere calidorum, corrumpi aquã calidam, ita intelligere, ut aqua calida non simpliciter sed per accidens corrumpatur: sic enim ipsi in libris & disputationibus suis loquuntur. At nos contra dicimus, talem intelligẽdi & loquendi modum esse prorsus sophisticum, barbarum, & inusitatum apud eos, qui recte loqui didicerunt: hi enim dicunt, remoto genere candidorum à pariete, & genere calidorum ab aqua. non parietem album, & calidam aquam corrumpi per accidens, sed alborem parietis, & calorem aquæ destrui. sic enim loquuntur, qui intelligi volunt. Deinde hoc etiam non ignorari volumus, cum dicitur, parietem candidum destrui, & aquam calidam corrumpi, non ita intelligendum esse, ut solus candor, & solus calor corrumpatur ac destruatur, non paries nec aqua, nisi per accidens: ut Pseudophilosophi nugantur, sed ut paries & aqua simul, cum candore & calore, hoc est, ut totum compositum ex subjecto & accidente corruptionem destructionemq; patiatur: ut doctissimi quiq; & rectissime loquentes viri & loquuntur & intelligunt. Et quemadmodum cum dicitur interfectum esse hominẽ probum vel doctum, stultum est intelligere, probitatem quidem vel doctrinam destrui, hominem autem non destrui: sic cum profertur, parietem candidum

esse

esse destructum, & aquam calidam esse corruptam, eadem stultitia, est candorem non parietem, & calorem non aquam corrumpi ac destrui putare. Sequitur quartus locus in problemate de genere, ut ipsi dicunt, ab identitate categoriæ sumptus: docet enim Aristoteles oportere & genus & speciem suam in eadem categoria esse. Quod si quid genus alicujus assignatur, puta album cygni, & pulchrum vel bonum disciplinæ, idque in diversa categoria esse reperiatur, nullo pacto posse esse genus: & si quis tale genus ponat, eum vehementer in genere assignando errare. At ego adversus Aristotelem breviter dico, hoc quoque falsissimum esse, nam ut supra dixi, album & cygni, & nivis vere genus est, si quidem recte dicitur & cygnum & nivem esse in genere alborum: nec minus tam bonum quã pulchrum vere genus est disciplinæ, cum disciplina vere & in bonorum & in pulchrorum genere dicatur esse. Quod nisi ita esset, nec bonum nec pulchrum esset discere bonas artes, Itaque & locus iste totus, & exempla quæ affert Aristoteles, ad eum explanandum omnia falsa sunt,

(Breviter: Concreta non abstracta diversarum Categoriarum sibi invicem genus esse possunt. Imo concreta qualitatum non sunt in Categoriis qualitatum, sed substantiarum. Quid enim aliud est doctum quam substantia docta? Quædam tamen excipienda sunt, ut bonum, quæ & de accidentibus abstractis recte dicuntur in concreto, v.g. virtus est bona; non, virtus est bonitas. Præterea relationes habent se ad qualitates ut modi ad substantias. Ideo recte dicitur virtus est similis scientiæ, non similitudo.)

cum diversitas categoriarum nihil impediat quo minus res unius categoriæ rei alterius categoriæ verum possit esse genus, si non essentiale at accidentale & extraneum. Quintus locus sumitur, ut inquit Aristoteles, à definitione ejus, quod est participare, cum, ut ipse ait, species quidem genus participet, at non contra species à genere participetur. Itaque si quid assignetur tanquam genus quod speciem participet, id, ut ipse putat, non est genus, & magnum admittitur erratum. At ego contra dico, verum genus non solum participare speciem, sed etiam si non participet, genus omnino esse non posse. Nam si participare est partem capere, ut vere docent Grammatici, certe genus animalium non solum partem speciei humanæ capit, sed etiam totam speciem humanam in se continet, & si non ita participaret nec contineret, non posset omnino verum genus esse. Quare stultum est quod dicit Aristoteles, genus non participare speciem: at inquit ipse, participare est rationem, hoc est, definitionem participati suscipere, & hoc modo species quidem rationem generis, hoc est, definitionem suscipit, non autem contra genus speciei. Dicimus enim hominem esse substantiam animatam sensibilem, quæ definitio animali tribuitur, non autem contra, animal esse animal rationale mortale, quæ est definitio hominis, quia videtur absurdum esse, animal ita definire, & ipsummet in definitione ipsius poni: sic inquam dicit vel dicere posset Aristoteles, si adesset defensurus locum suum non esse falsum. Sed nihil valet hæc responsio, quia cum dicitur, homo est substantia animata sensibilis, nec homo in hac enuntiatione est species, nisi figurate sumatur pro omnibus hominibus: nec substãtia animata sensibilis, est definitio generis, hoc est, animalis, nisi similiter

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [359] - 291

animal figurate pro omnibus animalibus capiatur. Quod si ita caperetur tunc definitio esset falsa, non enim animal ut genus verũ est, substantia animata sensibilis est, sed ut ante dixi, multitudo sive totũ discretũ ex omnibus suis speciebus compositũ. Cujus generis, homo, eo quo dixi modo, figurate acceptus, est una species, & nõ aliter nec alio modo. At dicat forte aliquis, si homo in ea definitione non est species, nisi figurate sumptus, & definitio illa non est animalis nisi figurate accepti, quid ergo erit homo, & quid erit animal, si proprie & sine ulla figura accipiatur. Respondeo utrunq; perinde esse ac si diceretur, unus homo est una substantia animata sentiens, quæ definitio quãvis proprie assignetur de uno tantũ singulari & individuo, tamen figurate, hoc est, per synecdochen sive per intellectionem ab uno de omnibus recte tradita intelligitur. Sic enim, ut ante diximus, & cõmunis omniũ probatissimorũ quoruncunq; Scriptorũ usus obtinuit, ut definitiones fere de uno tantũ dentur, sed per eas, quas dixi, figuras de omnibus intelligantur assignatæ, id quod supra etiam ex authoritate Aristotelis in capite de definitione probatũ est. Quare nec præceptũ Aristotelis in hoc loco verũ est, nec exẽpla quæ affert, ullã continent veritatem. Nã ego dico & ens & unũ esse veras species generis rerũ, nã nisi ens & unũ essent in genere rerũ, prorsus nihil esse possent. Res enim nõ solum de omnibus entibus & omnibus unis dicitur, sed etiã de eis, quę non vere sunt ens & unum, ut de Tragelapho & Hircocervo, & cæteris rebus, quæ non sunt nec esse possunt. Quamobrem multo generalius est res, quam ens & unum: ut non possit esse verum quod dicit Aristoteles, si quis entis vel unius genus quippiam assignaverit, fore ut genus eo modo, quo ipse putat, participet speciem, nec enim eos aut unum omnis rei rationem participat, quoniam nec de opinabilibus nec de fictis rebus etiam Aristotelis testimonio dicuntur, ut ante dictum est. Quod dicitur ab Aristotele in sexto loco, si nullam specierum contingit participare, id quod positum est in genere, id non posse esse verum genus, est id quidem verum, sed quod ad hanc rem probandam pro exemplo affertur: si motus ponatur esse genus voluptatis, non recte assignatum genus esse, id falsum

(Nullus motus, est nisi localis; mutatio tamen quædam non est localis, nempe mutatio in mente.)

est: *cum sine ulla dubitatione voluptas sit motus quidam, si non generationis neque corruptionis, neque augumenti, neque decrementi, neque motus localis, at* certe ejus, quam vocant alterationem. Sic enim doctissimi quiq; Scriptores, eam dicunt esse motum sive motionem quandam, ut Cicero de finibus ita scribens, Verbo voluptatis omnes qui ubiq; sunt, qui latine sciunt, duas res subjiciunt, lætitiam suavem in animo, commotionẽ suavem jucũditatis in corpore. Et rursus, Voluptas est, quæ suavitate aliqua naturam ipsam movet, & cum jucunditate quadam percipitur sensibus. Et rursus, omnes enim jucundum

motum

motum, quo ſenſus hilaretur, Græci ἡδονὴν, Latini voluptatem vocant. Item in Epiſtolis, Voluptas eſt jucundus motus in ſenſu. Quibus authoritatibus manifeſtiſſime adverſus Ariſtotelem cõcluditur, voluptatem eſſe motum ſive motionẽ quandam, & motum ſive motionẽ vere eſſe genus voluptatis Quod cum ita ſit, faceſſat Ariſtoteles, cum ſuis ineptis locis, & ſophiſticis nugis. Neque verum eſt quod dicit Alexander, voluptatem non eſſe alterationem, eo quod alteratio eſt tranſmutatio in paſſione: voluptas vero non, cum ſit paſſio exiſtens atq; permanens. Hæc enim ratio Alexandri, eſt pluſquam ſophiſtica & inepta, cum is qui voluptate afficitur, ſemper quodammodo ſe moveri, & jucundo quodam ſenſu titillari ſentiat. Id quod etiam ex contrario ſuo, hoc eſt, ex dolore intelligi poteſt: nam & Stoici, ut refert Cicero in Tuſculanis quæſtionibus, ita definiebant dolorem, ut dicerent, eum eſſe motum aſperum in corpore à ſenſibus alienum. Quare cum dolor, qui voluptatis contrarium eſt, motus quidem ſit, non poteſt voluptas nõ ipſa quoq; motus quidam recte dici. Et ita patet non minus Alexandrum in expoſitione hujus exempli, quam Ariſtotelem in ejuſdem probatione eſſe reprehendendum. Quanquam poſſum non pauca dicere contra locum octavum, tamen ne omnia perſequi velle videar, ipſum prætereo: & ad nonum tranſeo, qui ſumitur, ut Interpretes ajunt, ab Æqualitate prædicationis. Nam cum aliqua duo de æqualibus numero prædicantur, non vult Ariſtoteles eorum alterum alterius poſſe eſſe genus,

(Imo vero hic de voce tantum movet Ariſtoteli litem. Quid in enim licuerit, ei in hunc uſum philoſophicum velut ſegregare à vulgo generis vocem, ut ſignificet prædicatum ſubjecto latius.)

ut ens & unum, eo quia, *ut ipſe putat, genus ſemper de pluribus quam ſpecies prædicetur. Sed hoc quoque à nobis ſupra refutatum eſt*, cum oſtendimus generum aliqua eſſe communia, aliqua differentia, aliqua propria, & genus commune illud eſſe quod ſemper plura continet quam ſpecies, ut genus animalium quam ſpecies hominum: genus differens quod ſemper pauciora complectitur quam genus cõmune, ut genus rationalium quam genus animalium: genus proprium quod neq; plura neq; pauciora comprehendit quam ſpecies, ut genus riſibilium quam ſpecies hominum. Quod cum ita ſit, non recte Ariſtoteles negat, aut ens unius, aut unum entis poſſe eſſe genus, eo quod utrũq; de æqualibus, hoc eſt, de omnibus dicatur. Hæc enim ratio tantummodo prohibet eſſe genus cõmune, at eſſe genus proprium nihil prohibet. Quin potius niſi ita eſſet, genus proprium non poſſet conſiſtere. Sed cauſa erroris Ariſtotelis fuit, quia neſcio quomodo, contra communem loquendi conſuetudinem, non ſolum Latinorum ſed etiam Græcorum, & cõtra uſum bonorum Scriptorum omnium, perſuaſit ſibi nec differẽtias nec propria poſſe eſſe genera. Cum ut ſupra docui, non minus rationale & riſibile, quam animal, vere ſit genus,

nec magis vere dicatur, hominem esse in genere animalium communi, quam eundem esse in genere risibilium proprio, & in genere rationalium differenti, scilicet, à contrario genere irrationalium. Quamobrem recte philosophaturis nullo pacto in hisce rebus sequenda est Aristotelis doctrina, sed prorsus repudianda & abjicienda. Locus decimus à ratione prædicandi de individuis, ut dicunt Interpretes, sumptus, usque adeo est inanis & fatuus, ut me pudeat, tam leves tamque nihili nugas Aristotelicas refutare. Ait enim in summa, si quis insecabiles lineas ponens dicat, indivisibile earum genus esse, eum vehementer in genere assignando errare, eo quod de divisibilibus lineis dici non poterit. O bone Deus, quid hominis erat iste Aristoteles dispeream nisi arbitror ei decretũ fuisse, ut & se ipsum scribendis nugis, & Lectores eisdem legen-

† (Miror hoc Nizolium ignotare, disputat enim Aristoteles contra Democritum, qui ponebat τὰς ἀτόμους.)

dis incassum fatigaret. *Primum enim quis, nisi plane fatuus & stultus, diceret aut poneret lineas esse insecabiles?* † Deinde cum id posuisset, & ei positio non labefactaretur, quis illum jure posset reprehendere, si diceret, indivisibile omnium linearum esse genus? certe nemo sanus, sed oporteret prius refutare positionem linearum insecabilium, deinde reprehẽdere genus non recte assignatum esse: Aristoteles autem contra fecit, reliquit enim positionem, quasi veram & cõcessam, & id quod necessario positionem sequebatur reprehendit. Nec rectius fecit Alexander ejus Interpres, qui negat nigrum esse genus Æthiopis, eo quod non eodem modo dicitur de Scythis, sicut de Æthiopibus, cũ oporteat genus æque de omnibus speciebus dici. O hominem rudem, qui non videt nigrum non Scytharum, sed tantummodo Æthiopum genus esse. Itaque non Scythæ neque Germani, sed Æthiopes & Mauri dicuntur esse in genere nigrorum. Hoc in loco præcipit Aristoteles considerandum esse genus assignati generis, utrum prædicatur in quid de eo quod sub ipso assignato genere continetur: exempli gratia, ut si virtus ponatur genus continentiæ, utrum habitus, quod est genus virtutis, dicatur in quid de continentia, & utrum continentia revera sit habitus. Quod si non sit, tum concludit virtutem continentiæ non esse genus, & continentiam non posse virtutem esse. Quo in loco multa peccat Aristoteles, ac primum quod putat omne genus tam propinquũ quam remotum prædicari in quid de omnibus suis inferioribus, quod falsissimum est. Nam ut supra dixi, genera tam propinqua quam remota de suis inferioribus non solum non prædicantur in quid, sed omnino non prædicantur: cum nihil nec dicatur nec prædicetur, nisi vox, & genera rerum non sint voces sed res, quare genera rerum nec dici de ullo, nec prædicari possunt: atque ideo falsum dixit, affirmando genera rerum dici sive prædicari: quod si dicerentur

& præ-

& prædicarentur, non tamen magis in quid quam in quale dici & prædicari essent affirmanda, cum in utroque æque dicantur & prædicentur, exempli gratia quærenti, quid est homo? respondebo, est animal: & rursus quærenti, qualis est homo? dicam, est animalis: cum tamen æque genus hominis sit animalis quam animal: est enim revera homo tam in genere animalium ab eo quod est animalis adjective, quam ab eo quod est animal substantive. Atque ut hoc melius intelligatur, afferam exemplum clarius si enim quis me roget, quid sit elementum? dicam, elementum esse corpus: & rursus si quærat, quale est elementum? respondebo, est corporeum: & tamen tam corporeum quam corpus est genus elementi, tam enim dicimus, elementum est in genere corporeorum quam in genere corporum. Itaq; quoquo se vertat Aristoteles cum isto suo, non solum prædicari, quod dixi esse falsum, sed etiam prædicari in quid non in quale, quod ab eo generibus tribuitur, totus est ridiculus & ineptus. Non enim genera ipsa rerum, quæ sunt res, sed nomina generum, quæ sunt voces, dicuntur & prædicantur, idque non minus in quale quam in quid, ut exemplis supra positis patuit. Vere enim & latine dicitur, nomen generis sive nomen corporis dicitur & prædicatur de elemento. Quod si quæstio de elemento fiat per quid, refertur responsum per substantivum, ut dixi: sin vero eadem efficiatur per quale, respondetur per adjectivum. Nam ut supra dixi, quemadmodum omnia nomina substantiva semper significant substantiam vel qualitatem, per modum substantiæ, sic nomina adjectiva tam substantiæ quam qualitatis semper habent significationem qualitatis: cum, ut supra docui, substantia in adjectivo prolata quodammodo in qualitatem converti & transmutari videatur. Deinde non minus peccat Aristoteles in proponendo tali loco, nemo enim sanæ mentis quærit, exempli gratia, ut dicunt Interpretes, nam Aristoteles hujusce loci exemplum nullum attulit: nemo inquã ita quærit, utrum virtus sit genus continentiæ vel verecundiæ, sed ita, utrum continentia vel verecundia sit virtus. Nã si constabit continentiã vel verecundiã esse virtutẽ, non poterit esse dubium, quin utraque earum sit in genere virtutis, & quin virtus vere sit genus continentiæ & verecundiæ. Necessario enim cujuscunque nomen substantivum de aliquo dicitur, id est, genus illius: & si nomen virtutis dicitur de continentia & verecundia, ita ut vere affirmetur, continentiã vel verecundiam esse virtutem, necesse est virtutẽ esse genus continentiæ & verecundiæ, & tã continentiam quam verecundiam esse in genere virtutum. Quamobrem Aristoteles prorsus inepte proponit hujusmodi quęstiones, utrũ hoc sit genus illius, cum potius ita quærendum sit, utrum hoc sit illud. Eo quia si constabit hoc esse illud, non poterit esse dubium, quin illud sit genus hujus. Genus dico vel essentiale vel accidentale, vel separabile vel inseparabile: tot enim sunt

modi

modi generum, quos quoniam Aristoteles ignoravit, hinc factum est, ut ad probandum tam inutiles tamq; ineptas quæstiones fuerit inductus: ipse enim nullum aliud genus agnovit, nisi essentiale & inseparabile, cum tamen etiam pueri & idiotæ sciant verissimum esse, & rectissime dici, non solum hominem esse in genere animalium, & candorem esse in genere colorum, sed etiam parietem cum candidus est, esse in genere candidorum, & aquam cum calet, esse in genere calidorum. Postremo vero errat in hoc loco nõ quidem Aristoteles, sed illius Interpres Alexander, qui ejus authoritate adductus ex hoc loco concludit continentiam & verecundiam non esse virtutes, eo quia genus virtutis, qui est habitus, de continentia & verecundia non prædicatur. Ait enim continentiam & pudorem non esse virtutes, sed passiones. At ego contra dico, continentiam & verecundiam nõ solum esse virtutes, & ut inquit Cicero, matres virtutum omnium, sed etiam veros habitus: non quidem eo modo, quo Aristoteles accipit habitum, quasi non possit esse habitus, nisi sit perfectus, & qui omnino mutari & removeri non queat: sed eo modo quo Cicero, & omnes Scriptores tam Græci quam Latini recte loquentes, accipiunt: *ut habitus sit affectio exercitatione ita confirmata & manens, ut non nisi magna cum difficultate mutetur & removeatur.* Sic inquam ego habitum intelligens dico duas has affectiones animi esse virtutes veras, & habitus veros: & Aristotelem una cum omnibus illius sectatoribus cõtemno atq; rejicio, qui introducunt nobis habitus nescio quos ita perfectos & immutabiles, ut nihil prorsus augeri neq; mutari possint: & scribunt, exempli gratia, quandam temperantiam omnibus numeris ita absolutam, ut nihil in ea prorsus desideretur, & quosdam temperantes ita consummatos, ut nulla prorsus neq; ciborum suavitate inconcessa, neq mulierum cupiditate illicita, neq; omnino ulla ullius rei libidine moveri possint. Idemque faciunt de aliis virtutibus, sic ut cum quis habeat aliquam virtutem, is perfecte præditus sit illa virtute, nec quicquam contrarii vitii habeat admixtum. Et in summa ut virtus vel prorsus non habeatur, vel perfectissima & absolutissima habeatur: *quæ omnia sunt mendacia & somnia Aristotelica.* Nam si vera virtus esset ita perfecta, ut non posset nec augeri nec minui, sequeretur nec prudenti prudentiorem aliquem fieri posse, nec justo justiorem, nec forti fortiorem, nec temperante temperantiorem. Cujus contrarium apertissime docemur & experimur ex communi omnium loquendi consuetudine: non enim solum dicimus aliquem alio esse prudentiorem, sed etiam prudentissimum, nec solum justiorem sed etiam justissimum, nec solum fortiorem sed etiam fortissimum, nec solum temperantiorem sed etiam temperantissimum. Quorum nihil recte diceretur, si ut Aristoteles, & Peripatetici somniant

(Idem Arist. & vult & dicit. Habitum enim vocat non ἀκίνητον, sed δυσκίνητον.)

(Vti Cicero perfectum Oratorem, ita merito Aristoteles describit perfectam virtutem, etsi nec hanc ἐν σχήματι collocet.)

somniant virtus ita esset in summo perfecta, ut nec additionē nec diminutionem accipere posset. Itaque caveant qui recte philosophari cupiunt, ne absurdam istam Aristotelis prius, deinde Alexandri & aliorum Pseudophilosophorum doctrinam ullo pacto veram esse arbitrentur, sed credant, ita ut vere est, continentiam & verecundiam sive pudorem esse veras germanasq; virtutes & habitus, eo modo, quo virtutes & habitus in humano genere atq; in rerum natura reperiuntur: & ad hoc cognoscendum non tantum genus virtutis, ut præcipit Aristoteles, sed etiam contrarium virtutis respiciant, hoc est, vitium. Nam si incontinentia & inverecundia vere sunt vitia & habitus, ut certe sunt, profecto & continentia & verecundia virtutes & habitus non esse non possunt. Quod ad hunc locum attinet, Aristoteles, ut pleraque alia, sic hoc falsissime existimavit, nullam differentiam posse esse genus, atque ideo ait valde peccare eum, qui differentiam ut genus assignavit. Sed nos hoc etiam supra refutavimus, cum docuimus eas, quas Aristoteles vocat differentias, ut rationale & irrationale, & propria, ut risibile & hinnibile, nihil aliud esse nisi genera differentia & genera propria. Quæ vero ille appellat genera, ut animal & colorē, ea revera esse genera cōmunia, quæ à generibus differentibus & propriis differunt, ut magis commune à minus communi: sed ita tamen esse genera communia, ut quandoque etiam genera differentia & genera propria esse possint, ut supra docuimus in capite de differentia. Quare quod Aristoteles hujus loci exemplum afferens ait, ut si quis immortale genus Dei assignet, magnum scilicet admittit peccatum, longius ipse abberat à veritate. Est enim revera Deus immortalis, & propterea verissimum est dicere, Deum esse in genere immortalium, sive quod idem est, immortale esse genus Dei. Sed causa hujus quoque erroris Aristotelis, sicut etiam aliorum multorum, est ut dixi, quia ipse accipit genus perversissime, & contra omnem recte loquentium consuetudinem. Quis enim, nisi plane fatuus & stultus, nescit rationale esse quidem differentiam, quia ratio facit differre hominem à brutis, sed non propterea tamen minus atq; adeo magis etiā esse genus quam differentiā, quoniam, ut supra etiam monui, magis recte dicitur, hominem esse in genere rationalium quam in differentia rationalium. Quod vero in fine loci addit, nullam differentiam significare quid est, sed magis quale quid, non magis verum est quam superiora. Nam si quæratur, quid est homo? non minus convenienter respondere licet, est gressibile vel bipes, quam est animal vel corpus. Accipiendo tamen gressibile & bipes, pro re gressibili & bipede, ut illud Virgilii,

Triste lupus stabulis. & item illud ejusdem.
Dulce satis humor.

pro trifti & dulci re. Qua de re ſupra ſatis abunde in capite de nominibus locuti ſumus. Eodem quoque modo hoc in loco, ſicut in ſuperiore, peccavit Ariſtoteles, putans differentiam non poſſe eſſe genus, nec ſpeciem. At ego dico & affirmo omnes differentias generum, non ſolum eſſe differentias, ſed etiam genera & ſpecies, & imparem numerum, quem ille pro exemplo attulit, non minus atq; adeo magis eſſe genus quoddam, ſive ſpeciem quandam numerorum quam differentiam. Si quidem magis recte dicas, ternarium numerum eſſe in genere vel in ſpecie numerorum imparium, quam in differentia eorundem. Ex quo luce clarius intelligitur imparem numerum magis eſſe genus vel ſpeciem numerorum, quam differentiam. Eſt enim genus, ſi comparetur ſuis ſpeciebus, ut ternario & ſeptenario & cæteris imparibus: ſpecies autem ſi conferatur cum genere ſuo, hoc eſt, cum numero abſolute, qui dividitur in duas differentias ſive ſpecies, parem & imparem, & utraque harum ſpecierum rurſus deorſum converſa, & genus effecta in multas alias ſpecies ſubdividitur ut par in binarium quaternarium ſenarium & alios, impar in ternarium quinarium ſeptenarium & cæteros. Neque verum eſt illud quod tanquam confeſſum ſibi ſumit, omne quod participet genus eſſe vel ſpeciem vel individuum, cum etiam differentia æque ſicut ſpecies & individua, generis particeps ſit. Quis enim niſi excors & amens dicat, animal à Socrate & ab homine quam à rationali & irrationali magis participari? cum tam recte dicatur, rationale & irrationale eſt animal, ſicut Socrates & homo eſt animal. At inquit Ariſtoteles, genus de differentiis non prædicatur: nam ſi ita eſſet, cum differentiæ animalis ſint pedeſtre bipes & rationale, & hæc omnia de homine prædicentur, ſequeretur multa animalia dici de homine, & hominem eſſe multa animalia. Hæc ratio ponitur ab Ariſtotele in ſexto Topicorum, quæ uſque adeo rudis eſt & fatua, ut mirer, quonam pacto unquam in ingenium humanum cadere potuerit, & quomodo tot viri, qui viderunt & legerunt, non animadverterint eam eſſe meram quandam fabulam & pluſquam anilem delirationem. In quas omnes fatuitates nulla alia de cauſa præcipitavit Ariſtoteles, niſi propter ſtultam poſitionem ſuorum illorum univerſalium, & quia putavit genera non poſſe eſſe differentias, nec contra. Quæ omnia nos ſatis ſupra refutavimus, quare hic non videntur eſſe repetenda. Sed hactenus de locis & problematibus generis, qui ab Ariſtotele traduntur in quarto Topicorum libro, nunc de locis & problematibus proprii ab eodem traditis in quinto. Quorum locorum primus eſt, ab ignotiore, ut vocant, ſic enim putat Ariſtoteles, quodlibet proprium aſſignatum, niſi ſit magis notum, quam id cui aſſignatur, non poſſe eſſe vere proprium. Quod non eſt verũ, in proprio enim requiritur, ut con-

ut conveniat vel omni & soli, ut hinnire equo, quod nos supra vocavimus, proprium privatum, vel omni licet non soli, ut bipes homini: quod proprium non quemadmodum illud superius privatum, sed inseparabile nominavimus, eodem plane modo, quo Cicero ait, voluptates esse proprias Deorum: non quia solis Deis conveniant, sed quoniam ab eis separari non possunt. *Hæc inquam in propriis requiruntur, tum privatis tum inseparabilibus, non ut ait Aristoteles, ut sint notiora, quod nescio ubi ille somniavit. Nam & gannire vulpis, & hinnire equi, sine ulla dubitatione proprium est, & tamen quis nisi mente captus dicat, gannire magis notum esse quam vulpem, & hinnire quam equum?* certe ne-

(Recte Aristoteles, nam semper propria sunt notæ rerum, igitur notiora rebus. Et qui vulpem & canem simul videt, dignoscet illam ab hoc figuræ *proprietate*; qui utrumque simul audit dignoscit hunc ab illa gannitus *differentia*. Et qui aliunde dignoscunt, dignoscent ex aliis differentiis vel propriis, ut ita tandem quo res cunque cadat, propria sint notiora.)

mo: cum plurimi reperiantur, qui fortasse & vulpem agnoscant & equum, nec tamen unquam aut vulpem gannire aut equum hinnire senserunt. Itaque primus hic Aristotelis de proprio locus, est non solum falsus, sed etiam stultus, quia continet id quod nec verum est, nec ab ullo alio dictum aut servatum. De secundo loco nihil dico, quoniam mihi magis fatuum videtur quam ut videatur serio refutandum. Ad tertium transeo ab homonymia proprii dictum, in quo dicit, sentire non esse proprium animalis, eo quod animal licet habeat sensum, non tamen eo semper utitur, & hac ratione docet destruendum esse problema de proprio. Quæ ratio prorsus est sophistica inepta & plane talis, ut si quis vellet probare aliquem non esse doctum vel divitem, quia quando dormit vel nihil agit, non utitur doctrina neque divitiis. Sed ô rudis Aristoteles, homines communiter, cum talia dicuntur, non in actu sed in potestate ea intelligunt: & sic accipiunt hominem doctum vel divitem, ut qui non solum habeat doctrinam vel divitias, sed qui & doctrina & divitiis quando vult uti potest. Eodemq; modo intelligunt animal sentire, hoc est, nō solum habere sensum, sed eo uti posse, cum scilicet vigilat neq; dormit. Quare nec in isto loco tuo videre possum quid insit veri & sani. Et hic pertranseo quartum locum, tanquam nimis ineptum & non dignum qui refutetur, ait enim de eo quod est scire hoc, non bene assignari proprium, nisi determinatur quid ipsum sit: & tamen quid sit istud scire hoc, nemo Interpretum adhuc intellexit. Albertus enim uno modo dixit, Alexander alio, & alii aliter, ut nondum constet quid sibi voluerit Aristoteles, tantum abest ut legentibus ullam pōssit afferre utilitatem. Similiter prætereo quintum locum, in quo denugatione & explicite & implicite multa Aristoteles, sed in summa ipse nihil aliud facit nisi nugatur, ut mirum sit, quid in mentem venerit illi viro, in rebus tam frivolis tempus consumere. In sexto loco, quod ab eodem vel à parte sumi videtur, nihil aliud est veri aut utilis, nisi id quod in fine dicit, proprium animalis esse, animam habere, eo quod nulli alteri commune est,

præterquam animali. Quibus verbis Aristoteles aperte refutat se ipsum, alibi confitentem arbores & herbas & alias stirpes animam habere, sed tamen non esse animalia. Nam si habere animam ita proprium est animalis, ut nulli alteri sit commune, quemadmodum ipse hic dicit, quomodo possunt stirpes, quæ ex ejus sententia non sunt animalia, habere animam? Certe ego qui id fieri possit non video, nec quomodo Aristoteles hic à repugnantia sui ipsius defendi queat: quam repugnantiam Alexander illius interpres videns, & defendere cupiens, nulla alia utitur ratione, nisi quod ait locum hunc esse mendosum, & scripturam Aristotelis corruptam, & pro eo quod est, animam habere, legendum esse, habere sensum, cum habere sensum sine ulla dubitatione proprium sit animalis. Qua in defensione Alexander more suo potius dicere voluit, id quod non erat, ut Aristotelem quo jure quave injuria à repugnantia defenderet, quam fateri id quod erat verum, hoc est, animalis proprium esse animam habere: & Aristotelem hoc in loco quasi veritate coactum verum dicere, alibi vero cum idem negat, in magno errore versari. Nam non dubium est quin ita scripserit Aristoteles, & in verbis ejus nulla sit menda, cum omnes codices tam impressi quam manu scripti, quos quidem ego vidi, ita scriptum habeant. Atque ideo nos supra in arbore nostra generica diximus, omnes stirpes vere anima carere, & habere animam animalis esse proprium, atque ad illius loci confirmationem hunc Aristotelis locum citavimus. Quod autem attinet ad exemplum quod affert Aristoteles ad explanandum hunc locum, cum ait, ut si quis scientiæ proprium diceret, opinionem quæ ratione dimoveri non potest, cum sit una, mirum est, quonam pacto istiusmodi propria Aristoteles excogitabat, quæ non dico ullus homo, sed ne bos quidem si loqueretur, auderet effutire. Quid est enim, cum sit una? quis nisi mente captus, hoc modo proprium assignaret? Sed Aristoteles ut librum magnum faceret, nihil prætermittebat, quamvis absurdum & ridiculum: ac de sexto loco hactenus.

In septimo quoq; illud est falsum, quod ait, si quis proprium ignis assignet, esse corpus tenuissimum & levissimum, id proprium non recte assignatum esse. Sed cur non recte ô Aristoteles? unum inquis est supervacuum, hoc est, aut tenuissimum aut leviss imum, eo quia ignis per alterum satis separatur à quocunq; alio, ut non sit opus alterum addere. Sed dic mihi, quis fecit hanc legem de proprio, ut necesse sit ipsum, ut dicis, à quocunque alio separare? Nam ego nego hanc legem, & dico eam non proprii sed definitionis esse propriam: debet enim definitio separare definitum à quocunq; alio, non proprium. Quanquam ne hoc quidem semper in definitione servatur: sunt enim definitiones quædam, quas Galenus vocat ὑποτυπώσεις, in quibus multa ponuntur, non discer-

discernendi nec separandi, sed essentiæ rei magis explicandæ causa. Quare cum separare ab aliis non semper sit proprium definitionis, multo minus erit proprii: & licet dicamus ignem non solum esse tenuissimum sed etiam leviſſimum, non ut eum ab alio quopiam separemus, sed ut magis explicemus ejus naturam, quæ talis est. Nam cum ignis habeat has duas proprietates, ut & tenuissimus sit & leviſſimus, cur peccat quispiã, qui ambas illi tribuat? certe ego nullã video causã ô Aristoteles, quæ te ad locũ istũ ponendũ movere debuerit. Ad octavum locum multa possent dici, sed hoc tantum dicam, non esse verum id quod ait Aristoteles, oportere proprium notius esse eo, cujus assignatur proprium. Non enim semper assumitur proprium, notius faciendi causa, sed etiam interdum ut ejus, cujus est proprium, naturam magis explicet, ut ante dixi. Quare videtur mihi Aristoteles propemodum ubiq; in his suis locis tradendis assumere aliquid, quod non est nec verum nec confessum. Nam eodẽ planè vitio laboratetiam nonus locus, in quo dicit proprii hoc esse proprium, ut subjectum faciat notius, quod non utiq; semper est verum. Nam qui dicit calere esse proprium ignis, recte ignis proprium assignat, nec facit tamen ignem magis notum: quis enim nesciebat ignem esse calidum? Sed rursus de novem primis proprii locis ab Aristotele traditis, jam satis multa sunt dicta, ex quibus judicium fieri potest etiam de aliis. Perpauci enim admodum sunt, qui non aliquid aut falsi contineant, aut certe parum sint utiles.

Nunc venio ad sextum librum Topicorum, & ad problemata definitionis, ut ostendam non magis vera in his quàm in superioribus ab Aristotele fuisse tradita. Primum enim ut omittam ea, quæ in principio libri dicit, quæ nec omnia sunt vera, nec ab ipso servata. Dico primum locum, qui ab homonymia generis sumitur, esse falsum, idq; probo non alio quam Aristotelis ipsius exemplo, ait enim generationem non recte definiri ab eo, qui dicat, eam esse ductionem ad substantiam, nec sanitatem ab eo, qui definiat eam esse comẽsurationem calidorum & frigidorum, eo quia & ductionis & commensurationis nomẽ est homonymum. At ego dico utranq; harum definitionum esse rectã ac nominũ homonymiam nihil obstare quin recte assignatæ sint, nam cum dicitur, ductio ad substantiam, licet ductionis vocabulum per se fortassis sit ambiguum, tamẽ junctum cum substantivo sequenti, omnem amittit ambiguitatem, sic ut non possit amplius sumi, nisi pro ductione ad substantiam: similiterq; cum dicitur conjuncte commensuratio frigidorum & calidorũ, tollitur omnis ambiguitas si qua est in nomine commensurationis per se sumpto, ut etiam si locus hic ab Aristotele traditus verus esse concedatur, tamen exempla, quæ ab ipso afferuntur, non possint esse ad probandum locum accommodata. Quare prorsus

inutilis est iste primus locus. Nec major ulla est utilitas aut veritas in secundo, nihil enim impedit, quo minus canis definiri recte possit, etiam si nomen ejus sit homonymum, & nulla fiat ejus distinctio. Nam per definitionem tollitur omnis ambiguitas, ut cum dicitur, exempli gratia, canis est animal terrestre latrabile, quid obstat hic quo minus hæc sit recta definitio? certe nihil. Nam & si nomen canis per se sumptum sit ambiguum, tamen in definitione positum & cum aliis junctum, statim desinit esse homonymũ: cum enim dicitur, terrestre latrabile, nullo pacto amplius nec de cælesti, nec de marino cane potest intelligi. Quocirca eadem sunt in hoc secundo loco vitia, quæ in superiore. Quod autem dicitur in tertio loco, definitionem per nomina metaphorica non recte fieri, nec ipsum omnino est verũ, cum hoc quoq; genus definitionis apud idoneos Scriptores sæpenumero factũ reperiatur. Nec ratio quam affert, cur talis definitio recta non sit, omnino est vera: ait enim omnem definitionem illustrandæ rei causa fieri, & omne quod per metaphorã dicitur obscurum esse. At ego dico metaphoram non semper obscurare definitionem, sed nonnunquam etiam illustrare, ut si quis definiturus juventam, dicat eam esse, florem ætatis, aut meridiem vitæ. Si enim definiens haud scio, an minus recte faciat quàm si diceret, juventã esse tempus vitæ medium inter adolescentiam & ætatem adultam. Sed fac definitionem per nomina propria factam esse rectiorem quàm eam, quæ per metaphoram efficitur, an propterea est damnanda & abjicienda definitio metaphorica? certe nõ: præsertim in disputatione dialectica, in qua non ad veritatẽ omnia, sed ad probabilitatẽ tantummodo referuntur, ut ipsimet Dialectici dicunt. Eademque ratione dico quartum locũ, qui est ab insuetis nominibus & ab insueto modo loquẽdi, esse si non falsum at certe inutilem & supervacuum præsertim Dialectico, qui non ad veritatem res, ut dixi, sed ad probabilitatem ponderat: præterea insuetudo nominum & modi loquendi nõ in Dialectica vitiũ est, sed in Grammatica. Quare hujusmodi errores definitionum Aristoteles non ipse corrigere debebat, sed Grammaticis, ad quorũ officium pertinent, relinquere corrigendos. Quod autem pertinet ad proprii appositionem, de quo agitur in sexto loco, non ita verum est, omne illud quo sublato definitio propria remanet, esse supervacuum, ut dicit Aristoteles: nam in definitionibus, quas vocant διαιρέσεις, multa apponuntur, quibus sublatis definitio remaneret propria, & tamen non sunt supervacanea. In ejusmodi enim definitionibus apponitur non solũ causa formalis, sed interdum etiã materialis efficiens & finalis, ut recte inquit Galenus in quarto de Differentiis pulsuum. Quamobrem & scientiæ esse susceptivum in definitione hominis, non est ita supervacuum,

ut

ut putat Aristoteles. Prætereo hic omnes sequentes definitionum locos, qui in sexto Topicorum libro ab Aristotele traditi sunt, eo quia non mihi propositum est, ut ante dixi, persequi omnia, sed tantum indicare studiosis recte philosophandi, non ita veram & utilem esse doctrinam Aristotelis topicam, ut plerique falso arbitrantur. Nam ex iis, quæ diximus de sexto hoc libro, cætera quoque iis, qui veritatem diligenter investigare volent, poterunt esse nota. Nunc à sexto libro revertor retro ad secundum, in quo Aristoteles de problematibus accidentis loquitur, & statim reprehendo primũ locũ, tanquam partim inutilem & vanum, partim etiam non ita verum. Ac inutilem quidem, quia nemo nisi mente captus & plane ignorans quid sit album & coloratum, diceret albo accidere coloratum esse. Non ita verum, quia quod ait, colorẽ esse genus albi, facile negari potest, est enim color revera genus alboris, non albi, unde dicimus non album sed alborẽ esse colorem, nisi forte quis album pro albore, & adjectivum pro substantivo accipiat. Quo in casu locutio non est propria præsertim apud latinos, sed demus locutionẽ esse propriam, & colorem esse genus albi, nunquam tamen verum erit, quod Aristoteles hic ait, Genus denominatione de nulla specie dici. Animale enim, quod est denominativum ab eo quod est animal, vere dicitur de homine, & hæc enuntiatio verissima est, homo est animalis, & tamen animale etiam denominative acceptum est genus hominis, si quidẽ homo vere est in genere animalium, hoc est, rerum habentium animam, & vivens omne tam vere dicimus esse corporeum denominative, quàm esse corpus substantive. Ex quo manifeste apparet falso Aristotelem negare, genera de suis speciebus denominative dici, & non recte dici, album esse coloratum sive alborem esse coloratum. Nam & si color genus est alboris, tamẽ etiã coloratum ejusdẽ genus sit necesse est, cum si albor non coloratus sit, impossibile sit, alborem esse colorem Quemadmodum vivens si non sit corporeum, ut sit corpus fieri non potest, & corpus si non sit substantiale, substantia nunquam esse poterit. Quocirca in primo loco Aristoteles, ut dixi, falso affirmavit genera de speciebus suis denominative prædicari non posse. In sequentibus autem locis usq; ad decimum multa etiã sunt non recta, sed quia non magni momenti sunt, ea prætereo: & ad decimum undecimumq; venio, qui sunt à genere ad speciem, & à specie ad genus. Quibus in locis, Aristoteles licet verum dicat, tamen in eo errat, quod loci à genere ad speciẽ & contra, non magis proprii sunt problematum de accidente, quàm omnium pene aliorum. Atq; ideo non recte hic fuerunt tanquam alligati, id quod ex aliis omnibus, qui locos inventionis tractaverunt, licet intelligere, & præsertim ex Cicerone in Topicis, qui utrumq; horum locorũ tradidit, & neutrum

corum

eorum ulli applicavit materiæ, id tantum ſervans, ut eorum exempla tradat in materia juridica, quia ſcribebat ad Trebatium Juriſconſultum. Sic enim tradendi ſunt & hi & alii omnes loci communes, hoc eſt, libere & ſolute, ut ad omnẽ materiã argumẽtando poſſint accõmodari, modo ea id patiatur, & propter hãc causã appellati fuerũt cõmunes. Atq; ita faciunt Rhetores, apud quos videre licet & locos proprios cujuſcunq; ſtatus & communes omniũ ſtatuũ, ut hi quos dixi, & alii quos diſerte recenſet, & Rodulphus Agricola in libris de Dialectica Inventione, & Georgius Trapezuntius in tertio Rhetoricorum. Quamobrem iterum dico vehemẽter erraſſe Ariſtotelem, qui locos communes certis quibuſdam materiis aſſignavit, ad problemata alios de accidente, alios de genere, alios de definitione applicans: & eo magis peccaſſe, quoniam ut ſupra dixi, nullum poteſt eſſe problema neq; de proprio, neq; de accidenti, neq; de definitione, quin idem etiam ſit de genere: cum neceſſe ſit, omnia de quibus dubitatur & quæritur & fit quæſtio, eſſe vel aliquod genus vel in aliquo genere vel eſſentiali vel accidentali: ſed de hoc ſupra ſatis. Nec diſſimiles his duobus locis ferè ſunt alii ſequentes hujus ſecundi libri uſq; ad finem. Ferme enim omnes peccant vel in eo, quod falſi aliquid continent, vel in eo, quod ſunt inutiles, vel in eo, quod & ſi veri & utiles ſunt, tamen ita confuſe & obſcure traduntur, ut ſæpenumero propoſito aliquo problemate neſcias ad quodnam caput pertineat, & utrum de accidenti, an de genere, an de quopiam alio ſit. Verbi gratia ſi proponatur, utrum divitiæ ſint bonæ an non, & utrum Dii ſint an non. Alexander dicit hæc eſſe problemata de accidente, Perionius autem non de accidente ſed de genere eſſe contendit. Nec in his ſolum, ſed in multis aliis tanta eſt confuſio & obſcuritas, ut nec ab Interpretibus ipſis intelligantur, id quod patet ex eo quod non paucis in locis, Albertus unum dicit, Adenolphus aliud, Alexander aliud, Auguſtinus Sueſſanus Alexandrum fere ſequens, tamen in multis ab eo diſſentit atque etiam illius opiniones ſæpenumero refutat. Vel ſi non obſcure traduntur, tamen aut exempla falſa ſunt aut non accommodata, de quibus omnibus in præſentia dicere ſuperſedeo, quia de his abunde ſcripturus ſum in libro ad hanc unam rem deſtinato, ſi mihi vita ſuppeditarit. Illud tamen admonitum volo, compluribus in locis nõ recte fieri nec ab Ariſtotele, qui ad confirmãdos locos ſæpenumero affert exẽpla falſa, nec ab Interpretibus, qui Ariſtotelem excuſantes ajunt, ut eorum verbis utar, exempla dari, non ut ita ſit, ſed ut ita ſentiant auditores, *& exemplorum expoſitionem requiri non veriſicationem*. At ego contra dico, in aliquibus fortaſſis hoc verum eſſe poſſe, ſed in locis tradendis non ſolum locos ſed etiam locorum exempla oportere eſſe vera. Nam aut locorum illorũ exempla

vera

vera reperiuntur, aut non: & si reperiuntur, cur non potius traduntur vera quam falsa? si non reperiuntur, quorsum mihi opus est loco, cujus nullum extet vel non reperiatur exemplum? At enim inquiunt, exempla nonnunquam non reperiuntur ita accommodata, quare necesse est uti falsis. At ego rursus contra dico, si loci veri sunt, exempla quoque reperiri vera: & si non reperiuntur, signum id maximum esse, locum non esse nec verum nec utilem. Et propterea non recte excusatur Aristoteles ab interpretibus, qui ad explanandos locos suos exempla falsa protulerit. Credendum enim est eum, si vera exempla habuisset, potius veris quam falsis fuisse usurum. Atque hactenus breviter percucurrimus particulatim aliquot locos problematum, partim de genere, partim de proprio, partim de definitione, partim de accidente: ut doceremus in eis multa esse partim falsa partim inutilia, & ostenderemus istos Topicorum libros non tam veros & utiles esse, quam pleriq; existimant: quod à nobis arbitror non obscure nec indiligenter fuisse factum Nunc pauca dicã in universum de tota Aristotelis doctrina topica, quam ego & si sine ulla dubitatione pronuntio maxima ex parte esse falsam, ut apparuit cum ex paucis illis locis, quos supra refutavi, tum ex iis, quæ inter initia hujus capitis dixi: tamen etiam si esset vera, adhuc contendo & constanter affirmo istam artem eo modo, quo ab Aristotele traditur, & ad id, in quo illam esse utilem testatur, non posse esse utilem. Ait enim ad tria utilitatem præstare, ad exercitationes ad congressus, ad philosophiæ scientiam: sed quæro primum, quomodo ad exercitationes potest esse ut his ista doctrina? quæ maxima ex parte est, ut dixi, vel falsa, quia non docet verum, vel inutilis, quia magna pars problematum illorum, quæ ab Aristotele proponuntur, nunquam veniunt in usum: vel obscura sic ut sæpe nec ab Interpretibus ipsis intelligatur. Deinde quæro ad quas exercitationes, an ad rhetoricas meditationes? nihil minus: nemo enim est, ut recte inquit Ludovicus Vives in tertio de corruptis artibus libro, qui quantũlibet diligenter lectis istis Aristotelicis topicis sentiat se adeptum aliquam magni momenti facultatem ad vere copioseq; disserendum. Quod nõ tam idcirco evenit, quod non multa sint in eis vera & utilia, quam quod sunt obscure, perverse, & sine ullo recto aut vero ordine tradita. Nam ordo ille problematum quadripartitus, quam sit rectus & verus, ex iis, quæ supra dixi, satis patuit. Quod si non ad exercitationes rhetoricas utilis est ista doctrina, an forte ad alias quasdam? hoc est, aut ad disputandum in circulis, quos vocant, aut ad philosophicarum rerum veritatem investigandam? multo etiam minus. Nam quod ad circulos disputatorios attinet, hi qui nostra ætate fiunt longe sunt diversi ab illis, qui antiquitus fieri solebant. In his enim nihil

interrogantes Adversarium proponunt eas, quas vocant, conclusiones: & alteram tantummodo problematis partem eam, quam volunt, ipsi defendendam sumunt, respondentes ad ea, quæ Adversarius opponit. At illi non sic faciebant, sed ante omnia quærebant ab Adversario, utram problematis partem putaret esse veram, & quam ille respondebat, sibi veram videri, adversus eam differebant, ut constat partim ex Dialogis Platonis, in quibus solis veræ disputationes dialecticæ continentur expressæ, partim ex octavo libro Topicorum Aristotelis, in quo & interrogandi Adversarium, & respondendi præcepta, & quæcunque tam à respondente quam ab interrogante in dialectica exercitatione facienda sunt, minutatim traduntur. Quare nec ad disputationes publicas nostrorum temporum multum proficit hæc dialectica præceptio, cum sit ab ea, ut dixi, longe diversa. Ad philosophicam vero investigationem veritatis quantum afferat adjumenti, id etiam sine alia ratione vel maxime cognosci potest ex libris Dialecticorum: in quibus, ut supra demonstratum est, pene tot sunt errata quot verba. Cum inquam talis sit, ut paulo ante dixi, & toto hoc capite ostendi, doctrina hæc Aristotelis topica, etiam atque etiam hortor studiosos philosophiæ candidatos, ut doctrinam inveniendorũ argumentorũ à Cicerone potius, cæterisque Rhetoribus discant, quam ab Aristotele & Dialecticis: & si tamen Aristotelem legere volunt, ut caute & cum judicio legant, ne falsis, quæ ab eo dicuntur, magis lædantur, quam adjuventur veris.

Loci communes inveniendorum argumentorum, ex Trapezuntio.

A genere, hoc est, à toto discreto.
A specie, hoc est, à parte discreta.
A toto continuo.
A parte continua.
A definitione.
A causa efficiente.
materiali.
formali.
finali.
Ab effectibus.
Ab usibus.
A generatione.
A corruptione.
Ab adjunctis.
A re judicata.
Ab exemplo.
A contrario.
A simili.
A majori.
A minori.
A pari.
A proportione.
Ab oppositis,
contrarie.
contradictorie.
relative.
privative.
A transsumptione.
A conjugatis.
A casibus.
A divisione.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

De utilibus & veris argumentationibus, deque utili & vero earum usu: contra inutilem & vanam Aristotelis de eisdem rebus doctrinam, traditam in libris priorum Analyticorum.

QUanvis in Organo Aristotelis græco, hoc est, in instrumento illo totius dialecticæ facultatis, tantopere ab imperitis celebrato, liber Priorum Analyticorum, in quo de argumentationibus agitur, præpositus sit libro Topicorum, in quo Aristoteles de locis argumentorum inveniendorum differit: tamen quoniam natura prius est argumentum invenire, quàm inventum explicare: nemo enim explicat, quod nondum invenit. Idcirco nos in tradendis veris principiis & falsis refutandis, *existimavimus nobis prius loquendum esse de argumentis, & de libro Topicorum, quod in superiore capite factum est. Deinde de argumentationibus & de libro Priorum Analyticorum*, id quod in præsentia facere aggredimur. De argumentationibus igitur tam oratoriis quàm philosophicis, earumq; usu quatuor hæc in primis ab omnibus iis, qui recte philosophari cupiunt, putamus esse cognoscenda: Quantus nam earũ numerus sit statuendus, quæ sint veræ & quæ non veræ argumentationes, quibus conveniant & ad quos pertineant singula argumentationum genera, & deniq; quis modus in eis tradendis usurpandisq; sit tenendus. His enim quatuor cognitis liquido apparebit Rhetores de argumentationibus earumq; usu multo rectius & cõmodius præcepisse, quã Dialecticos & Pseudophilosophos: atq; ideo illos multo magis quam hos, hac in re sequendos. Argumentationem autem hoc in loco intelligi volumus, non prout est idem, quod argumentum, sed ut ab argumento distinguitur: atq; ut argumentatio est argumenti per orationem explicatio, sive modus quidam explicandi argumentum per orationem. Argumentum vero ratio rei dubiæ faciens fidem, sive ut Cicero definit, inventum ex aliquo genere rem aliquam aut probabiliter ostendens aut necessariæ demonstrans. Qua distinctione sic præposita nunc primo, *quod ad numerum argumentationum attinet, nos eas in summa decem has esse statuimus: complexionem sive dilemma, enumerationem, simplicem conclusionem, subjectionem, summissionem, oppositionem, violationem, inductionem, collectionem, ratiocinationem sive syllogismum:* quo nomine jam fere omnes pro latino utuntur. Quas decem argumentationum

formas, tradit partim Author ad Herennium in secundo, partim Cicero in primo de Inventione, partim post omnes alios Georgius Trapezuntius in tertio Rhetoricorum suorum: sic illustrans eas clarissimis accommodatissimisq; exemplis, ut neq; plura neque pauciora de iis dicenda fuisse videantur. Quare qui formas omnes & modos argumentationum tã philosophicarum quã oratoriarum videre ac discere cupit, is ad eos, quos dixi, confugiat Authores. Mihi tantummodo principia philosophandi vera indicare, & falsa refutare, propositum est. Hæc igitur nos una cum iis authoribus, quos dixi, de vero argumẽtationum tam philosophicarum quam oratoriarũ numero statuimus. Aristoteles vero & una cum Aristotele Peripatetici omnes quatuor tantummodo argumentationum genera ponunt: Syllogismum, inductionem, enthymema, & exemplum: & enthymema imperfectũ syllogismum, exemplum vero imperfectam inductionem vocant. Qui quidem Aristotelicus & Peripateticus argumentationũ numerus, tanto diminutior & imperfectior est nostro & oratorio, quanto quaternarius numerus est minor denario, & quãto quatuor homines pauciores sunt quam decem. At enim inquiunt Pseudophilosophi, Aristoteles has tantum quatuor posuit argumentationes, quoniam reliquæ omnes quæcunque fieri possunt, ad quatuor has, tanquam imperfectiores ad magis perfectas necessario reducuntur. Et quoniam his cognitis aliæ omnes non difficulter cognosci possunt, sic ut non necesse fuerit eas singillatim recẽsere, aut quomodo fiant referre. Sic inquam Pseudophilosophi imperfectionẽ numeri argumentationum ab Aristotele positarum excusant, sed nihil valet hæc excusatio, quia si vera esset, eadem ratione debebat etiam prætermittere enthymema & exemplum, cum ut ipsemet inquit & illi non negant, enthymema ad syllogismum, & exemplum ad inductionem, tanquam imperfectiora ad magis perfecta reducantur. Atque ita patet, si vera est ista Pseudophilosophorum excusatio, qua ratione enthymema & exemplum inter argumentationes ab Aristotele numerata fuerunt, eadẽ etiã reliquas argumentationes à nobis supra cõmemoratas numerari debuisse, præsertimq; dilemma & antitheton, quæ sunt non solum exornationes, ut recte inquit Trapezuntius, sed etiam argumentationes apud Scriptores tam græcos quam latinos frequẽtes. quod autem spectat ad id, quod secundo loco propositum fuit, nos veras argumentationes esse affirmamus omnes illas decẽ, quas supra commemoravimus, partim ex Authore ad Herennium, partim ex Cicerone, partim ex Trapezuntio desumptas. Nam cum *argumentatio ut differt ab argumento*, communiter, tam à Rhetoribus, quam à Dialecticis, & aliis definiatur, ut supra dixi, esse *argumenti per orationem explicatio*, sive modus quidam explicandi

candi argumentum, ſine dubio omnes illæ, quas ſupra commemoravi, ſunt explicationes quædam argumentorum per orationem. Sic ut quemadmodum una eadēq; cera multis ſæpe & variis informatur imaginibus, ita unum idemq; argumentum pluribus interdum & diverſis argumentationibus explicetur, & quaſi transformetur. Ut apertiſſime docet Georgius Trapezuntius in tertio Rhetoricorū, ubi clariſſimis exemplis monſtrat ac docet quonam pacto tum enumeratio in ſubjectionē, tum ſubjecto in enumerationē, tum etiam cæteræ argumentationes in alias quaſdam mutuo convertantur. Has inquam nos decem affirmamus eſſe veras & proprias, tam Philoſophorum quam Oratorum argumentationes, ab utriſque ſine ulla differentia communiter uſurpandas, cum videlicet & materia, qua de agitur, & eloquendi ratio id poſtulat. At vero ex quatuor illis, quas Ariſtoteles ſtatuit, duas tantum priores fatemur eſſe veras, & ab aliis ſeparatas argumentationum formas, id eſt, ſyllogiſmum & inductionem, quas nos quoq; ſupra commemoravimus inter argumentationes noſtras & veras. Reliquas vero duas poſteriores, hoc eſt, *enthymema & exemplum, plane affirmamus aut non eſſe argumentationes, ſed argumenta:* aut ſi ſunt argumentationes, tamen non per ſe nec ab aliis eſſe diſcretas, ſed aliarum una aliqua ſemper explicari. Loquendo ſemper, ut ante dixi, de argumentatione, ut diſtinguitur ab argumento. Nam Ariſtoteles tametſi diverſis in libris de argumentationibus & argumentis loqui videatur, tamen nullo in loco aperte diſtinguit argumentationem ab argumento, ſed de utroque ſimul ubiq; loquitur, perinde ac ſi idem eſſent. Quo factum eſt, ut non ſolum non potuerit verum argumentationum numerum tradere, ſed etiam ut veris argumentationibus docendis vehementer erraverit. Enthymemata enim & exempla, ut ante dixi non argumentationes ſed argumenta ſunt: nam ſi argumenta vere definiuntur, eſſe non explicationes argumentorum, ſed rationes quibus res dubiæ probantur: & tam enthymematibus quam exemplis res dubiæ probari ſolent: quis dubitare poteſt, quin enthymemata & exempla non argumētationes ſint ſed argumēta? certe nemo, niſi Dialecticus, hoc eſt veritatis plane inimicus. Ad hæc enthymemata & exempla non in argumentationibus, ſed in argumentis eſſe numeranda, id magnum etiam eſt indicium, quod utrunq; aliis multis & variis argumentationibus explicatur, *nec rationi conſentaneum videtur, ut una eademque argumentatio aliis explicetur argumentationibus.* (cur ita?) Tam enthymemata autem quam exempla multis & variis explicari argumentationibus, teſtis eſt ipſemet Ariſtoteles in ſecundo Rhetorices, ubi de enthymematum locis diſſerit, explicat enim enthymemata ibi per argumentationes varias, hoc eſt, enthymema à contrario per ſimplicem

conclusionem, hoc modo: Si malorum causa bellum est, erit emendatio pax. Enthymema ab inductione per inductionē, hoc modo, Omnes populi colunt sapientes, nā Parii Archilochū honorarunt, Chii Homerum, Lacedemonii Chilonem, Italici Pythagoram, Lampasceni Anaxagoram, Athenienses Solonem. Enthymema à consequentibus contrariis per complexionē sive dilemma, hoc modo: Sacerdos quædam filio sua debat ne Orator fieret, si enim inquiebat, justa dixeris, homines te oderunt, si injusta, Dii. Enthymema ab enumeratione partium, aut per enumerationē, hoc modo: Si anima est motus, necessario est aut generatio aut corruptio, aut auctio aut diminutio, aut alteratio aut loci commutatio: tot enim & non plures nec pauciores sunt motus, sed anima nihil horum est, ergo anima motus esse non potest: aut per subjectionē, hoc modo, Si anima est motus, quæro utrū generatio vel corruptio? minime: utrū auctio vel diminutio? multo minus: utrum tandem alteratio vel loci mutatio? multo etiam minus: Quod si in nullo horum sex motuum anima est, certe in nullo motu esse potest. Eodēq; modo multa alia enthymemata per alias quasdam argumentationes subinde explicantur. Similiterq; exempla ipsa quoque expoliuntur multis & variis argumentationibus, nunc per syllogismum, hoc modo: Quæcunq; à majoribus nostris facta sunt, ea nos decet imitari, sed majores nostri sæpe multa pro utilitate Reip. innovarunt, ergo nos quoq; aliquid innovare vereri non debemus. Nunc per antitheton, hoc modo, Si majores nostri nihil unquā innovassent, ego quoq; nobis nihil innovandum censerem, sed cum illos multa innovasse non ignoraremus, quid est quod nos quoq; innovare aliquid tansopere vereamur? Nunc per simplicem conclusionem, hoc modo, Si majores nostri multa innovare non dubitarunt, quid est per Deos immortales quod nos ab innovando tantopere absterrere debeat? Possem huc afferre multas quoq; alias tam enthymematū quàm exemplorum explicationes diversis argumentationibus factas, sed his quæ dictæ sunt, partim ab Aristotele ipso, partim à communi omniū argumentandi more acceptis, satis intelligi arbitror, enthymemata & exempla esse non argumentationes veras, sed inventa & argumenta vera, quæ assumuntur ad probandum aliquid, atq; ideo variis subinde argumentationibus explicantur & expoliuntur. Quod nisi ita esset, quonam pacto quæso tam varias tamq; diversas reciperent argumentationū explicationes atque expolitiones? nulla enim ratione videtur probari posse, ut aliæ argumentationes aliis argumentationibus explicari & expoliri queant. At enim inquiunt, enthymema vocabulum est græcum, & apud Græcos tribus modis accipi solet: uno modo pro omni sententia, sive materia, sive argumento ad probandum aliquid accommodato, alio modo pro argumento

tantum

tantum ex contrariis & repugnantibus, & his duobus modis cùm enthymema idem sit quod argumentum, non mirum esse ajunt, si pluribus interdum argumentationibus explicatur. At vero tertio modo acceptum pro argumentatione rhetorica, ut ipsi dicunt, ex duabus tantum partibus constante, ut ab exemplo distinguitur, nullo pacto tales recipit argumentationum varietates. Sic inquã mihi respondent Dialectici distinguendo enthymema, & ejus tres modos faciendo, ut diximus. Quibus ego quoque vicissim respondeo, duos illos priores enthymematis modos, quos dicunt, esse veros & agnitos, non solum apud Latinos à Cicerone in Topicis & à Trapezuntio in Rhetoricis suis, sed etiam apud Græcos ab Authore illo, qui scripsit Rhetoricam ad Alexandrum, & ab Hermogene περὶ ἑυρέσεων Sed tertium illum quem ajunt esse argumentationem oratoriam, ex duabus propositionibus constantem & ab exemplo distinctam, prorsus negamus esse verum: Cum nec Aristoteles aperte ullo in loco tradiderit ullum talem enthymematis modũ, nec si tradidisset, id fecisset recte. Is enim secundo Rhetorices libro duo capita fecit, unum de exemplo alterum de enthymemate, ejusq; locis, & ita ibi distinguit exempla ab enthymematibus, ut argumenta ab argumentis, non ut argumentationes ab argumentationibus. Nam cum speciem exempli faciat rem gestam præteritam, similitudinem & Apologum, quis tam insipiens est, ut dicat istas argumentationes esse non argumenta? Similiter enthymematis species, cum dicat esse, similes casus, consequentia, repugnantia, definitiones, majora, paria, & alia multa similia, quis rursus tam demens sit, ut ista inter argumentationes, non inter argumenta putat esse numeranda? certe nemo. Quare fateor quidem

(Argumenta ab argumentationibus differunt ut res à vocibus.)

exempla ab enthymematibus ab Aristotele distincta fuisse: *sed ut argumenta & res ad probandum accommodatæ, non ut argumentationes & explicationes argumentorum.* Quanquam non nego Aristotelem fortasse vocabulis exempli & enthymematis, intellexisse non solum res ad probandũ accommodatas, sed etiam certam quandam explicandi argumenti formam, sed eam formam, dico & contendo ab Aristotele nullo in loco aperte unquam fuisse explicatam. Quam ob causam, ut refert Rodulphus Agricola in secundo de dialectica Inventione Cap. XIV. sunt qui putent Aristotelem non discreviſſe forma argumentandi à ratiocinatione enthymema', sed certo tantum rerum genere enthymema constare voluisse. Quorum sententiam usq; adeo probat Phrysemius Rodulphi Interpres, ut validis acribusq; argumentis eo in loco disputet contra eos, qui contrariam sententiam sequuntur. Ego vero & illorum ipsorum, & Phrysemii opiuionem tãquam verissimam confirmans, ad eam quoq; addo, exemplum ex Aristotelis opinione non tam argumentationis forma, quam

materia

materia ab enthymemate differre. Sed fac Aristotelem distinxisse exemplum ab enthymemate non solum materia & rerum genere, sed etiam argumentatione & explicandi argumēti ratione, dico illū non recte fecisse: propterea quod, ut supra dixi, utrunque illorum aliis quibusdam argumentationibus identidem explicatur, quod videretur esse absurdissimum. Sed ut redeam unde discessi, dico Aristotelem vehementer errasse, qui nullo in loco satis aperte distinxerit argumentationes ab argumentis, sed de utrisq; simul confuse locutus fuerit. Rhetores vero multo rectius fecisse, qui ut supra dixi, argumentationes ab argumentis diligenter separant, & de utrisque diversa capita faciunt, ut & apud Authorem ad Herennium in secundo, & apud Ciceronem in primo de Inventione, & apud Trapezuntium in tertio Rhetoricorum, licet videre. Atque ita patet verum esse id quod in secundo loco dixi, enthymema & exemplum non veras argumentationū formas, sed inventa & argumenta vera esse, & propterea inter argumentationes ab Aristotele non recte fuisse numerata. Neque solum in hoc ab eo erratum fuit, sed etiam in eo quod, quæ veræ & germanæ erant argumentationum formæ, hoc est, quas nos supra diximus, eas non recensuit, nec numeravit inter argumentationes. Et ita dupliciter peccavit, adnumerando scilicet, quod non erat adnumerandum, & prætermittendo quod non erat prætermittendum. Quibus autem conveniant, & ad quos pertineant singula argumentationum genera, quod tertio loco antepposuimus, nos & si antea quoq; hac de re non solum nostram, sed etiam Rodulphi Agricolæ & Phrysemii ejus Interpretis sententiam aperuimus, tamen etiam hic, qui locus est hujusce rei proprius, una cum eisdem adversus Aristotelem & omnes pseudophilosophos repetimus & inculcamus, omnes argumentationum formas omnium tam oratorū quam philosophorum aliorumq; Scriptorum, sine ulla differentia communes esse, & nullius omnino vel scriptoris vel authoris proprias, sic ut non quilibet alius, quotiescunq; earū usus venerit, ipsas usurpare tanquam suas & proprias queat. Atque hæc est nostra & Rodulphi Agricolæ & Phrysemii illius Interpretis, de argumentationum pertinentia opinio. Quod autem Aristoteles scribit syllogismum & inductionem philosophorum, enthymema autem & exemplum oratorum argumentationes esse proprias, id est falsissimum: cum syllogismus & inductio sint argumentationes non minus oratorum propriæ, quam philosophorum: & enthymema atque exemplum, si modo argumentationes non argumenta sunt, non magis ad oratorem quam ad philosophum esse pertinentes. Quorum utrunq; re ipsa videmus esse verum: nanque & oratores in scriptis & orationibus suis sæpenumero, cum opus est, utuntur syllogismis & inductionibus, si nō nudis,

& ut

& ut ita dicã, exanguibus, ut Dialectici ſolent, at certe, ut inquit Valla in proœmio ſecundi libri Dialecticæ ſuæ, veſtitis ornatiſq; auro & purpura gemmiſq;. Philoſophi autem contra non ſolum ſyllogiſmos & inductiones, ſed etiam enthymemata & exempla uſurpant, & multo quidem frequentius. Nam lege totum Platonem, totum Ariſtotelem, fere nunquam in totis eorum ſcriptis ullum ſyllogiſmum in figura & modo figurę perfectum invenias. Sed ferme ſemper enthymemata bipartita more dialectico conformata, ut valde mirum ſit, quid Ariſtoteli venerit in mentem, de argumentationũ cõformatione & pertinentia, aliter præcipiendo & docendo, aliter ſcribendo & uſurpando videri ſentire, ut ſibi ipſe adverſarius eſſe, & ſua ipſius verba contrariis factis reſcindere voluiſſe videatur. Præterea lege omnes Ciceronis de philoſophia libros, totum contrarium videbis obſervatum, hoc eſt, rariſſime illum ſyllogiſmis & inductionibus, ſæpiſſime autem enthymematibus & exemplis uti. Et poſtremo illud ſuperat omnem admirationem, quomodo potuit Ariſtoteles dicere ſyllogiſmum & inductionẽ philoſophi, enthymema & exemplum oratoris argumentationes eſſe proprias, cum Rhetores ipſi dicendi præceptores prorſus contrarium & ſentiant & dicant. Nam & Cicero in primo de Inventione, & Trapezuntius in tertio Rhetoricorum, ſyllogiſmum & inductionem tanquam proprias argumentationes oratori tribuunt, exempli autem & enthymematis ut de argumentationibus oratoriis, nullam omnino faciunt mentionem. Sicq; Ariſtoteles hoc item in loco dupliciter peccavit, attribuendo ſcilicet oratoribus eas argumentationes, quas ipſi non agnoſcunt, & adimendo eis illas quas ſibi tanquam ſuas & proprias vendicant. Atque hæc ſimiliter eſt Ariſtotelis & Pſeudophiloſophorum de pertinentia argumentationum ſententia, quã facile unuſquilibet vel mediocriter doctus intelligere poteſt eſſe falſiſſimam, cum in rebus oratoriis prorſus diſcordet à ſententia maximorum oratorum, & dicat contra experientiam, hoc eſt, contra id quod quotidie omnes re ipſa videmus uſurpatum. Sed ex quatuor partibus antea propoſitis in argumentationum doctrina cognoſcendis, tres jam abſolvimus, reſtat quarta, nempe quis modus in eis tradendis uſurpandiſque ſit tenendus. Qua in parte rurſus dico & affirmo, multo rectius utiliuſque factum eſſe à Rhetoribus, quam à Dialecticis. Rhetores enim ut Author ad Herennium in ſecundo, & M. Cicero in primo de Inventione, & Quintilianus in quinto, & denique Georgius Trapezuntius in tertio Rhetoricorum, breviter & expedite ſcribunt de argumentationibus tradendo in primis verum earum numerum. Quanquam Trapezuntius ad eas quas invenit à ſuperioribus traditas, aliquot adjecit. Deinde oſtendendo ex quibus partibus una quæq; argumentatio conſtet, & quibus modis una quæq;

pars vel recta ſit vel vitioſa. Atque hinc capita illa, de vitioſa expoſitione, de vitioſa ratione, de vitioſa confirmatione rationis, de vitioſa exornatione, de complexione ſive concluſione varia, partim per conductionem, partim per id quod conficitur, partim per id quod ſequitur: & ad extremum quot modis contingit non rectam facere concluſionem. Hæc inquam Rhetores & multa alia ſimilia de argumentationibus ſcribentes, & ſingulis ſcriptis clara & accommodata exempla ſubjicientes, ita breviter, ut dixi, & expedite docent facere & factas reprehendere argumentationes, ut neq; plura quam oporteat, neq; pauciora dixiſſe videantur. Ariſtoteles vero & Dialectici omnes ejus ſectatores, in hac ipſa re vehementer erraſſe reperiuntur. Peccant enim primo quoniam in tradendis & docendis argumentationibus, nec modum ullum, nec menſuram ſervant, proponentes ante omnia tres figuras ſyllogiſmorum primam, ſecundam, & tertiam. Quibus tamen Galenus, tanquam numerus figurarum eſſet diminutus, & Philoſophiæ ſtudioſi parum laborarent in perdiſcendis tribus figuris, ipſe quoque addidit quartam, ut non tres ſed quatuor eſſent ſyllogiſmorum figuræ. Non ſolum inquam proponentes tot figuras ſyllogiſmorum, ſed etiam ſubjicientes unicuiq; figuræ multos & varios modos, partim directe concludentes, partim indirecte, partim de ineſſe ut ipſi vocant, partim modales, hoc eſt, de neceſſario, de contingenti, de poſſibili, de impoſſibili, de vero & falſo: partim deniq; mixtis omnibus his inter ſe, partim non

(Modos in univerſum bonos & malos §12. ſtatuit *Ioh. Heſpinianus* libro peculiari.)

mixtis. *Vt omnes modi ſimul collecti tam aſyllogiſti quam ſyllogiſtici, quemadmodum ait Nicephorus, aſcendant ad ſummam myriadum triginta trium & amplius.* Ad quos quidem modos perdiſcendos ne vitæ quidem multæ, opinor, forent ſatis, etiam ſi eſſent longiores quam Mathuſalemicæ. Ut omittam interim capita bene longa de converſionibus propoſitionum, nō ſolum abſolutarum ſed etiam modalium: de ſyllogiſmis tam abſolutis quam non abſolutis in omni figura, & plurimis aliis rebus hujuſmodi non ſolum inutilibus ſed etiā damnoſis & noxiis. Si quidem philoſophiæ ſtudioſi, dum in ambagioſis iſtis, & perplexis nugamentis legendis occupantur, plane amittunt & prodigunt tempus, quod melioribus rebus erat impendendum. Quæ tamen omnia facile fortaſſis ferri poſſent, quamvis immodica & inutilia: ſi tamen eſſent aperta & clara, ita ut ſine labore vel ſaltem cum non multa difficultate intelligi poſſent. Sed Ariſtoteles ad immenſam rerum inutilium multitudinem, inſuper etiam addidit obſcuritatem & tenebras exemplorum. Non enim exemplis utitur explanantibus & illuſtrantibus, ſed characteribus & notis literarum, quæ rem per ſe obſcuram, multo etiam obſcuriorē reddunt: perinde quaſi mathematica aliqua theorenata aut problemata tractaret, quæ nullo pacto aliter intelligi poſſent.

possent. Si enim, inquit, a contingit nulli b, b autem contingit alicui c inesse, necesse est contingere alicui c non inesse: & plurima alia hujusmodi, multum quidem artificii & diligentiæ præferentia, sed inutilia & vana planeq; similia telis aranearum, vel potius artificio illius, qui ut Quintilianus refert, grana ciceris ex spatio distante in foramen acus identidem inserebat, atq; ideo à Cæsare Augusto jure optimo donatus fuit modio illius leguminis. Sic igitur in tradendis argumentationibus peccavit Aristoteles, & valde reprehendendus est, quia tradidit eas vel nimis immodice, vel nimis inutiliter, vel deniq; nimis obscure. In usurpandis vero eisdem argumentationibus, non ita quidem peccavit, propterea quod, quæ præcepit de argumentationibus tanquam aliis utenda, ipse tamen nullo in loco videtur usus. In libris enim ejus nunquam legas, nego majorem, nego minorē, nego consequentiam: probo majorē, probo minorem, probo consequentiam, & alia plurima hujusmodi, quibus plena sunt ingentia barbarorum Dialecticorum & Philosophastrorum volumina: sed tamen reprehensione non caret, eo quia præcepit aliis ea, quibus ipse nūquam tamen uti voluit, & ita præcipiendo posteris dedit occasionem utendi & peccandi. At posteriores Dialectici, qui præcepta illa de argumentationibus ab Aristotele tradita non solū in circulis & publicis disputationibus, sed etiam si Diis placet, in scriptis & libris usurpare cœperunt, ex una parte quidem videntur excusandi, quod ea usurparunt, quæ ab antiquis invenerunt tradita, sed ex alia parte non solum reprehendendi sunt, verum etiam ridendi, quod in tam multis seculis, & in tanta multitudine, nemo eorum unquam vidit, nec animadvertit, in istis Aristotelicis præceptionum de argumētando formulis tam multis, tam superstitiosis, tam obscuris, vel nihil vel parum admodum esse utilitatis. Id quod vel maxime licet intelligere partim ex Cicerone cæterisq; Rhetoribus, qui & de argumentis & de argumentationibus scribentes, & tot pulcherrimma utilissimaq; præcepta tradentes, nullo tamen in loco quicquā unquam præceperunt de figuris syllogismorum, aut de modis earum, ut facit Aristoteles: partim ex Demosthene, Isocrate, cæterisq; Oratoribus, qui vel ante Aristotelem vel Aristotelis ætate fuerunt, cum nondum ars ista argumētandi prioristica erat inventa, qui tamen sine ullis istiusmodi argumentationū formulis ita copiose, ita vehementer, ita subtiliter disseruerunt, ut post eos, hoc est, postquā inventa est ista tam præclara argumentandi ars, nemo unquā neq; copiam, neq; vehementiā, neq; subtilitatem illorum potuerit imitari, ne dum æquare aut superare. Ex quo rursus licet intelligere argumentandi peritiam, saltem, quod ad figuram & modum argumentationis attinet, magis innata quadam ingenii bonitate, & naturali mentis acumine constare, quā ullis

Dialecticorum præceptionibus, ut non possit Aristoteles nõ vehementer esse reprehendendus, qui rem suam sponte non admodum difficilem, præceptorũ nimia multitudine & ambagiosa quadam obscuritate, difficillimam laboriosissimamque reddiderit. Et si quispiam forte adhuc perseverat credere & affirmare doctrinam istam Aristotelis prioristicam, esse tam utilem & necessariam ad recte argumentandum, & ad veritatem investigandam, ut hactenus pene ab omnibus temere creditum fuit, is mihi quæso dicat & reddat rationẽ, cur non solum Dialectici Aristotelis sectatores, sed etiã Aristoteles ipse & artis istius inventor & Archidialecticus, subinde deprehendatur cadere & præcipitare in tot ac tam fœda errata, quot à nobis supra fuerunt deducta & refutata. Quod si mihi hujus, quam dico, rei causam aut rationem ullam probabilem reddere sciverit, non recuso neque causam ullam dico, quin omnes judicent Aristotelem omnia recte & utiliter præcepisse, me vero nihil nisi perverse ac temere sensisse. Sed ut ad rem redeam & semel finiam, dico & concludo Aristotelem in modo & mensura tradendarum argumentationum vehementer errasse, ut diximus: Dialecticos autem posteriores illius sectatores, non solum in hoc peccasse, sed etiam in eo quod quæ Aristoteles usurpare noluit, ipsi non veriti sunt passim in usum adducere, & libros identidem refercire negationibus majorum, minorum, consequentiarum, probationibus antecedentium, consequentium, & aliis similibus nugamentis, quæ prorsus sunt dissimilia & plane contraria modo scribendi ac disputandi antiquorum. Atq; ita patet Aristotelem, & cum eo omnes Dialecticos & Pseudophilosophos vehementer errasse, partim in assignando numero argumentationum, partim in veris argumentationibus prætermittendis & in non veris tradendis, partim in assignandis argumentationum generibus iis ad quos non pertinent, & iis ad quos pertinent adimendis, partim postremo in modo tradendi & usurpandi argumentationũ formulas. Rhetores autem hæc omnia rectius, verius, clarius, moderatiusq; fecisse, ut nemo recte philosophãdi studiosus dubitare debebat, quin doctrina tam docendarum quam usurpandarum argumentationum, non à Dialecticis nec à Pseudophilosophis, sed à Rhetoribus & Oratoribus cæteriſq; probatis Scriptoribus sit petenda. Apud hos enim non solum vera argumenta, sed etiã veræ argumentationes traditæ & usurpatæ reperiuntur. Ac de argumentationibus satis, in quibus nihil dixi de eo quod est, dici de omni & dici de nullo: quibus duabus, tanquam columnis, Dialectici falso existimant fulciri omnes syllogismos, & probationes earum valere: nam supra satis de eis est dictum in septimo primi libri capite, ubi ostendimus vim & efficaciã probandi in syllogismo positã, esse non in eo quod est, dici de omni & dici de nullo, sed in eo

quod

quod una vel plures partes alicujus totius discreti vel continui, sunt vel non sunt, continentur vel non continentur, in toto aliquo discreto vel continuo, & clarissimis accommodatissimisq; exemplis hanc totam rem illustravimus. Quare de isto alio Aristotelis & Pseudophilosophorum non minimo errore, nihil hoc loco restat dicendum. Sed tantum huc afferenda aliquot doctorum Virorum testimonia, quibus confirmentur ea omnia, quæ à nobis dicta fuerunt supra de argumentationibus Pseudophilosophorum, & de libro Priorum Analyticorum: ne soli de tanta re, ac de tot tamq; claris viris tam prave sensisse videamur: ergo Ludovicus Vives in tertio de causis corruptarum artium libro, ita scribit. Adduntur volumini Περὶ ἑρμηνείας, duo libri Priorum Analyticorum, utiles quidem illi, & magni, atq; excellentis ingenii: Sed utilitas hæc obruta est primum multis supervacaneis adjectis, ut de modalibus, quæ ad rem non magis faciunt, quam cætera adverbia: Nam de illis statuendum est ex negatione, affirmatione, universalitate, particularitate. Impossibile non aliud est hoc loco, quam nunquam, necessario quam semper, possibile quam aliquando. Tum de reductionibus syllogismorum, de iis, quæ vera ex falsis nascuntur, quod est cuivis ita promptum, ut vix sit credibile Stoicos acutos homines, & in Dialectica multum versatos negasse id posse fieri. Omnia vero tanta subtilitate dissecat, ut laboriosius sit instrumentum intelligere, quam usum: Ita pulcherrimum Organum, & supervacaneis oneratum, & in tantas minutias fractum, & concisum, parum habile utentibus reddidit. Hæc Vives cui in omnibus, quæ de libris Priorum Analyticorum dicit, assentior, præterquam in eo quod putat eos esse non solum excellentis cujusdam ingenii, sed etiam utiles. Quorum neutrum est verum, excellentia enim ingenia in rebus tam frivolis & supervacuis non occupantur, neq; res tam frivolæ & pene pueriles, possunt esse utiles. Sed Vives cum judicium illud fecit, non recte potuit judicare, eo quod quatenus judicavit ea esse inutilia, à veritate rei tale judicium facere fuit coactus, quatenus vero eadem dixit esse excellentis cujusdam ingenii, non à veritate, sed ab opinione de Aristotelis doctrina temere concepta, ita loqui cogebatur.

Argumentationum formæ communes tam Philosophis quàm Oratoribus, ex Trapezuntio.

- Complexio, sive Dilemma.
- Enumeratio.
- Simplex conclusio.
- Subjectio.
- Summissio.
- Oppositio, sive Antitheton.
- Violatio, græce βίαιον.
- Inductio.
- Collectio.
- Ratiocinatio, sive syllogismus.

CAPUT TERTIUM.

De falsa demonstratione & falsa scientia & falsa sapientia Pseudophilosophorum, & simul de inutili falsoq; Posteriorum Analyticorum libro.

PErvenimus tandem ad precioſiſſimum illum Dialecticæ theſaurum, hoc eſt, ad librum Poſteriorum Analyticorum, in quo agitur, ut Dialectici ajunt, de ſyllogiſmo non ſimpliciter, ut in Prioribus Analyticis, nec probabili ut in Topicis, nec ſophiſtico ut in Elenchis, ſed demonſtrativo per quem fit & generatur ſcientia illa à Pſeudophiloſophis tantopere celebrata, quæ eſt, ut iidem affirmant, certa & infallibilis & nunquam aliter ſeſe habere potens, & quæ poſtremo non niſi de rebus univerſalibus, neceſſariis, ingenerabilibus, & incorruptibilibus habetur. De tali inquam ſyllogiſmo, & de tali ſcientia gignenda diſſerit Ariſtoteles in hoc libro. Quare nos quoq; ſicut antea fecimus in aliis libris, videamus qualis ſit iſte ſyllogiſmus demonſtrativus, & iſta ſcientia demonſtrativa, & oſtendamus non minus in his quam in ſuperioribus, quæ à nobis refutata fuerunt, Ariſtotelem & Dialecticos omnes fuiſſe deceptos. Nos enim, ut ante libro tertio capite primo diximus, ſic etiam hoc loco confirmamus, iſtam ſcientiam, quam Dialectici & Pſeudophiloſophi tantopere extollunt, apud homines nuſquam inveniri: & demonſtrationem illam, ex qua ſcientiam hanc generari ajunt, cũ omnibus illis conditionibus, quas ei tribuunt, nec ab Ariſtotele unquam, nec ab alio ullo fuiſſe factam, nec fieri poſſe, & ſi fieret, tamen nullã vim probandi habituram. Et propterea totum iſtum librum Poſteriorum, non ſolum fruſtra ab Ariſtotele fuiſſe compoſitum, ſed etiam cum magno ſtudioſorum Philoſophiæ detrimento, qui bonas horas in nugis & rebus nullius momẽti impẽdere coguntur. Atq; ut breviter oſtendam quod propoſui, volo Lectorẽ hic mihi in memoriam redire eorum, quæ ſupra dixi, de iſta ſcientia, nempe eam, ſi univerſalia realia falſa ſunt, ut monſtravimus, quoniam non niſi de talibus univerſalibus, ut ajunt, traditur, veram eſſe non poſſe. Niſi forte de non veris Dialectici, ut ſunt ſtulti, veram ſcientiam poſſe eſſe autumant. Deinde Authorem illum, qui Introductio ſive Medicus inſcribitur, affirmare ſcientiam iſtam non modo apud Philoſophos, ſed ne apud homines quidem prorſus inveniri. Quibus duabus tantummodo rationibus iſtud ſcientiæ genus tunc oppugnavi, nunc vero alia adjungam, ut perfecte id quod propoſuimus, verũ eſſe intel-

intelligatur. Rursus igitur dico, scientiam istam, quam demonstrativam & maxime propriam vocant, esse rem prorsus commentitiam, & ut vere dicam quod sentio, meram fabulam Aristotelicam. Idque probo primum ex demonstratione illa, quam propter quid & potissimam appellant: ex qua tanquam ex parente quadam & procreatrice, ajunt fieri scientiam istam. Nego enim talem demonstrationē cum omnibus illis conditionibus, quas ei tribuit Aristoteles, hoc est, ex veris, primis, immediatis, prioribus, & notioribus, & causis conclusionis: & præterea ex universalibus, necessariis, per se & secundum quod ipsum, nego inquam talem demonstrationē cum omnibus istis conditionibus aut ab Aristotele unquam, aut ab alio quopiam fuisse factam. Et hujus meæ negationis causam & rationem hanc evidentissimam affero, quia nec ipse Aristoteles in tanta multitudine & farragine verborū, quæ super hac re consumit, ullum unquam talis demonstrationis exemplum attulit, nec ullus Interpretū adhuc, quod ab Aristotele prætermissum fuit, satis præstare potuit. Nam tantum abest ut ullum perfectæ & potissimæ demonstrationis exēplum afferant, ut in tot seculis nondum reperire potuerint, nec inter se convenire, quodnā sit verum potissimæ demonstrationis medium. Alii enim dicunt, id esse definitionem subjecti, ut Lynconiensis: alii definitionem prædicati, ut Egidius: *nonnulli vero, ut Thomas Aquinas, utranque definitionem tam subjecti quam prædicati.* (Rectissime) Quæ cū ita sint, quomodo potest quisquā interpres, aut quivis alius proferre exemplū perfectæ demonstrationis ab Aristotele omissum? cū nondum constet quod nam sit ejus medium, & sine medio, ut dicunt, nullo pacto fieri queat? Nam si quis forte demōstrationis perfectæ exemplū aliquod afferre conetur, & in ea pro medio ponat vel definitionem subjecti, id negabit Egidius: vel definitionem prædicati, id non concedet Lynconiensis: vel utranque definitionem, omnes Egidiani & Lynconiensiani adversabuntur. Atq; ita nullo pacto inveniri poterit exemplum ullū perfectæ demonstrationis, quod quidem non multos habeat adversarios, & multas rationes contrarias, ex eodem Aristotele omnes desumptas. Nec mirum, si nullum verum talis demonstrationis exemplum nec ab Aristotele unquam, nec ab ullo Interpretum prolatum fuit, cum prorsus fieri non possit, cum omnibus dico conditionibus illis quæ ei apponuntur. Nam per Deos immortales, quodnam majus aut evidentius argumentum esse potest, demonstrationem istam vere fieri non posse, & prorsus esse falsam? quam quod nullum ejus verum invenitur exemplum nec apud Aristotelem, nec apud ullum alium Scriptorem Græcum aut Latinum, nisi forte apud Euclidē, & alios Mathematicos, de quibus tamen postea videbimus. Nunc pro certo cōstare volo, nec in naturali, nec in morali Philosophia,

nec

nec in Dialecticis, reperiri ullam talem demonſtrationem potiſſimam Ex quo non ſolum Ariſtotelem maxime reprehendendū dico, qui de tanta tamq; difficili & obſcura re ſcribens, & tantum verborum inutilium fundens, nullum unquam iſtius tam præclaræ tamq; egregiæ demonſtrationis exemplum attulerit, ut ſi non rudiores & imperiti, at certe interpretes & doctiores viri ſcire poſſent: quonam pacto fieret iſte demonſtrativus ſyllogiſmus, & quodnam eſſet verum ejus medium: ſic enim nec Egidius à Lynconienſi, nec Lynconienſis ab Egidio, nec Thomas ab utroque, de medio demonſtrationis diſſenſiſſet. Non ſolum inquam, quod nullum demonſtrationis attulerit exemplum, dico graviſſime reprehendendum eſſe Ariſtotelem, ſed etiam omnes illius Interpretes, qui non potius dixerunt iſtam demonſtrationem fieri non poſſe, & eſſe falſam, ſicut eſt: cum Ariſtoteles ipſe nullum ejus afferre potuerit exemplum, quam laboraverunt incaſſum, dando operam ut intelligerent id quod erat intelligibile, & ut explanarent id quod erat inexplanabile, & denique ut facerent id quod nullo pacto fieri poterat. In quam reprehenſionem ne ego quoq; inciderem, dixi & rurſus dico, demonſtrationem iſtam cum illis omnibus cōditionibus à nullo unquam fuiſſe factam nec fieri poſſe, ſed eſſe falſam & fabuloſam. *Nam quod quidem perfectæ demonſtrationis exemplum hoc afferunt,*

(Recte quidam dixit, nihil eſſe hac demonſtratione riſibilius.)

omne animal rationale eſt riſibile, homo eſt animal rationale, ergo homo eſt riſibilis. Dicentes in hac demonſtratione definitionem ſubjecti eſſe medium, & per ipſum propriam paſſionem de ſuo ſubjecto concludi. Reſpondeo per demonſtrationem iſtā nihil probari, eo quia non eſt ex notioribus: minus enim notum eſt, animal rationale eſſe riſibile, quam hominem eſſe riſibilem. Nam ſi quis forte negaret, hominem eſſe riſibilem, & tu accederes cum iſta demonſtratione, coacturus eum ad cōfitendum, hominem eſſe riſibilem, nonne merito ridiculus & ineptiſſimus Logicaſter videreris? certe non poſſes non eſſe deridendus & ter ineptus. Quare ſi definitio ſubjecti pro medio ſumatur, neceſſe eſt demonſtrationem aut non eſſe potiſſimam nec ex medio vero factam, aut certe ſi potiſſima & ex vero medio eſt, tamen nullā vim habere ad probandum id quod concludit, neque ad cogendum Adverſarium ut fateatur, id quod negat. Quorum utrum velint ſumant Dialectici, non poſſunt defendere demonſtrationem iſtam, quin aut non vera, aut certe vana eſſe videatur. Sed alii definitionem paſſionis non ſubjecti pro medio ad faciendā demonſtrationem ſumunt, hoc modo, ut perſiſtamus in eadē re probanda. Omne quod poteſt ridere eſt riſibile, homo poteſt ridere, ergo homo eſt riſibilis: ut poſſe ridere, ſit definitio riſibilis, id eſt, paſſionis: nihil enim aliud eſt riſibile, niſi id quod poteſt ridere. Quam demōſtrationem nos quoque negamus eſſe veram

& po-

& potissimam, idque non solum quia Lynconiensis & bona pars Dialecticorum idem negant, sed etiam quia non habet omnes conditiones, quæ in demonstratione potissima requiruntur. Non enim est ex prioribus & notioribus

(Falsum hoc. Et uti partes natura priores toto, ita definitio prior subjecto.)

naturæ, ut vult Aristoteles: si quidem utrunque, hoc est, *tam passio quam ejus definitio, est æque notum naturæ*, aut certe neutrum altero magis ignotum. Quare neutrum per alterum recte videtur demonstrari posse. Ut omittam interim hic, stultum esse dictu, aliquam probationem inter homines disputantes vel discentes fieri per notiora naturæ non nobis. Probatio enim vel doctrina debet fieri per notiora ei, qui cum disputamus vel docemus. At disputatio nobis est cum Adversario nostro non cum natura, & discipuli nobis non natura docenda. Quare omnis probatio & doctrina ex notioribus adversario, vel discipulis non naturæ fieri debet. Sed ne simus morosiores, demus definitionem passionis, esse notiorem quam ipsa passio: & demonstrationem eam, quam dixi, esse ex veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, & causis conclusionis: non propterea tamen adhuc est potissima demonstratio, quia non habet alias conditiones, quæ requiruntur: non enim est ex necessariis, nec universalibus. Quis enim nisi stultus Dialecticus dicat, posse ridere, esse rem necessariam? Sed do etiam esse necessariam, nec propterea tamen concedam esse universalem, quia universalia realia, ut supra demonstravimus, non vere constant in rerum natura, sed falsa sunt & commentitia. Atque ita demonstratio ista quomodocunque fiat ex definitione sive subjecti sive passionis sive utriusque, nam eadem etiam ratio est de utraque, nullo pacto potest defendi esse potissima: Semper enim deerit aliqua conditio requisita. Ut omittam interim etiam de conditionibus ipsis esse maximam inter ipsos controversiam. Nondum enim satis perfecte intelligitur, quid sibi voluerit Aristoteles, cum dixit, demonstrationem debere esse ἐκ πρώτων, καὶ ἀμέσων, hoc est, ex primis & immediatis.

(Naturam demonstrationis satis explicatam dedere Viottus, Cornelius Martini, Ioach. Iungius, tum vero Mathematici omnes. Nihil ea intellecta verius, nihil præstantius. Ajo hanc esse perfectissimam demonstrationem: omne corpus est in spatio. Omne quod in spatio est potest esse in alio spatio (quia datur cuilibet spatio aliud æquale se simile) quicquid potest esse in alio spatio potest mutare spatium. Quicquid potest mutare spatium est mobile. Ergo omne corpus est mobile.)

Si quidem alii aliter exponunt, ut in spatio paulo minus duum millium annorum ex verbis Aristotelis nondum potuerit elici, non solum quodnam sit verum demonstrationis potissimæ medium, sed etiam quæ & quales sint nonnullæ particulæ in ejus definitione appositæ. Nec mirum hoc cuiquam videri debet, cum ipsemet Aristoteles cum istas nugas scribebat, & alios docere volebat, non satis intelligebat aut sciebat, quid aut quale esset, id quod scribendum susceperat & docendum. Nam si intellexisset & scisset, certe nunquam prætermisisset, quin attulisset, exemplum aliquod potissimæ demonstrationis, quo id quod erat tam difficile tamque obscurum: atque etiam si verum esset, omnibus veritatis indagatoribus tam necessarium, aliquo modo efficeretur, manifestum & apertum, ac ne genus humanum in perpetuum defectu unius

exempli, tanto ac tam præclaro quasi thesauro privaretur. Sed nescio quomodo tot Interpretes, qui istas nugas interpretati sunt, & tot homines, qui eas usque in hunc diem legerunt, usque adeo fuerunt stupidi & cæci, ut non viderint nec intellexerint, in toto hoc Aristotelis libro, nihil aliud agi nisi id quod non est nec esse potest, tradi ac doceri, atque ista quasi fabula decipi ac deludi universum genus humanum. Id quod ego intelligens ac pro certo habens, nullo pacto amplius dissimulãdum putavi, ut qui recte philosophari cupiunt, nugis istis rejectis & explosis, probatos libros legãt, & in melioribus studiis bonas horas consumant. Sed jam satis, ut opinor, demonstrationis definitionem eam, quã à materia factam vocant, impugnavimus: nunc ad eam venio, quam à fine demonstrationis assignant. Demonstrationem enim, ajunt, esse syllogismum scientialem, hoc est, facientem scire, & generantem in nobis scientiam illam, quam maxime propriam vocant. Et quoniam scientia deducitur ab eo, quod est scire, idcirco ipsum scire definiunt hoc modo, Scire est cognoscere per causam, propter quam res est, & quod illius causa est, & non contingit hoc aliter se habere. Sed hæc quoque definitio tam scientiæ quam sciendi, falsa est: nam si demonstratio potissima nunquam facta fuit, neque fieri potest, ut supra diximus, quomodo est syllogismus scientialis? aut quomodo generat in nobis istam scientiam, quam vocant maxime propriam? Quod vero ajunt, scire esse per causam cognoscere, fateor id esse verum, cum de causa dubitamus, & eam quærimus, & quærendo invenimus. Ut si quæreremus, quam ob causam Luna deficit, & eam deficere inveniremus hac de causa, quia terra inter ipsam & Solem interponitur. Fateor inquam scire hoc modo, nihil aliud esse, nisi per causam cognoscere. Sed si de causa nulla esset dubitatio nec quæstio, ut si quæratur, exempli gratia, an sint & quales sint Antichthones, & quærendo sciremus, eos esse & quales sunt, quid est, cur hoc scire, aut fit, aut putetur, aut dicatur, esse per causam cognoscere? certe ego nullam video causam, cum nulla hic causæ fiat mentio, nec ulla sit de causa dubitatio, aut quæstio. Nisi forte quis ipsas rationes, quibus aliquid scitur, causas esse sciendi dicere velit: quod est absurdum, cum nec Aristoteles de talibus causis intellexerit, sed de causa essendi: & hoc modo nõ solum demonstratio potissima, & propter quid,

(Ea demum vera scientia perfectaque est, quando coincidit causa scientiæ & rei)

sed etiam quæcunque alia fieret per causam. *Quicquid enim scitur, & quomodocunque scitur, per causam sciendi, hoc est, per rationem sciatur necesse est.* Atque ita præceptum Aristotelis de causa in definitione demonstrationis posita, non solum esse falsum sed etiam ridiculum: præsertim cum idem Aristoteles addat, & quod illius causa est, quasi volens innuere ad demonstrationem faciendam non quancunque causam sed veram, & non tantum ad cognoscendum, sed et-

sed etiam ad essendum pertinentem esse necessariã. Itaq; sine dubio in definitione ejus, quod est, scire, de causa non solũ sciendi, sed etiã essendi intelligendum est. Per quam causam, cum non semper sciamus, quia non semper de ea dubitatur nec quæritur, nec per eam semper fit probatio, non potest definitio sciendi ab Aristotele tradita, esse vera ac generalis omnibus quæstionibus, in quibus aliquid etiam perfecte sciri potest, ut in exemplis supra positis appareret. Quare si definitio sciendi non est vera generaliter, quomodo generaliter potest esse vera scientia, quæ ab illo scire deducitur? Sed hic mihi se se opponunt Dialectici, & non jam rationibus sed authoritatibus mecum agunt: ajunt enim non solũ Aristotelem, sed etiã multos alios maximi nominis viros, approbasse hanc demonstrationem, & inter eos Galenum, qui tã sæpe in scriptis suis citat libros, & cõmentarios de demonstratione à se compositos, ut demõstrationem hanc maximi feciſſe videatur. Quæ si non esset vera, ut nos dicimus, quorsum non solum Aristoteles, sed etiã Galenus in ea tradenda & docenda tantopere laborasset? Hæc defensio demonstrationis potissimæ, maxime commovet eos, qui se vel Aristoteli vel Galeno usque adeo addixerunt: ut quicquid ille vel ille dicit, quamvis falsissimum & absurdissimum, tamen vera esse putant, & in quærenda veritate rerum, non quid revera sit in natura, sed quid ab Aristotele vel Galeno dictum fuerit, tantũ considerent: idq; perinde atq. à Deo vel à natura dictum esset, verum esse arbitrantur. Sed nos qui nulli addicti sumus, & in nullius verba juravimus, longe aliter facientes, nullius quamlibet magni viri authoritatem tanti facimus, quanti veritatem: & propterea, ut Aristotelis, sic etiam Galeni hac in re authoritatẽ non recipimus, sed plane improbamus & rejicimus: non quod non arbitremur Galenũ magnum fuisse virum & Medicũ, sed quod nimium fuit Dialecticus, hoc est, magnus Aristotelicarum nugarum cultor, & dialecticæ vanitatis approbator: præsertim ejus quæ pertinet ad demonstrationem faciendam. De qua cum sæpius citet librum à se compositũ, tamen ita loquitur in libello de libris suis, ut aperte confiteatur in scriptis Dialecticorum veram faciendæ demonstrationis artem se nunquam reperire potuisse: sed tantum apud Arithmeticos & Geometras, cum tamen omnes de demonstratione Aristotelis libros non solum diligenter legisset, sed etiam prius quatuor, deinde quinq; cõmentariis bene longis explanasset, ut ipsemet testatur. Quæ cum ita sint, quid ultra egemus testibus ad improbandos hos Posteriorum Analyticorum libros? & ad refutandam istam demonstrationem, quam docere se profitentur? Cum Galenus eorum tã diligens lector, & demõstrationis potissimæ tantus author, ingenue fateatur se in ea faciẽda à Dialecticis nihil fuisse adjutũ, sed ab Arithmeticis

tantum & Geometris. Quibus verbis satis superq; etiam nobis tacentibus improbavit omnes, non solum aliorum Dialecticorum, sed etiam Aristotelis de demonstratione libros. An vero rectam faciendæ demonstrationis rationem apud Arithmeticos & Geometras invenerit, ut testatur, ipse viderit. Ego certe rursus ita dico, talem aliquam demonstrationem, qualem Aristoteles describit, cum omnibus illis conditionibus, quas ei tribuit, nec apud ipsum Aristotelem, nec apud Galenum, nec apud ullum alium Scriptorem reperiri nec omnino fieri posse: Quia si reperiretur, Interpretes hujus libri non tantopere laborarent in assignando medio demonstrationis: & si fieri posset, ipsi aliquam fecissent, vel ab aliquo alio factam attulissent, ut exemplo, si non Aristotelis, nam ipse nullum perfectæ demonstrationis exemplū reliquit, ac certe vel suo, vel alicujus alterius nos docerent, quonam medio demonstrationis sit utendum. Quod cum non fecerint, nisi falso, ut supra dixi, signum vel evidentissimum est, demonstrationis istius nomen esse vanum, & ipsam nihil aliud esse nisi rem commentitiam & meram fabulam. Præsertim cum, ut probavi, etiam si fieret, tamen nullam vim haberet ad probandum quicquam, quoniam oportet ad probandū aliquid inter homines argumenta esse notiora nobis non naturæ, idq; quia cum hominibus non cum natura disputamus. Nihil enim absurdius aut stultius præcipi potuit, quā id quod ab Aristotele præceptum est, hoc est, in facienda demonstratione servandum esse, ut ea ex prioribus & notioribus non nobis sed naturæ fiat: perinde quasi cum natura non cum hominibus nobis esset disputandum. Itaq; sic concludimus totū hoc caput, ut dicamus & affirmemus, Demonstrationem istam, de qua loquimur, potissimam & perfectam, non esse in rerum natura: idque multis de causis, ac primo, quia nullum ejus reperitur exemplum verum, non ab Aristotele ipso, non ab Interpretibus, non ab ullo alio prolatum aut usurpatum: deinde quia non certo scitur quod nam sit verum ejus medium, cum alii definitionem subjecti, alii passionis, alii utriusq; statuant, ut supra diximus: deinde quia fieri non potest: quod ita probatur, quia si fieri posset, jam ab aliquo facta esset, & aliquod ejus appareret exemplum: tum etiam quia si fieret, nullam haberet efficaciam probandi, quia non fit per notiora nobis: postremo vero quia dicitur fieri tantum de universalibus; & universalia, ut supra probavimus, falsa sunt, quare demonstratio de universalibus facta, non potest non esse falsa. In summa vero, ut omnia, quæ ante dixi, in pauca redigam, sic dico, destructis universalibus, id quod fecimus in primo libro, non posse non destructam esse istam demonstrationem, quæ ex talibus universalibus fieri dicitur. Destructa vero demonstratione, non posse stare scientiam illam, quam isti falso vocant,

maxime

maxime propriam, eo quia ex tali demonstratione gigni affirmatur: & postremo destructa scientia, necessario ruere etiam sapientiam illam, ab Aristotele in sexto Ethicorum, tantopere celebratam, quæ ex scientia & intellectu, ut ipse ait, composita est. Ut manifesto appareat cadentibus universalibus realibus, nõ posse stare nec demonstrationem, nec scientiam, nec sapientiam: & qui hæc defendere ac tueri noluerit, eum necesse habiturũ prius defendere universalia, quæ sunt tanquam columnæ quædam totius dialecticæ facultatis.

CAPUT QUARTUM.

De sophisticis elenchis ab Aristotele in Rhetoricam non recte introductis, & de libro sophisticorum elenchorum quid sentiendum.

ARistoteles non solum in Dialecticam, sed etiam in Rhetoricam haud scio quàm recte, certe multum præter consuetudinem aliorum Rhetorum introduxit specialem tractatum de non veris, sed apparentibus argumentis: cæteri enim Rhetores tam græci quàm latini scripserunt illi quidem etiam de argumentis tum necessariis tum probabilibus, sed de apparentibus argumentis nominatim in Rhetorica nemo unquam veterũ, quod sciam, scripsit, præter Aristotelem, qui tractatum istum in Dialecticis appellavit σοφιστικὰς ἐλέγχους, hoc est, fallaces & captiosas reprehensiones: in Rhetoricis vero φαινομένων ἐνθυμημάτων τόπους, hoc est, apparentium enthymematum locos. Quo in tractatu quamvis ab imperita Pseudophilosophorum turba existimetur tradidisse omnes modos, quibus fallaciæ intendi possunt, tam in dictione quàm extra dictionem, & ea ipsa de re nec perfectus nec melius à quoquam scribi aut differi potuisse, tamen nos in hoc quoque libro non pauca ab eo fuisse peccata, & multo melius multoq; perfectius scribi potuisse, breviter sumus ostensuri. Primo enim licet tradat multos modos texendi fallacias, tam in dictione, ut dixi, quam extra dictionẽ, tamen non paucos utrobique prætermittit. Deinde ex eorum numero, quos tradit, nonnullos incommode & obscure, ne dicam inepte, nominat: & aliis quibusdam non satis clara, sed obscura & pene ænigmatica exempla apponit. In sophismatibus enim dictionis omittit illos alios modos, cum fallacia intenditur vel ab eo, quod in argumentatione transitus fit à voce proprie sumpta ad vocem figurate acceptã, ut Socrates est homo, homo est genus, ergo Socrates

est genus: homo enim in primo enunciato proprie positus est, pro uno tantum homine, in secundo autem figurate pro omnibus hominibus, vel pro genere hominum, aliter enim homo non posset esse genus: vel ab eo quod in argumentando transitur à voce significante ad rem significatam, ut illud Chrysippi, quod loqueris per os tuum transit, currum loqueris, ergo currus per os tuum transit: vel ab eo, quod una eademq; vox, & cum diphthongo scribitur & sine diphthongo, ut quod lætum est placet, letum est mors, ergo mors placet: vel ab eo, quod syllabæ unius dictionis vel conjunctim vel disjunctim legi & proferri possunt, ut apud Græcos cum dicitur ἕνδεκα ἔτεσιν, conjunctim, hoc est, undecim annis, vel ἐν δέκα ἔτεσιν, disjunctim, id est, in decem annis. Qui fallaciæ modus diserte ponitur ab Hermogene, ejusque interpretibus in capite περὶ ἀμφιβολίας, & ab eisdem appellatur περὶ διάσασιν συλλαβῶν, nec idem apparet esse cum illo, qui ab Aristotele traditur, & nominatur, κατὰ σύνθεσιν καὶ διαίρεσιν. Nam ille Aristotelicus in distinctione & conjunctione non tam syllabarum unius dictionis quam plurimum dictionum videtur esse constitutus. Atque ita patet Aristotelem non multum fuisse diligentem in colligendis fallaciis dictionis, sed nec in eisdem nominandis majorem adhibuit diligentiam: non enim recte unum tantum modum appellavit παρὰ τὴν ἀμφιβολίαν, cum ἀμφιβολίας nomen generale sit omnibus fallaciis in dictione consistentibus, præterquam fortassis ei, quæ παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως dicitur, ut παρὰ τὴν ἀμφιβολίαν genus sit, ejus autem species sint παρὰ τὴν ὁμωνυμίαν, παρὰ τὴν διάζολὴν, παρὰ τὴν σύνθεσιν, παρὰ τὴν διαίρεσιν, παρὰ τὴν προσῳδίαν, παρὰ τὴν διάσασιν συλλαβῶν: Sic enim & Hermogenes, & ejus Interpretes recte his nominibus utuntur. In fallaciis vero extra dictionem rursus omisit illam, qua utebatur Chrysippus hoc modo, Quod non amisisti habes, cornua non amisisti, cornua igitur habes. Item illam, Est quoddam caput, id autem non habes, caput igitur non habes. Et alias quasdam hujusmodi, quas refert partim Plato in Euthydemo, partim Laertius in vita Chrysippi: & quæ ad nullum ex iis modis, quos refert Aristoteles, videntur reduci posse nisi ad ignorantiam elenchi, ad quam omnes fallaciæ tam in dictione quam extra dictionem referri possunt. Nomina autem non recte imposuit Aristoteles primum, primo harum fallaciarum modo, quem vocat παρὰ τὸ συμβεβηκὸς, hoc est, ex accidenti, ut Socrates est alius à Platone, Plato est homo, ergo Socrates est alius ab homine, & consequenter à se ipso: hæc enim fallacia nec est nec recte appellatur ex accidenti, sed ex eo, quod transitio fit à voce individua, vel minus communi ad vocem genericã, vel magis communem: non enim si Socrates est alius à Platone, cujus vox est

indi-

individua, vel minus communis, continuo neceſſe eſt, *ut ſit alius ab homine,*
(Imo eſt alius ab homine, nempe alio, non ergo ſtatim à ſe.)
cujus vox eſt generica & magis communis: Homo enim figurate acceptus eſt genus utrique, ſi quidem tam Socrates quam Plato vere ambo ſunt in genere hominum: à minus communi enim ad magis commune in negatione & diverſitate probanda non valet conſecutio, ut non eſt homo, ergo non eſt animal, & eſt diverſum ab homine, ergo eſt diverſum ab animali. Secundum autem modum recte quidem ille appellavit πρὸς τὸ ἁπλῶς ἢ μὴ ἁπλῶς λέγεσθαι, ſed non ſatis clarum appoſuit exemplum, ut ſi quod non eſt opinabile, ſit, ſequatur id quod non eſt, eſſe. Nam dicet fortaſſe aliquis nihil eſſe inconveniens id quod non eſt, eſſe, alio videlicet & alio modo acceptum. Quare accommodatius exemplum erat illud Euthydemi apud Platonem in Euthydemo. Qui cupit fieri ſciens, cupit deſinere eſſe ignorans, qui cupit deſinere eſſe ignorans, cupit deſinere eſſe id quod eſt, qui cupit deſinere eſſe id quod eſt, cupit mori, ergo qui cupit fieri ſciens, cupit mori: Fallacia enim eſt in eo, cum dicitur, qui cupit deſinere eſſe id quod eſt, cupit mori, ſi quidem quod ſecundum quid dictum erat, deſinere eſſe id quod eſt, hoc eſt, deſinere eſſe ignorans, tanquam ſimpliciter dictum eſſet, accipitur, hoc eſt, deſinere eſſe homo. Hæc fallacia à Græcis poſt Ariſtotelem, & maxime à Stoicis, nominata fuit Sorites, Cicero acervalem vertit, Recentiores vero Dialectici à primo ad ultimum appellant. Nec minus in aliis quoque fallaciis extra dictionem, quæ ſequuntur, peccavit Ariſtoteles, vel quia quod eſt commune omnibus fallaciis id uni tantum ſpeciei attribuit, ut in ea, quæ eſt, πρὸς τὸ μὴ διωρίσθαι τί ὅτι συλλογισμὸς ἢ τί ἔλεγχος: vel quia nullum apponit exemplum, ut in ea, quæ eſt πρὸς τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, quam Author ad Herennium in ſecundo non ſolum clarius nominat, ſed etiam planius explicat exemplo accommodato, ſic inquiens. Item vitioſum eſt pro argumento ſumere id quod in diſquiſitione poſitum eſt, ut ſi quis quem furti arguat, dicat, hominem eſſe improbum, fraudulentum, avarum, eique rei teſtimonium eſſe, quod tibi furtum fecerit, Vel quia rurſus non recte nomen imponit, ut in ea, quæ eſt, πρὸς τὸ ἑπόμενον, nam cum quis ita argumentatur, ut dicat, ex eo, quod terra humida ſit, pluiſſe, non ex conſequenti appellanda eſt hæc fallacia, ſed ut ait Author ad Herennium, ex eo, quod ea re, quæ plura ſignificat, abutimur pro certo unius rei ſigno, hoc modo, neceſſe eſt, quoniam pallet, ægrotaſſe. Vel quia utitur exemplo obſcuriore, quam ut facile intelligi poſſit, ut in ea, quæ eſt, πρὸς τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον, atque ideo Volateranus hanc fallaciam illuſtrare volens omiſſo Ariſtotelis exemplo, ipſe aliud quoddam attulit, ſed ita ut neſciat quid dicat. Quod vero exemplum hujus ejuſdem fallaciæ in Rhe-

in Rhetoricis ab Aristotele profertur, magis intelligibile est, sic enim ibi ait: Ut Demades Demosthenis administrationem Reipublicæ omnium malorum causam esse ait, eo quod post eam contigit bellum. Vel quia non solum obscura sed etiam inusitata exempla attulit, ut in ea, quæ est, πρὸς τὸ τὰ δύο ἐρωτήματα ἓν ποιεῖν. Nam per Deos immortales quid est illud, quo ille exemplo utitur? utrum terra mare est an cœlum? quis ita loquitur? aut quis ita interrogat? certe nemo, nisi Dialecticus aut Sophista ineptus & importunus. Ac tales quidem sunt omnes vitiosarum argumentationum modi extra dictionem ab Aristotele traditi, in quibus tamen omisit omnes eos, qui dicti sunt: & præterea etiam omnes illos, quos refert Author ad Herennium in secundo Rhetoricorum, cum loquitur de vitiosa expositione, de vitiosa ratione, de vitiosa confirmatione rationis, & denique de vitiosa complexione sive conclusione. His enim tot modis, quot enumerat Author ille, fieri potest argumentatio vitiosa, & eo loco, quo ille tradit, vere sunt tradendæ hujusmodi fallaces reprehensiones, sive sophistici elenchi, hoc est, in capite de vitiosa argumentatione. Omitto hic captiones Pseudomenorum, quæ à Recentioribus reflexa nominantur: nec commemoro dilemnata, sive ceratina, hoc est, quasi cornutas argumentationes: & antistrephonta, quæ eis respondent, & alia multa, de quibus Aristoteles, licet de rebus istis usque ad nauseam prolixe loquatur, tamen nullam facit mentionem. Ex quibus omnibus licet intelligere in sophisticis elenchis tradendis quantum Aristoteles fuerit diminutus, & obscurus, quamq; parum commode quibusdam nomina imposuerit, & deniq; quam omnes non recte inscripserit, & eos non suo neq; proprio tradiderit loco. Quanquam si credere volumus Platoni, neque tempore ejus sophistæ satis erant probandi, nam præter quam quod eos ubique deridet & insectatur, etiam in Euthydemo de utilitate artis sophisticæ ita scribit: Si quis hujus generis multa aut etiam omnia norit, rerum tamen naturas nihil magis intelliget, ludere tamen ex illa nominum diversitate homines poterit, quasi apposita tibia supplantans eorum more, qui sedere volentibus furtim subsellia subtrahunt, & effusius rident, cum vident eum, qui cecidit jacere supinum. Hæc Plato de sophisticæ artis utilitate, annos ab hinc duo millia monumentis literarum prodita reliquit: temporibus vero nostris Ludovicus Vives in tertio libro de causis corruptarum artium, de eadem arte Platoni subscribens idem sentit, cujus verba apponam, & ita capiti huic finem imponam. Adducti sunt quidam in eã opinionem, ut dicant, hęc quidem hactenus esse aliis artibus utilia, quod acuãt ingenia discentium, & si quis hæc intelligat, facile alia assecuturũ minus difficilia, quorũ neutrũ est verum. Videntur esse illa ingeniosa,

partim

partim quod non intelliguntur: nam quidam ea sola habent in pretio, quæ nõ capiunt: alii subtilissimam oportere rem esse arbitrantur, quam ipsi non cernant. Multis perinde videntur arguta, ut lusus pueriles festivi, & argutuli. Nam ænigmata hæc non ex ingenio, eruditione multa exercitato & subacto, sed ex ignorantia meliorum sunt nata, tanquam herbæ inutiles in solo inculto. Necesse erat eos aliquid agere, hæc est enim natura humani ingenii, ut quoniam igneum est, etiam hebetissimum, se ad aliquid agendum applicet. Itaq; non acuunt hæc ingenium, sed cogunt sylvescere, contentiosum reddunt spinæ istæ, & morosum, non vividum & actuosum: in pulchris acuunt quidem & dedolant, sed ita, ut nihil supersit solidi: extenuant, minuunt, deprimunt: & in his semel fractum haud facile ad res præclaras sinunt attollere: præsertim quum hæc non modo aliena sint à veris artibus, sed etiam contraria, ut tendentibus ad altiores, ac veras disciplinas, tanta sint hæc cura dediscenda, ne profectum impediant, quanta fuerant accepta.

CAPUT QUINTUM.

De vanitate eorum quæ à recentioribus Dialecticis appellantur Parva Logicalia.

INter principia perverse philosophandi, supra etiam numeravimus ea, quæ à recentioribus Dialecticis appellantur Parva Logicalia, atq; ideo superest de his quoq; aliquid ut dicamus, sed breviter, ne tempus conteratur in meris Dialecticorum nugis vel recensendis vel refutandis. Parvorum autem Logicalium multa sunt capita, sed præcipue hæc, quæ subtiliter describuntur à Reverendo Magistro Chrysostomo Javello Canapitio, De Suppositionibus, de Ampliationibus, de Appellationibus sive restrictionibus, de Cõsecutionibus sive consequentiis, ut ipsi loquũtur, de Probationibus terminorum: & præterea ea sunt alia quædam, de quibus se non scribere ait, eo quia non ad docendũ sed ad decipiendũ fuerunt inventa, ut de Obligationibus, & Insolubilibus. Quæ quidẽ omnia usq; adeo sunt vana & ridicula, ut mihi non ad decipiendum tantum, ut ille dicit, sed ad falsitatem docendam, & ad tempus frustra consumendum excogitata fuisse videantur. In eis enim cum pene innumerabilia alia plusquam stolida traduntur: tum in primis hæc, In suppositionibus materialibus, non recte dici, homo est nomen, sed dicendum esse, ly homo est nomen, vel aliquod homo est nomen. Ajunt enim signũ neutrius generis, idẽ valere quod ly, & facere propositionẽ materialiter significantem.

Ac talis quidem eſt præclara illa doctrina, quæ traditur in primo ingreſſu Parvorum logicalium, in ſuppoſitionibus formalibus. *Iſtam propoſitionem, homo eſt animal, in ſempiternum tempus eſſe veram, etiam ſi nullus homo ſingularis eſſet in mundo:* eo quod, ut ipſi dicunt, in prædicatis eſſentialibus non requiritur exiſtentia ſubjectorum: perinde quaſi prædicata illa non eſſent in ſingularibus, & homo atq; animal non eſſent in ſingularibus hominibus & in ſingularibus animalibus, ſed in aere aut in globo Lunæ aut in illis regionibus ubi ſunt Ideæ Platonis. Nec contenti tanto mendacio, addiderunt etiam illud, non valere iſtam conſequentiã, homo eſt animal, ergo homo eſt, quaſi animal poſſit eſſe, niſi in aliquo ſingulari vel homine vel alio quopiam ſingulari animali ſit collocatũ. In ſuppoſitionibus accidentalibus cõmunibus, cum dicitur, homo eſt ſpecies, vel animal eſt genus: hominem ibi & animal ſtare pro natura hominis & pro natura animalis in ſe conſiderata, ut communis eſt pluribus, quod eſt falſiſſimũ, Idem enim dictu eſt, homo eſt ſpecies & omnes ſingulares homines ſimul accepti ſunt una ſpecies, & animal eſt genus, & omnia ſingularia animalia ſimul accepta ſunt unum genus. Utrunq; enim, hoc eſt, tã homo quã animal in ejuſmodi propoſitionibus figurate accipiuntur, & homo pro omnibus ſingularibus hominibus, & animal pro omnibus ſingularibus animalibus ponitur. Alioqui nec homo poſſet eſſe ſpecies, nec animal genus: ut in primo libro, cum de nominibus appellativis ſimplicibus figurate acceptis loquebamur, oſtendimus. Sed de vanitate & falſitate ſuppoſitionum, hæc pauca attigiſſe ſatis ſit, In ampliationibus vero terminos communes extendi à minori ſuppoſitione ad majorem, ut cum dicitur, homo poteſt eſſe Antichriſtus, ly homo ſupponit non ſolum pro præſentibus, ſed etiam pro futuris hominibus, & alia quamplurima hujuſmodi: ut meretrix fuit virgo, artocreæ devoratæ, & egeſtæ ſunt edendæ: puer anniculus fuit centum annorum. In appellationibus terminos communes à majori ad minorem ſuppoſitionem reſtringi, & hanc propoſitionẽ, cum dicitur, Deum trinum cognovit Ariſtoteles, eſſe veram: cum vero dicitur, Ariſtoteles cognovit Deum trinum, eſſe falſam. Item non vidi Papam & Papam vidi, conſulem cæcidi & non cæcidi conſulem: uno modo eſſe veras, altero vero falſas. In conſequentiis à genere ad ſpeciem, negative eſſe bonam cõſequentiã, ut non eſt animal, ergo non eſt homo: à ſpecie vero ad genus affirmative conſequentiã eſſe bonã, ut eſt homo, ergo eſt animal. Quarum conſequentiarũ neutra eſt nec à genere ad ſpeciem, nec à ſpecie ad genus: Nam cũ dicitur, non eſt animal, ergo non eſt homo, perinde eſt ac ſi

(Recte hoc dicunt. Qui enim ait *hominem eſſe animal*, is hoc vult: *ſi quis eſt homo, ille eſt animal.* Et quia conditio nihil ponit, ideo ad veritatem hujus propoſitionis non requiritur ut ſit aliquis homo, ſed ut ſi ſit, neceſſario etiam animal ſit, quod eſt veriſimum.)

dicere

diceretur, non est unũ animal, ergo non est unus homo: quæ consequentia est ab uno generis ad unum speciei negative. Vera autem consequentia, non ab uno generis ad unum speciei negative, sed à toto genere ad totam speciem tã affirmative quam negative fit hoc modo, Est genus animaliũ, ergo est species hominum, & contra, non est genus animalium ergo non est species hominũ: Similiterq; vera consequentia non ab uno speciei ad unum generis, sed à tota specie ad totum genus negative tantum non affirmative fit hoc modo, non est species hominum, ergo non est genus animalium. Fieri enim non potest, ut genus animaliũ sit saltẽ perfectũ, nisi species hominũ in eo cõtineatur at affirmative non videtur valere, si species hominũ sit, ut cõtinuo etiã genus animaliũ esse concedatur. Nihil enim naturæ repugnat præter homines nulla alia reperiri animalia, quamvis species hominum hoc modo considerata, nõ species sed genus esset dicenda, quia non ad superius animaliũ genus comparari posse, sed tantũ ad inferiora singularia, quorum cõparatione nõ species, sed genus vere appellaretur: ac rursus de consequentiis satis. Ex iis enim quæ dixi, satis apparet Dialecticos nunquã recte intellexisse, quid sit genus aut species, aut quomodo recte arguatur à genere ad speciẽ, vel à specie ad genus, tam affirmative quã negative. In probationibus terminorum, propositiones alias probari per resolutionẽ sive resolubiliter, alias per expositionẽ sive exponibiliter, alias per officiationẽ sive officiabiliter, alias per descriptionẽ sive descriptibiliter, alias per causas veritatis Quæ omnia quam sint inania, barbara, ridicula & absurda qui videre cupit, is legat Reverendum Magistrũ Chrysostomum Javellum, eum quẽ supra dixi, qui de omnibus his nugis, judicio meo, magis clare scripsit, quã quisquã Dialecticorum recentiorum. Mihi enim satis indicasse, si quis forte ea videre cupit unde sint petenda, non quidẽ discendi causa (nam id quidẽ non esset discere, sed tẽpus frustra prorsus consumere) sed ridendi tã insulsas & inanes ineptias, & mirandi quonã pacto ista tã futilia tamq; barbara in mentẽ cujusquã non omnino stultissimi & indoctissimi venire potuerint.

Exemplum probationis per resolutionem. Ut aliquis homo currit, hoc currit, & hoc est aliquis homo, ergo aliquis homo currit.

Per expositionem. Omnis homo est risibilis, homo est risibilis, & nihil est homo, quin illud sit risibile, ergo omnis homo est risibilis.

Per officiationem. Necesse est Deum esse, hæc præpositio est necessaria, Deus est, quæ adæquate significat Deum esse, ergo necesse est Deum esse.

Per descriptionem. Cognosco Socratem, cognosco aliquid sub ratione qua Socrates, ergo cognosco Socratem. Per causas veritatis. Rosa incipit florere, rosa nunc floret, & ante hoc nunc præsens immediate non floruit, ergo rosa incipit florere.

CAPUT SEXTUM.

Libros qui hodie ſub Ariſtotelis nomine leguntur pleroſq; non vere eſſe Ariſtotelicos, ſed ſubdititicios & adulterinos: contra communem Pſeudophiloſophorum opinionem.

EX tribus partibus, quas inter initia operis ſupra propoſuimus, duæ jam ſunt abſolutæ : docuimus enim primo in duobus primis capitibus, quæ nam ſint principia veritatis & quæ Pſeudophiloſophorum. Deinde in reliquis omnibus quæ ſequuntur, confirmavimus principia noſtra vera, & illa Adverſariorum tanquam falſa refutavimus : non quidem omnia, nam id fuiſſet infinitum, ſed tantum ea, quæ nobis magis falſa, magiſque abſurda videbantur. Nunc reſtat tertia pars, ut oſtendamus ab iis, qui recte philoſophari cupiunt, quid ſentiendum ſit primo de libris & ſcriptis omnibus, quæ hodie ſub Ariſtotelis nomine circunferuntur. Deinde etiam de Ariſtotele ipſo, & de Porphyrio, & de omnibus Ariſtotelis Interpretibus tam Græcis quam Latinis & Arabibus: & præterea quoq; de Platone & Galeno, ut intelligatur quantum unicuiq; eorum authoritatis & fidei ſit attribuendũ. Quæ omnia ut facilius intelligi & dijudicari poſſint, paucis hic mihi apponẽda eſſe videtur verorum librorum Ariſtotelis hiſtoria. Strabo in libro XIII. Geographiæ, & Plutarchus in vita L. Syllæ, in ſumma tradunt, Libros Ariſtotelis cum aliquot ſecula in terram defoſſi latuiſſent, tandem erutos fuiſſe, ſed ſemilaceros, & humore terreſtri maxima ex parte corruptos. Sicque ab Apellicone Teio Athenienſi & prædivite emptos magno pretio, qui cum eos in nova exemplaria tranſcribendos curaſſet, innumeris replevit erroribus, propter corroſiones chartarũ, quæ perfecte ſuppleri non potuerunt. Deinde ab L. Sylla captis Athenis, repertos in bibliotheca Apelliconis, & Romam translatos, in Tyrannionis Grammatici & Andronici Rhodii manus perveniſſe, & ab eiſdem editos fuiſſe: multis tamen erroribus auctos, propter negligentiam Librariorum, qui in tranſcribendo exemplaria non diligenter cõferebant. Deniq; vero ab Andronico Rhodio factum fuiſſe indicem omnium librorum Ariſtotelis, eum qui, ut Plutarchus refert, ſuo tempore circunferebatur. Atque hæc in ſumma de libris Ariſtotelis à Strabone & Plutarcho memoriæ prodita fuerunt. In ſequentibus vero temporibus, Diogenes Laertius ipſe quoq; eodem modo, quo Andronicus, in Ariſtotelis vita libros ejus diligen-

diligentissime descriptos reliquit: Sed in ea descriptione cum fere quadringenta, ut ipse ait, Aristotelis volumina recenseat, tamen nullam eorum, quæ nostra ætate leguntur, mentionem facit: nisi admodum paucorum, idq; mutatis fere vel inscriptionibus librorum, vel numeris voluminum. Ut valde mirum sit, quonam pacto tanta varietas ac diversitas in libris Aristotelis orta sit, non modo inscriptionum librorum & numerorum voluminũ, ut dixi, sed etiam sententiarũ & dogmatum, ut infra docebimus. Atq; hactenus, hoc est, usq; ad tempora Laertii, & apud homines non Pseudophilosophos, sed vere doctos & de rebus vere judicantes, historia verorum Aristotelis librorum satis certa est: ut post Syllæ tempora non dubitandum sit de eis, quin videri & legi potuerint, atq; adeo quin visi ac lecti fuerint à multis viris doctis illorum temporum, tam Latinis quam Græcis, & ex latinis potissimum à Cicerone, quem constat eisdem pene temporibus, quibus libri Aristotelis Romam fuerunt translati, floruisse: & Tyrannionis Grammatici, qui eosdem libros habuit in manibus, familiarissimũ amicissimumq; fuisse: Et quod caput est, qui sæpe non solum datas sententias Aristotelis, sed etiam libros ejusdem in scriptis suis citare reperitur. Ex Græcis vero à Diogene Laertio, qui cum talis ac tantus vir fuerit, & ex professo tam diligenter scripserit vitas omnium aliorum Philosophorum, tum maxime Aristotelis, miraculi cujusdam simillimum esset, si in conquirendis & describendis veris Aristotelis libris tantopere fuisset negligens ac pene dissolutus, ut eorum, qui non veri essent, tantam multitudinem descripsisset, verorum autem & legitimorũ vel nullam vel certe per quam exiguam fecisset mentionem: & eo magis quod ipsemet affirmat de iis, quos recensuit, nihil ambigi. Quæ cum ita sint, in judicio de veris Aristotelis libris faciendo dico & contendo Ciceronem & Laertium in primis sequendos esse: Deinde reliquos omnes veteres & doctos viros, & quisq; minime videtur agnoscere istam, quæ nunc in usu est, Philosophiam Pseudaristotelicã. Quanto vero quiq; in ea diutius versati & volutati sunt, hoc est, magis Pseudophilosophi evaserunt, tanto eos pronuntiamus ad judicium de veris Aristotelis libris faciendum, & legitimam ejus doctrinam discernendam minus esse idoneos: Propterea quod habent naturale judicium, & sensum communem quasi necessario corruptum, ex assidua lectione & meditatione falsitatum & mendaciorum, quibus Dialectica pene tota, & Metaphysica magna ex parte referta est, & quæ à nobis supra fuerunt refutata. Quorum cum tam cæci & exoculati fuerint, ut ne unum quidem unquam potuerint videre: quid mirum est, si in discernendis & dijudicandis Aristotelis libris tantopere cæcutiunt & hallucinantur? In numero autem Pseudophilosophorũ, non solũ repo-

reponimus omnes Aristotelis Interpretes tam Græcos quam Latinos & Arabas, sed etiam ipsum Aristotelem, quem habemus in Dialecticis & Metaphysicis, & in magna parte librorum naturalium: neq; Galenum à Pseudophilosophorum numero eximimus, ubicunq; Dialecticum aut Metaphysicum agit, & Aristotelem istum Archidialecticum & Arithmetaphysicum admiratur. Quibus ita præmissis tanquam fundamentis totius futuræ probationis nostræ

(Conferendi Franc. Patritius & Petrus Ramus)

de libris Aristotelis, primum hoc proponimus, Eos hoc modo, quo nunc habentur, nequaquam vere esse Aristotelicos, nec ab Aristotele vero ita compositos, sed ab alio quopiam ex veris Aristotelis libru magna ex parte extractos, & in has Epitomas & & compendia, qua nunc extant, redactos. multis tamen additis, detractis, & mutatis, prout placuit ei, qui eos contraxit: ut non veram & germanam, sed spuriam & adulterinam Aristotelis doctrinam hoc tempore habeamus. Deinde verisimiliter credendum esse, Authorem illum, qui has epitomas & compendia scriptorum Aristotelis confecit, fuisse non Theophrastum, non Eudemũ, non Theodectẽ, non alium quempiam ex discipulis Aristotelis, sed Nicomachum ejus filium, ut cum ex aliis multis tum maxime ex Cicerone, Laertio, & Suida sumus probaturi. Quorum utrunq; ita esse, ut dixi, nunc multis validis argumentis & authoritatibus probare incipiam, si prius admonuero lectores, *adulterinam istam Aristotelis Bibliothecam non à pluribus nec à diversis, sed ab uno eodemq; authore totam videri, ita ut nunc est, fuisse factam*, partim propter similitudinem dogmatum & sententiarũ, quæ inter se consentiunt, partim propter citationes librorũ & locorum, qui passim concordant, partim deniq; quia Pseudophilosophi omnes ita esse sine ulla dubitatione confitentur. Ut Bibliotheca ista, quemadmodum dixi, non à pluribus nec à diversis, sed ab uno eodemq; authore composita esse pro certo sit putanda. Quam ob causam fit, ut qui unum ex illius libris non vere Aristotelicũ esse probat, is omnes esse adulterinos & subditicios probare videatur. Quo sic constituto, primum ostendo duos ex istis libris *non vere esse Aristotelis patris sed Nicomachi filii*, hoc est, *volumina decem Ethicorum Nicomachiorũ, & octo libros Physicorũ* sive de Physica auscultatione, ut istis duobus refutatis, reliqui omnes, vel me tacente, nõ possint videri non esse refutati: Deinde reliquas authoritates & argumenta ad idẽ pertinentia subjungam. Ab Ethicis igitur Nicomachiis incipiens, dico librum non vere esse Aristotelicum, *idq; probo primum authoritate Ciceronis in V. de*

(Cicero hic duo dicit, primum communem esse sententiam quod sint Aristotelis, deinde non negat esse Aristotelis, sed saltem conjicit, posse fortasse esse filii. Hæc vero à possibili conjectura communi illorum quoq; temporum sententiæ nihil præjudicare debet.)

Finibus, ita scribentis, Quare teneamus Aristotelem & ejus filium Nicomachum, cu-

jus

jus accurate scripti de moribus libri dicuntur illi quidem esse Aristotelis, sed non video, quare non potuerit patri similis esse filius. Hæc sunt verba Ciceronis, quibus non solum confirmat Ethica Nicomachia vere esse Nicomachi, sed tacite reprehendit & refutat omnes eos, qui contra sentiunt, dum ait, Sed non video cur non potuerit patri similis esse filius, Quasi irridens & vituperans illos, qui relicta operis inscriptione & titulo ex sola phrasi & stylo libros à propriis authoribus abjudicandos, & Aristoteli adjudicandos censebant. Erant enim tempore Ciceronis Ethica illa sine ulla dubitatione inscripta Nicomacho, alioqui nunquam Cicero ea Nicomachi esse non Aristotelis affirmasset At enim M. Antonius Majoragius in suis illis contra me blaterationibus ait, id à Cicerone nulla probabili ratione confirmari, sed quadam tantum conjectura proponi. Quibus quidem verbis Majoragius etiam si nihil aliud unquam adversus Ciceronē scripsisset, nisi hoc, tamen satis sese ostendisset erga Ciceronem pessime animatū esse, & verissime à nobis in Antapologia nostra appellatum fuisse Ciceromastigē. Nā ego à te Majoragi, vere Ciceromastix, quæro quā probabilē rationē ejus rei à Cicerone afferri volebas? an nō videbat Cicero inscriptionē libri? an non græce legere sciebat? an non æque bene sicut tu elocutionē & phrasim scriptorum Aristotelis dignoscebat? sed quænam alia poterat à Cicerone major afferri ratio ad probandum Ethica Nicomachia esse non Aristotelis sed Nicomachi, quā quod erant inscripta nō Aristoteli sed Nicomacho? & non Aristotelis sed Nicomachi nomē titulumq; præ se ferebant? certe nulla. Nisi forte tu, ut es impudentissimus, dicere audeas inscriptionē illā non fuisse verā, sed à Cicerone fictam & simulatā: & nisi rursus, ut es arrogantissimus, persuadeas tibi, scripta Aristotelica ex stylo & phrasi melius & verius à te dignosci potuisse, quam à Cicerone: quorum neutrum à vanitate ingenii tui, ac temeritate, est alienum. Neque solum Cicero, sed etiam Laertius Diogenes apertissime comprobat Ethica Nicomachia non Aristotelis esse sed Nicomachi, cum & in catalogo librorum Aristotelis, nullam hujus operis faciat mentionem, & in vita Eudoxi dicat, eum ex sententia Nicomachi putasse voluptatem esse summum bonum: quæ opinio manifeste in decimo Ethicorum Eudoxo tribuitur Ut omittam interim Suidam, qui ipse quoq; libros de moribus à Nicomacho scriptos testatur. Et ut ne commemorem *pene tres totos libros ex Ethicis ad Eudemum, hoc est, quintum, sextum, & septimū, in hac Ethica Nicomachia, ad verbū translatos esse.* Ut talis & tanta repetitio verborum nequaquam ab Aristotele ex libris suis, sed à filio ex scriptis vel patris sui vel condiscipuli facta fuisse merito sit putanda. Nam per Deos immortales, quæ tanta fuisset Aristotelis impudentia, ne dicam stultitia, ex libro vel suo ipsius vel discipuli sui, tria tota volumina in alterum librum suum transferre? & tantum

non

non ſolum verborum, ſed etiam ſententiarum earundem facere repetitionē? Profecto qui putant & affirmant hoc ab Ariſtotele factum fuiſſe, ii Ariſtotelē magnæ cujuſdam impudentiæ ac ſtultitiæ condemnant. Ex quibus omnibus concludo Ethica Nicomachia non ab Ariſtotele patre, ſed à Nicomacho filio ex libris patris magna ex parte fuiſſe extracta, & eo modo, quo nunc extant, compoſita. Nam quod Majoragius Ciceromaſtix contrarium ſentiens ait, non *potuiſſe Nicomachum Platonis amicum eſſe*, ut dicitur in Ethicis, cum

(Acutahæc Majoragii objectio eſt, cui nihil ſolidi Nizolius opponit. Nam cū Cicero Terentiū ſuum familiarem vocat, tropicè loquitur, & librum intelligit. Quod in autorem Ethicorum non quadrat, ſi enim Platonem amicum vocaret, tantum ob libros ejus ſibi charos, non eſſet cur amore veritatis crimen violatæ amicitiæ excuſaret. Amicitia enim inter hominem & librum vera nulla eſt.)

conſtet ex hiſtoriis Ariſtotelem Platone vivo filios non ſuſcepiſſe: mirum quam eſt Majoragianum, hoc eſt, ſtultum & ineptum, quaſi non poſſit aliquis eſſe amicus alicujus etiam mortui: & quaſi Cicero non appellet Terentium familiarem ſuum, quamvis aliquot ſeculis ante vita functum, Sed de libris Ethicorum ſatis, quos nemo putare poteſt vere eſſe Ariſtotelicos, niſi qui nihil prorſus credat Ciceroni, & plane turpiſſimus ſit Ciceromaſtix, quemadmodum eſt Majoragius. Quo ſic probato, quamvis reliqua Ariſtoteli inſcripta opera ſtatim probentur non vere eſſe Ariſtotelica: propterea quod ab eodem omnia authore ſcripta conſtat, ut ſupra dixi, tamen alia etiam argumenta & authoritates quibus idem probatur, hic ſubjungam: ut velint nolint, qui contrarium ſentiunt, reliquos libros Ariſtoteli inſcriptos non vere Ariſtotelicos, ſed potius Nicomachios eſſe fateri cogantur. Atq; in primis octo libros Phyſicorum ſive de phyſica auſcultatione, nam neq; horum Laertius in deſcriptione librorum Ariſtotelis meminit: & Suidas aperte dicit Nicomachum ſcripſiſſe περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, hoc eſt, de Phyſica auſcultatione patris ſui: ex quo manifeſtæ intelligitur, octo libros de Phyſica auſcultatione ſive Phyſicorum, non Ariſtoteli ſed Nicomacho eſſe tribuendos. Et eo magis, quod ſi Ariſtoteles eorum librorum verus fuiſſet author, *nunquam ipſos inſcripſiſſet*

(Hoc perinde eſt ac ſi quis argutaretur nullum præceptorem debere libellum conſcribere de diſciplinis, ſed de doctrinis; quia doctrina ſit præceptoris, diſciplina diſcipuli. Eadem ratione nec *Acroamaticos* libros ſuos appellare debuiſſet.

de Phyſico auditu, cum talis inſcriptio non Ariſtoteli patri, qui docebat filium, ſed Nicomacho filio, qui patrem audiebat, & ab eo diſcebat, convenire videatur. Quis enim, niſi ſtultus & ineptus Pſeudophiloſophus, credere aut ſibi perſuadere poſſit, librū ſuum ab Ariſtotele præceptore de Phyſica auſcultatione fuiſſe in ſcriptum? certe nemo. Nec dubitandum eſt quin Nicomachus patrem ſuum audiverit, ejuſque diſcipulus fuerit, cum Suidas dicat, eum ſcripſiſſe libros de Phyſica auſcultatione patris ſui: quomodo enim fuiſſet patris ſui, ſi patrem ſuum nunquam audiviſſet? Atque ita jam ſatis conſtat decem libros Ethicorum, & octo Phyſicorum, hoc eſt, duo primaria Ariſtotelis hujus neoterici volumina, tanquam Ariſtoteli falſo inſcripta, ab Ariſtotele ad Nicomachum authorem verum eſſe transferenda. Quæ ſi vera ſunt, ut certe ſunt, non poſſunt reliqua quoque Pſeudariſtotelis

ſtotelis hujus ſcripta, cum ab uno & eodē authore omnia videantur eſſe elucubrata, non & vere eſſe & recte appellari Nicomachia. Quod quanquam ita ſit, tamen afferamus etiam reliquas probationes, ut omnem dubitationem hac de re cupientibus ſcire veritatem adimamus. *Galenus in libello de libris ſuis loquens de Prioribus & Poſterioribus Analyticis ita inquit, Inſcribunt autē hos omnes fere hodie Priorum Analyticorum, quemadmodum illos de Demonſtratione Poſteriorum Analyticorum, Ipſe ſane Ariſtoteles illorū tanquam de ſyllogiſmo horū tanquam de Demonſtratione meminit.* Ex quibus Galeni verbis manifeſte oſtenditur inſcriptionē utrorunq; Analyticorum eſſe ſubdititiam, & non vere Ariſtotelicam: nam cum ait, Inſcribunt autem hos omnes fere Priorum Analyticorum, quemadmodum illos de demonſtratione, Poſteriorum Analyticorum: ita loquitur Galenus, quaſi Analytica Priora & Poſteriora non ab Ariſtotele ipſo ſed ab alio quopiam ita fuiſſent inſcripta, *& quaſi non eadē Analy-*

(Hoc nō dicit Galen. & ſi diceret, quam facile in homine tam Polygrapho ἁμάρτημα μνημονικόν? Credo etiam nunc multos viros doctos eoſque Ariſtotelis lectores ex tempore interrogatos, non ſatis certo reſpondituros, quomodo Ariſtoteles alios libros ſuos citet. Et arbitror ipſum Nizolium ignoraturum fuiſſe, niſi ex ſcriptis aut indicibus aut obſervationibus aliorum in Ariſtotelem, quæ tempore Galeni aut raræ aut exiguæ erant, didiciſſet.)

tica multis in locis iſtorum Ariſtotelis librorum ab eodem Ariſtotele citata reperiantur, ut in primo Rhetorices, in ſexto Ethicorum, in ſeptimo Metaphyſicæ, & in aliis locis. Quare neceſſe aut iſta alia Ariſtotelis inſcripta opera nunquam à Galeno fuiſſe viſa aut lecta, aut ſi viſa & lecta fuerunt, non fuiſſe agnita pro Ariſtotelicis. Nam ſi agnoviſſet, cur ita loqueretur, quaſi neſciret Analytica Priora & Poſteriora ab Ariſtotele ipſo multis in locis horum, quos nunc habemus, librorum citari? Certe hoc magnum eſt argumentum, libros iſtos non vere Ariſtoteleos eſſe, cum ex ſententia Galeni inſcriptionem habeant non ab Ariſtotele ipſo, ſed ab aliis neſcio quibus additam. Huc accedit quod Laertius Priorum Analyticorum libros novem, Poſteriorum autē majorum duos ab Ariſtotele editos refert, ut in Prioribus ſeptem librorum, in Poſterioribus vero majorū additio manifeſtam oſtendat librorum iſtorum, ut ita dicam, illegitimitatem. Nec quicquam obſtat, quod Galenus ipſos libros bene multis & longis cōmentariis explicarit, ut ipſe refert, cū nō minus ipſe quā reliqui omnes Analyticorum Interpretes, deceptus & infatuatus fuerit falſa opinione veritatis atq; utilitatis iſtorū librorum: ut manifeſte apparet ex iis, quæ nos ſupra contra hos ipſos libros diſputavimus. Quibus cum viderimus aliquem recte reſpondentem, tum demum putabimus non Galenū nec Interpretes illos, ſed nos ipſos deceptos infatuatoſq; fuiſſe. Nec in tribus libris Rhetorices, qui maxime putantur Ariſtotelici, minor eſt ambiguitas & dubitatio quàm in Analyticis. In primo enim eorum diſerte legitur, ab eis, qui artes Rhetoricas ante tradiderant, nihil de Enthymematibus ſcriptum fuiſſe. Quod ſi verum eſt, neceſſe eſt, aut Ariſtotelem aperte falſum dicere: aut libros illos Rhetorices, non ſolum ante

Aristotelis, sed etiam ante Platonis ætatem fuisse editos, & ita non posse esse Aristotelicos. Nam Plato in Phædro aperte testatur de omnibus Rhetoricæ partibus ætate sua jam scriptum fuisse, hoc est, de Procœmio, de narratione, de testimoniorum assertione, de conjectura, de verisimilibus, de probatione, de approbatione, de accusatione, de defensione, de geminatione redargutionis, de subdeclarationibus, de collaudationibus, de vituperationibus. Neq; solum de his omnibus suo tempore scriptum fuisse affirmat Plato, sed etiam Scriptores de Rhetorica nominat: ut Theodorum Byzantium, Evenum Parium, & alios quosdam. Ex quibus Platonis verbis citra omnem dubitationem probatur multo ante tempora Aristotelis, & de enthymematibus & de omnibus aliis Rhetoricæ partibus, à non paucis scriptum fuisse: ut necesse sit aut Aristotelem verum non dixisse, aut quempiam alium ante Aristotelis ætatem tres illos Rhetoricæ libros edidisse. Quorũ utrum velint accipiant, qui contra sentiunt, non possunt non concedere in istis libris maximam esse dubitationem & ambiguitatem. Præterea Quintilianus in quinto, ubi de argumentis disputat refert, Aristotelem in secundo de arte Rhetorica libro de multis rebus differuisse, ut divitias quid sequatur, aut ambitum, aut superstitionem, quid boni probent, quid mali petant, quid Milites, quid Rustici, quoq; modo res vitari aut appeti soleat. Quorum quidem fere nihil in hoc secundo quem habemus Rhetoricæ Aristotelicæ libro legitur, ut non possit non aut hic liber esse mancus & mutilus, aut Quintilianus falso referre, ea ab Aristotele scripta, quæ scripta apud eum non reperiuntur. Quorum utrumlibet concedatur, dura omnino res est. Petrus Victorius Aristotelis Interpres putat Quintilianum falso ea, quæ ibi non tradantur, nominare. Ego vero Victorium vehemẽter decipi arbitror, & Quintilianum veros Aristotelis libros legisse, nos vero legere mancos & magna ex parte subditicios: atq; hinc fieri, ut non omnia, quæ Quintilianus refert, in his libris reperiantur. Nam quod ait Victorius, in eo libro nullum hiatum apparere, sed contra omnia mirabiliter continuata, non est verum, cum multa sint capita ita à superioribus & inferioribus diversa, ut ea, quæ dicit Quintilianus, commodè potuerint interseri. Sed Victorius more suo ubicunq; apud Aristotelem & alios authores Græcos reperit aliquid vitii, libenter id, si potest, quo jure quave injuria ad Latinos refert. Sed ut redeam ad libros Rhetorices, ex hoc etiam subindicatur eos non vere esse integros, quod nonnullis in locis legitur, ὡς εἴρηται, nec tamen de ea re quicquam antea in ipsis reperitur scriptum. Quin etiam de libris Metaphysicæ multo magis dubitandum est, quàm de illis, quos supra diximus, an vere sint Aristotelici & synceri nec ne, idque non tam quod Laertius eos non nomi-

nominat, quam propter alias causas. Ac primo quia primus liber est duplicatus, quorum alter ἄλφα τὸ μεῖζον, alter ἄλφα τὸ ἔλαττον, inscriptus est, Sed quæ (malum) fuisset ista Aristolis dementia, si verus hujus libri esset author, facere duos primos Metaphysicæ libros ? Et eo magis, quod is qui secundo loco positus est, & minor dicitur, nullam cum majore videtur habere similitudinem. In majore enim de rebus Metaphysicis sermo est, in minore autem de Physicis, unde in ejus principio ita scriptum est, ἕκαστον λέγειν τι περὶ τῆς φύσεως, in fine autem ita, διὸ σκεπτέον πρῶτόν τί ἐστιν ἡ φύσις, Ex quibus verbis manifestum est, primum illum minorem librum non inter Metaphysicos, sed inter Physicos esse numerandum, & proponendum in fronte secundi libri Physicorum, ut recte probat Franciscus Beatus Venetus in expositione sua Proœmii secundi Physicorum libri. Atque ut ille ait, valde mirum est, quonam pacto tot Interpretes Græci, Latini, & Arabes usque adeo fuerint cæci, ut nemo illorum unquam animadverterit primũ illum minorem librum non cum Metaphysicis sed cum Physicis esse numerandum, & secundo Physicorum, ut dixi, præponendum. Quod cum propter imperitiam & judicii perversitatem nunquam videre potuerint, nihil mirum est, si stulte etiam crediderunt istam Metaphysicam, non solum vere esse Aristotelicam, sed etiam scientiam & veram & necessariam, quemadmodum illi dicunt, ad perficiendum intellectum nostrum ut divinus est, & ad probanda principia aliarum scientiarum. Quæ nos omnia in superioribus merito tanquam fatua & plusqãu puerilia derisimus. Ne quicquã hic cõmemorẽ de incerto numero librorum Metaphysicorum : Nam Metaphysici Latini vetustiores, ut Albertus, Thomas, Scotus non nisi duodecim unquam legerunt : in Exemplaribus Græcis reperiuntur quatuordecim : nec desunt, qui viginti quatuor Metaphysicorum libros de Aristotele compositos fuisse asserant : ut etiam ex incertitudine veri eorum numeri, nemo eos vere synceros & legitimos possit affirmare. Præsertim cum, ut supra docuimus, Metaphysica sit magna ex parte falsa, & tota pene supervacua vel impertinens. Atque ut prætereamus etiam Plinium, qui libros quinquaginta de Animalibus ab Aristotele scriptos affirmat, cum tamen nos hoc tempore non nisi decem & octo habeamus, & hos ipsos etiam non satis incorruptos. Nam in exemplaribus græcis uno plures habentur, & non eodem ordine, si quidem Theodorus Gaza eum qui totius Historiæ de animalibus ultimus erat positus, in septimum locum transtulit: ut ex hoc etiam non obscure intelligi possit insynceritas horum librorũ. Sed ne omnes falso Aristoteli inscriptos libros singillatim persequar ex his paucis, quæ supra ostendi, non vere esse Aristotelicos, de cæteris omnibus

judiciũ fieri facile poteſt, eos quoq; non vere ab Ariſtotele fuiſſe cõſcriptos. Nam cum omnes, aut ante dictũ eſt, ſine dubio ab uno & eodẽ authore ſcripti eſſe videantur, qui unum ex eis vel duos refutat, is omnes prorſus refutaſſe eſt exiſtimandus. Atq; hac una ratione proſternuntur omnes rationes & probationes Majoragii, quibus confirmare & probare nititur, iſtos libros ſingillatim vere eſſe Ariſtotelicos. Nam authores illi quos ſequitur, & quibus nititur, hoc eſt, Alexandri, Ammonii, Simplicii, Themiſtii, Philoponi, Magentini, & reliqui omnes hujuſmodi Interpretes Ariſtotelici, omnes inquam prorſus ſunt Pſeudophiloſophi, hoc eſt, imperiti & judicio carentes. Qui cũ tanquam cæci & prorſus, ut ita dicam, inſenſati, ex tot tantiſque erroribus Ariſtotelis, quot & quantos nos ſupra deteximus & refutavimus, ne unum quidem unquam videri potuerint, quid mirum eſt, ſi in recipiendis & approbandis non veris Ariſtotelis libris, tantopere cæcutiviſſe, ac prorſus à vero aberraſſe reperiuntur? Nec Galeno in judicandis his libris multo plus fidei adhibendum eſt, quam Interpretibus illis, cum ipſe quoque, licet recipere videatur alios libros Dialecticos tanquam Ariſtotelicos, tamen, ut ante dixi, refutat titulum atq; inſcriptionem omnium Analyticorum. Quibus refutatis omnes alii, in quibus Analytica citantur, manifeſto probantur non eſſe Ariſtotelici. Quare Majoragius in probando hos libros vere eſſe Ariſtotelicos, prorſus imperite & fruſtra utitur authoritate non ſolum Interpretum Græcorum, ſed etiam Galeni: cum non minus ipſe Galenus quam Interpretes tam in recipiendis his libris quam in approbanda eorum doctrina turpiſſime fuerit deceptus. Præterea idem Majoragius eadem imperitia ad confirmandos ſingulos Ariſtotelis hujus libros, ex aliis ejuſdẽ libris ſubinde citationes affert, cum illis conſentientes: non animadvertens ex citationibus illis non probari libros iſtos vere Ariſtotelis eſſe, ſed tantum omnes ab uno & eodem authore fuiſſe compoſitos: ſed nos quoq; hoc concedimus, ut ſupra dictũ eſt. Atq; ita reſpondemus omnibus illis Majoragii ſtultis & vanis confirmationibus, & viciſſim contra illum aſſerimus aliquot Ariſtotelis ſententias prorſus contrarias iis, quæ nunc reperiuntur à Cicerone & aliis quibuſdam Scriptoribus antiquis proditas, quibus ille nunquam reſpondere poterit, nec defendere quomodo Veteres illi, non alios prorſus Ariſtotelis libros habuerint ab his, quos nunc legimus, non ſolum titulis ſed etiam ſententiis longe diverſos: ut illum, quem Cicero citat in primo de Natura Deorum, ita ſcribens, Ariſtoteles quoq; in tertio de Philoſophia libro multa turbat à magiſtro Platone diſſentiens, modo enim menti tribuit omnẽ divinitatem, modo mundũ ipſum Deum dicit eſſe, modo quendam aliũ præfecit mundo, eiq; eas partes tribuit,

ut

ut replicatione mundi quadam motum regat atq; tueatur, *tunc cæli ardorem*

(Hoc non nisi imperiti Aristoteli tribui posse, quod Deum dixerit ardorem cœli recte contra Ciceronem admonuit *Iul. Cæs. Scalig.* Exercit. de subtil.)

Deum dicit esse, non intelligens cælum mundi esse partem, quem alio loco ipse designarit Deum. Item illum, in quo legerat Cicero, id quod refert in secundo de Natura Deorum, nempe animalia, ex Aristotelis sententia, in igne generari: & id quod scribit in Tusculanis Quæstionibus, cũ Entelechiam interpretatur, continuatã & perennẽ motionẽ. Et postremo illum, in quo Aristoteles memoriæ prodidit, Tantũ esse vacui extra mundũ, ut respirare cælũ possit, utiq; quod sit igneũ: ut & Plutarchus in libro περὶ ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις, & Galenus περὶ φιλοσόφου ἱστορίας referunt. Quæ opiniones omnes, quamvis pro Aristotelicis citatæ à talibus & tantis viris, tamen ab hoc Aristotele, quem nunc habemus, & ab ejus scriptis ac dogmatibus tam sunt alienæ, quam ab aqua ignis, & à tenebris lux. Quare si Aristoteles ille, quẽ Cicero & Plutarchus & Galenus legerunt, fuit verus, ut certe fuit, noster hic nõ verus & adulterinus sit necesse est. Verum autem fuisse Aristotelem illum, quẽ Cicero & Plutarchus legerunt, ex eo vel maxime licet intelligere, quod tertius ille de Philosophia liber Aristotelis, qui à Cicerone citatur, est unus ex tribus illis de Philosophia libris, quos Laertius vel in primis inter libros Aristotelis refert, & quod Plutarchus ut supra diximus, testatur indicem librorũ Aristotelis suo tempore circunferri solitum, ut dici non possit veros Aristotelis libros ab eo fuisse ignoratos. Ex quibus omnibus, quæ hactenus à nobis dicta sunt de veris & non veris Aristotelis libris, contendimus Ciceroni & Laertio & Plutarcho, ubi de veris Aristotelis libris quæritur, magis credendũ esse, quã omnibus Pseudophilosophis: & in summa libros omnes, qui nostris temporibus sub Aristotelis nomine leguntur, nõ vere esse Aristotelicos, hoc est, ab Aristotele illo Alexandri Magni & Theophrasti præceptore, tantopere laudato, nõ vere cõpositos, sed ab alio quopiam ex veris ejus libris extractos, & in has Epitomas ac Compendia, quæ nunc habemus, redactos: multis tamen additis, detractis, & mutatis, prout placuit illi, qui eos ita contraxit. Non veros autem libros Aristotelis hos esse, sed epitomas & compendia librorum Aristotelicorum facile probatur, partim ex quadraginta libris illis Aristotelis de Animalibus, quos refert Plinius in libro septimo Historiæ Naturalis, qui ad decem & octo vel decem & novem redacti fuerunt, ut nunc habentur: & ex illis triginta octo Physicorum Aristotelis secundum elementa, quæ referuntur à Laertio, ex quorum contractione verisimillimum est, hos octo Physicorum, qui nunc extant, libros fuisse factos: partim ex novem illis Priorum Analyticorum à Laertio commemoratis, quos nunc videmus ad duos tantum esse contractos;

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [409] - 341 PUBLIC DOMAIN

partim deniq; ex libris Ethicorum Nicomachiorum, quos constat fuisse quasi corrogatos, partim ex libris Magnorum Moralium Aristotelis : partim ex Ethicis ad Eudemum, ex quibus, ut supra diximus, pene tres libri toti, hoc est, quintus, sextus, & septimus in Ethica Nicomachia ad verbum fuerunt translati. His itaq; conjecturis & argumentis non dubitamus libros hos Aristotelis, qui nunc extant, non vere ita ut sunt, ab Aristotele compositos fuisse, sed à quopiam alio ex veris Aristotelis libris contractos in has epitomas & compendia, quæ nunc habemus. De quorũ authore dubitari non potest, quin is fuerit Nicomachus Aristotelis filius, cum ut supra diximus & probavimus, ab eodem & libri decẽ Ethicorum Nicomachiorum, authore Cicerone & Laertio, & libri octo Physicorum sive de Physica auscultatione, teste Suida, fuerint compositi. Atq; ita constat omnia, quæ à nobis supra proposita fuerunt probanda, jam satis esse probata, hoc est, & libros istos Aristotelis, quos nunc legimus, non vere esse Aristotelicos, sed potius epitomas & compendia quædam librorum Aristotelis, quorum author fuerit Nicomachus. Quod autem sub junximus multa in eis fuisse addita, detracta, & mutata, id necesse est confiteri, propter duplicitatem librorum, & contrarietatem sententiarum Aristotelis, quæ passim in libris veterum manifesta reperitur : nec aliunde potuit oriri, nisi ab eo, qui libros Aristotelis contraxit, & ex simplicibus duplices fecit : subinde aliquid de suo addens vel detrahens vel mutans ubicunq; in exemplaribus Aristotelis, vel non intellectis, vel male descriptis, vel non recte collatis, aliquid deesse vel superesse vel non recte aliquo modo se habere arbitrabatur. Qua opinione de duplicibus Aristotelis libris, contrariisque illorum sententiis confirmata facile respondetur ad omnia, quæ in scriptis & doctrina illius videntur contraria : nec difficulter defenditur Cicero à calumniis quorundam, in quibus sunt & Argyropylus Byzantius & Gulielmus Budeus, qui audent dicere illum fuisse aut tam improbum, ut Aristoteli tribuerit opiniones quæ ejus non sint, aut tam imperitum linguæ græcæ, ut nescierit quid significaret entelechia, quam ajunt non recte ab eo expositã fuisse continuatam motionem & perennem. Nam per Deos imortales quid mirum est, si Cicero alias interdum Aristotelis sententias profert, & aliter ejus verba atq; Interpretes Græci faciunt, exponit ? cum alium Aristotelem agnoscere alios ejus libros legisse fere ubiq; videatur ? Itaq; non Cicero improbus aut imperitus linguæ græcæ, sed ipsi nebulones & inepti, qui duplicem hanc Aristotelis Bibliothecam, & maximam inter utranq; discrepantiam non animadverterunt. Eademque ratione respondetur iis, qui damnant Ciceronem, eo quod Topica sua ab Aristotele, ut ipsemet fatetur, extracta, tamen longe

aliter

aliter atq; Aristotelis scripserit, & multa prætermiserit vel addiderit, quæ, ut ipsi dicunt, non erat prætermittenda vel addenda. Cui objectationi nos breviter respondemus: imo illum, qui hæc Topica quæ nunc habemus, scripsit, vehementer errasse, eo quod illa longe aliter tradiderit, quam Aristoteles ille, quem secutus est Cicero. Nam Topica illa Aristotelis, ex quibus Cicero sua Topica transtulit, erant vera: cujus rei signum est manifestissimum, quia quæ ab illis Cicero desumpsit, & in Topica sua traduxit, sunt vera: quæ vero scribit adulterinus ille Topicorum Aristotelicorum author, majore ex parte falsa reperiuntur, ut à nobis supra probatum est in capite de libro Topicorum. Sed jam finem huic capiti imponam si breviter hic subjecero inscriptiones quorundā capitum ad incertitudinē librorum Aristotelis pertinentium, quas Jo. Franciscus Picus Mirandula in quarto libro Examinis sui Vanitatis doctrinæ gentium scriptas reliquit. Quarum hæc est prima.

Probatur multipliciter incertum esse an ullum habeamus librum cujus exemplaria vere fuerint ab Aristotele composita. Cap. Quartum.

Quod & si aliquos etiam habeamus libros, qui juste atq; legitime inscribantur Aristoteli, incertum nihilominus esse: utrum eis in libris aliquid sit, quod syncere sit Aristotelis, nec internosci posse quid ejus proprium quid alienum.

CAPUT SEPTIMUM.

De Platone, Aristotele, Galeno, Porphyrio, & de omnibus Aristotelis Interpretibus Græcis, Latinis & Arabibus breviter quid sentiendum recte philosophaturis.

QUicunq; recte philosophari cupiunt, ante omnia oportet eos non ignorare, sed vere scire ac recte tenere, quid sentiendum sit de veteribus Philosophis, præsertim nobilioribus, & quorum scripta magis in manibus hominum versantur: ut de Platone, de Aristotele, de Galeno, & de omnibus Aristotelis Interpretibus, non solum Græcis, sed etiam Latinis, & Arabibus. Nam horum scripta quoq; fere ab omnibus Latinis, qui hodie philosophantur, non in postremis versari & legi solent: reliquorum autem Philosophorum dogmata, ut Epicureorum, & Stoicorum, & aliorum non multum refert, etiam si plane ignorentur, quia non multum sunt in usu. Hæc autem cognitio, quam dixi, plurimum afferet utilitatis & emolumenti

lumenti omnibus recte philosophaturis, ad discernendos veros Philosophos à Pseudophilosophis, & omnino ad veritatem investigandã recteq; philosophãdum. Nam qui discunt præsertim juniores & adolescentiores, qui de magnis viris nondum recte judicium facere possunt, sæpenumero non minus credunt nominibus & authoritatibus eorum, de quibus bonam aliquam conceperunt opinionem, quamvis falsissimã, & quos putant fuisse viros doctissimos & magnos Philosophos, quam rationibus veris argumentis, quamlibet firmis & validis aliorum, de quibus non ita bene sentiunt. Quo fit ut malint cum illis quos probant, licet non optimis, errare ac decipi, quam cum aliis licet doctis, sed de quibus non ita egregie sentiunt, bene sentire & verum discere, atq; ita in errores sæpenumero inducuntur maximos. Quos quidem errores ut vitare posthac possint Philosophiæ candidati, de omnibus iis, quos dixi, quid sentiendum sit, & quantum authoritatis unicuiq; in philosophando tribuendum, quam breviſſime & veriſſime potero hic explicabo: atq; à Platone tanquam à vetustiore & nobiliore incipiam. De Platone igitur & scriptis ejus verum, ut putamus, judicium facientes, sentimus & dicimus, & aliis sentiendum dicendumq; suademus: neq; quemadmodũ Georgius Trapezuntius, qui malignissime & procaciſſime tanto viro obtrectans in comparatione Aristotelis & Platonis, usque adeo Platonem inique deprimit, & ei impudenter maledicit, ut si omnium, & qui nunc sunt & qui unquam fuerunt, hominum pessimus imperitissimusq; fuisset. Neq; rursus quemadmodum M Cicero, qui prorsus contra atq; Trapezuntius Platonem suscipiens modo principem modo Deum appellat Philosophorum, & eum deniq; tantum non in cælum tollit. Non inquã de Platone sic extrema sentimus ut hi duo quamvis magni viri fecerunt: neq; enim tam malus & imperitus vir fuit Plato, ut Trapezuntius calumniatur, neque rursus tantus tamq; admirabilis philosophus extitit, ut asserit Cicero: sed mediam quandam, & ut opinamur, veriorem viam tenentes ita judicamus: Platonem summum in literis maximumq; virum fuisse, sed in literis magis oratoriis & poeticis quàm philosophicis. Nam cum ejus scripta attente lego & diligenter considero, præsertim ea, in quibus de Republica & de Legibus loquitur, item ubi de animorum nostrorum immortalitate verba facit, planè non mihi Philosophum aliquem, aut veritatis inventorem, sed maximũ quendam Oratorem aut Poetam prosaicum legere videor. Quid enim per Deos immortales, quid inquam magis alienum à Philosopho & veritatis indagatore quam cõmunio illa mulierum, liberorum, bonorumq; omnium, quam statuit in V de Repubiica? Quid idem minus conveniens vere philosophanti & veritatem investiganti, quam μετεμψύχωσις, hoc est, transmigratio illa,

quam

quam vocant animarum noſtrarum, modo in vulpes, modo in aſinos, modo in lupos, modo in alias quaſdã beſtias, quæ ab eo traditur in Phædone? ut omittã interim Ideas illas ſeparatas, & alia multa Paradoxa, quæ omnia ſi conſiderẽtur, ut ab Oratore vel à Poeta quopiam dicta, Dii boni quam ſunt ingenioſa, quam erudita, quam delectantia Lectores: omnino nihil mihi aut magis oratorium aut magis poeticum videtur poſſe excogitari. Si vero eadem ut à Philoſopho, hoc eſt, ut ab inveſtigatore & inventore veritatis prolata, perpendantur, Deum immortalem, quam mendacẽ, quam ineptum præſeferunt Philoſophum authorem. Eſt apud Platonem Dialogus, cui Sympoſio nomen eſt, quo nihil mihi videtur fieri potuiſſe neq; magis oratorium ad dicendum, neq; magis poeticum ad fingendum, neq; magis ſuave ad delectandum: verum idẽ ſi legatur à Philoſopho & à veritatis inveſtigatore factum, nihil neq; à Philoſopho neq; à veritate reperietur magis alienum. Itaq; ſi quis mihi quamlibet excellenter laudet Platonem vel tanquam Oratorem vel tanquam Poetã proſaicum, libentiſſime concedam: *ſi vero ut magnum Philoſophum & veritatis indagatorem, non ita libenter aſſentiar*: eo quia multis in Dialogis ſuis cum bene diu de aliqua re diſſeruit, quamvis ſemper copioſe & diſerte, tamen ad extremum à ſe dimittit lectorẽ magis dubium & ambiguum quam acceperat: & propterea iis, qui copioſe, diſerte & ornate loqui ac ſcribere cupiunt, utiliſſima eſt Platonicæ orationis aſſidua lectio & imitatio: abundat enim ubiq; & verbis lectiſſimis, & ſententiis graviſſimis, & omnibus aliis ornamentis orationis. Quod cum bene intelligeret Cicero, Platonem frequenter habebat in manibus, & de eo illud ſcriptum reliquit in libris de Oratore, Plato mihi in irridendis Oratoribus ipſe ſummus Orator videtur. Quare iis, qui recte philoſophari cupiunt, Platonem quidem cenſeo frequenter legendum, ſed ut ab eo magis copioſam & ornatam orationem facere, & Poetarum modo fingere ſuaviter diſcant, quam more ſapientum Philoſophorũ veram rerum naturam inveſtigare & perſcrutari. Ac de Platone quidem & deſcriptis ejus ita ſentimus, & omnibus recte philoſophaturis ita ſentiendum putamus. De Ariſtotele vero non ita certum poſſumus facere judicium, quia veros ejus libros non habemus: ſed ex iis, qui nunc ſub ejus nomine leguntur & quos magna ex parte ex veris illius libris extractos putamus: in ſumma tamen ita judicamus, & judicandum aliis cenſemus: Ariſtotelem maximum, excellentiſſimumq; fuiſſe virum, non quidem in omnibus ſcriptis, quæ ei tribuuntur, ſed tantum in Rhetoricis, in Ethicis, in Politicis, in Oeconomicis, in libris de Animalibus, & in multis rerum naturalium libris. In his enim, ſive ſint vera Ariſtotelis opera, ſive, ut dixi ſupra, ex operibus illius in

(Qui ſpecimen profundiſſimæ Platonis philoſophiæ cupit, is legat non interpretes etiam veteres, magnam partem in turgidum ampulloſumq; ſermonem ineptientes, ſed ipſum Parmenidem & Timæum quorum ille de uno & Ente, id eſt Deo (nam nulla creatura eſt Ens, ſed Entia) admiranda ratiocinatur, hic naturas corporum ſolo motu & figura explicat, quod hodie tantopere novis noſtris philoſophis merito ſane probatur.

compendium redacta, fateor Aristotelē quamlibet placet Pseudophilosophis esse laudandum, & plane tanquam præstantissimum Scriptorem divinis laudibus esse ornandum: paucis tamen quibusdam exceptis, in quibus nimium, ut ita dicam, dialecticari aut metaphysicari videtur. In cæteris vero operibus tantum abest, ut eum magnopere laudandum putē, ut maxime mihi videatur esse reprehendendus, præsertimq; in Dialecticis & Metaphysicis & ubicunq; agit de suis illis plusquam monstrosis generibus, speciebus, secundis substantiis, & omnino de universalibus realibus : & præterea de sua illa plusquam falsa & mendaci abstractione, demonstratione, scientia & sapientia. Quæ omnia licet à nobis supra fuerint refutata tanquam falsissima, tamen ab Aristotele fuerunt introducta, & pene in omnibus operibus suis usurpata ac celebrata tanquam verissima. De quibus quidem omnibus uter nostrum, hoc est, Aristoteles an nos verius senserimus, doctorū hominum erit judicium. Nunc nos tantū volumus philosophiæ candidatos esse admonitos. Aristotelis opera diligenter quidem legenda esse, sed caute & cum judicio, ne inter plurima vera non pauciſſima etiam falsa discantur : & in summa de Aristotele ita sentiendum, quemadmodum inter initia operis dixi: nempe, ubi bene dicit nihil melius, ubi male nihil pejus posse excogitari. De Galeno vero una cum Jo. Pico Mirandula breviter ita sentimus, ut libenter fateamur authoritatem ejus apud nos tantum quantum maxime potest, valere debere : ubi decernitur de rebus ad Medicinam pertinentibus, id enim Medici officium est, in qua professione præcellentem Galenum vereq; divinum, una cum doctorū consensu probamus & admiramur. At cum de rebus extra scientiam Medicinæ positis est judicandum & decernendum, cautius cum homine agendum putamus. Nā ipse quoq; ut dixi, mirabiliter infatuatus fuit, inani quadam & vana existimatione & admiratione rerum Dialecticarum, sic ut frequenter in ore habeat demonstrationem illam Aristotelicam, tanquam rem pretiosissimam & divinā, cum tamen in libello de libris suis ingenue fateatur se libris Dialecticorum ad eam faciendam nihil fuisse adjutum, sed ut ejus faciendæ scientiam perdisceret ad Arithmeticos, Geometras, cæterosq; Mathematicos confugere tandem sibi necessariū fuisse. Quod si ita est, quid ergo profecit Aristoteles in tradendis Posterioribus Analyticis ? & ipse Galenus in quatuor commentariis, quos à se in Posteriora Analytica Aristotelis conscriptos fatetur, quid tandem utilitatis aut sibi aut aliis attulit ? Quid demum uterq; tantum verborum & nugarum prodegit in ea re, quæ nemini unquam erat profutura ? Sed quid ego quæro utilitatem ullam ex ullis Dialecticorum scriptis? cum ad nugandū tantummodo, & ad tempus frustra consumendum videantur fuisse relicta?

Quare

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [414] · 346

Quare noſtram hanc de Galeno cenſuram, ita concludimus, ut moneamus Philoſophiæ ſtudioſos, Galeno fidem in Medicina, quanta maxime poteſt, habendam eſſe in reliquis vero rebus, præſertimq; Dialecticis, cum homine cautius agendum. Sed quid dicemus de Interpretibus Ariſtotelis? nam in his quoq legendis magnum eſt periculũ ne Philoſophiæ ſtudioſi vehementer lædantur, & in maxima incidant errata. Quare de his quoq; aliquid dicendum videtur: ac de Græcis primum, ex quibus hi ſunt præcipui, Alexander, Ammonius, Themiſtius, Simplicius, Philoponus, & alii quidam: qui omnes ſi conſiderentur ut Scriptores non omnino inculti neq; barbari, & ut Expoſitores non obſcuri cogitationum ſuarum, earumq; rerum, quas ſciebant non mihi quidem videntur prorſus eſſe contemnendi: ſed ſi cogitentur ut Dialectici & Philoſophi, hoc eſt, veritatis investigatores & inventores, quovis nomine eos potius arbitror dignos eſſe quam Philoſophi. In judicio enim de rebus paulo majoribus faciendo, & in diſcernendis veris ab iis, quæ falſa ſunt, mirum quam ſunt rudes & tardi ingenii, cujus rei hoc vel in primis evidens argumentum & certum indicium affero, quod ex tot falſitatibus & mendaciis & falſis principiis, quibus Dialectica pene tota, & magna etiam Metaphyſicæ pars referta eſt, & quæ à nobis ſupra fuerunt refutata, ne unum quidem unquam viderunt. Quod ſi quis forte negat, tantam erratorum in Dialectica & Metaphyſica multitudinem reperiri, quantam nos dicimus, age is, quiſquis eſt, accedat, & argumentis refutationibuſque noſtris recte reſpondeat, contrariumq; ejus quod à nobis demonſtratũ eſt, probet: tunc enim fortaſſe credi poterit, Dialecticam & Metaphyſicam tot falſitatibus & mendaciis non eſſe plenam, quot nos affirmamus & in toto hoc opere probamus. Atq; ita de Græcis Interpretibus Ariſtotelis in univerſum judicamus: nam de ſingulis eorum erratis ſi dicere velim, ne mihi quidem totus atque integer annus ſuffecerit. De Latinis vero & Arabibus ſimul omnibus ita pronuntio, eos non ſolum cæcutiviſſe & penitus exoculatos fuiſſe in videndis & animadvertendis erroribus Dialecticæ & Metaphyſicæ, quemadmodum & Græci, ſed præterea etiam alienos fuiſſe ab omni politiore doctrina, atq; ita ſpurce, ruſtice & inquinate locutos eſſe, ut totam philoſophiam & univerſam ſapientiam, barbariſmis & ſolœciſmis fœdarint *ex quibus tamen unum excipio, Thomam Aquinatem, qui ſi cum illo tanto tamq; mirabili ingenio his temporibus natus eſſet, & literas græcas didiciſſet, & præceptores meliores habuiſſet, omninoque in rectiorem inſtituiſſet ſtudiorum viam, Deum immortalem, quales & quantos viros potuit evadere*: ſed temporibus illis fuit, cum nec græcas literas in Italia doceret quiſquam, nec præceptores ulli invenirentur niſi barbari & inculti, &

omnino cum Pseudophilosophia ista in Philosophorum scholis sola floreret. Itaq; non mirum est si excellens & fœcundum aliøqui ingenium in illis tantũ scientiis & artibus profecit, quæ tunc vigebant, hoc est, in Dialectica, Metaphysica, & reliquis Pseudophilosophorum disciplinis, in quibus tamen præter cæteros tantum mihi excellere videtur, quantum monoculus inter cæcos. Ex Arabibus vero neminem excipio, fuerunt enim omnes imperiti, barbari, & inculti, saltem ita ut nunc leguntur translati, & præter cæteros Abenrhois, qui quanto plura scripsit, tanto plura posteris dedit imperitiæ & barbariæ suæ indicia: & illud ante omnia, quod scriptum reliquit in principio Dialectices, cum explanans primum caput Isagoges Porphyrii, ut exemplo docere volens quid esset genus, dixit, Adamum esse genus hominum, & Hispaniam esse genus Hispanorum: ex quibus duobus exemplis tanquam ex specimine quodam de reliqua ejus doctrina facile judicium fieri potest, & intelligi eum prorsus ignorasse quid esset genus. Nam si Adamus esset genus hominum sequeretur Adamum solum esse universam hominum multitudinem, non solum præsentium, sed etiam præteritorum & futurorum: quod idem de Hispania & genere Hispanorum intelligendum est.

CAPUT OCTAVUM.

De ratione recte philosophandi, & de corrigendis instaurandisq; Philosophiæ studiis, quæ nunc maxima ex parte perversa & corrupta sunt.

AD persolvendum perfecte omnia ea, quæ inter initia operis promiseramus nos tradituros, supereſt etiamnum ut pauca scribamus de ratione recte philosophandi, & de corrigendis instaurandisq; Philophiæ studiis, quæ nunc paulo minus quam tota perversa atq; corrupta sunt. Qua parte absoluta & capiti huic & toti libro tandem aliquando finem imponemus. Ergo *qui recte philosophari* & in veritate rerum investiganda, quamminime fieri potest, errare *cupiunt*, ii ante omnia in memoriam reducant ac servent omnia ea, quæ supra in duobus primis primi libri capitibus à nobis dicta ac præcepta sunt, de principiis philosophandi non solũ veris sed etiam falsis, ut illa tanquam recta & utilia sequi, hæc vero tanquam prava & noxia vitare queant. Hoc est, in primis diligenter percipiant ac *discant literas græcas & latinas*, in quibus duabus linguis, ut ante dixi, scripta sunt omnia fere,

fere, quæ ſunt ſcitu cognituq; digniſſima. Deinde cognoſcant & probe teneant præcepta & *documenta omnia*, *quæ traduntur in libris Grammaticorum & Rhetorum* ſine quibus omnis doctrina eſt indocta, & omnis eruditio eſt inerudita. Tum aſſidue *legant ac verſent probatiſſimos quoſq; authores* tam græcos quam latinos, *& communem uſum loquendi*, non modo illorum ſed etiam *vulgi ac populi ipſius intelligant*. Tum autem ante omnia *liberos ſe conſervent* ac ſolutos *ab omni Philoſophorum ſecta*: neq; ſe cuiquam ita addicentes, ut quaſi vendant atque abalienent judicandi libertatem: neque in ullius, quamlibet magni viri, verba ita jurantes, ut non libere & ingenue de omnibus rebus, prout veritas ipſa & rerum natura poſtulare videtur, ſentire ac pronuntiare poſſint. Ad hæc ne à communi & conſueta doctorum omnium loquendi conſuetudine recedant, ne nimis breviter nimiſq; obſcure loquantur aut ſcribant, *ne tractent quæſtiones per ſe manifeſtas & inconſiſtentes*, quæ à Græcis vocantur ἀσύστατα ζητήματα, *ne quicquam* παράδοξον, *aut inuſitatum aut novum in Philoſophiam introducant*, nec introductum ab alio recipiant aut approbent, *niſi magna aliqua ratione* aut neceſſitate adducti & coacti. Quemadmodum nos antea fecimus, qui & veritatis amore compulſi & juvandi ſtudioſos deſiderio accenſi, *introduximus in Philoſophiam multa*, *quæ à nemine unquam veterum Philoſophorum fuerant excogitata*: *ex quibus unum* vel præcipuum fuit, *comprehenſio univerſorum ſingularium* ſui cujuſque generis vera, & univerſum ipſum verum, *vice abſtractionis univerſalium* à ſingularibus falſæ, & univerſalis falſi. *Alterum vero locutiones propriæ & figuratæ* à doctiſſimis quibuſque viris tam Græcis quam Latinis frequenter uſurpatæ, loco primarum & ſecundarum intentionum ſophiſticarum & monſtroſarum, quas imperiti linguarum, & communis loquendi uſus ignari, excogitarant. *Tertium diſtinctio & ſeparatio rerum à verbis, & verborum à rebus*, qua non introducta & ignorata, neceſſe eſt in veterum ſcriptis intelligendis multa & gravia committere errata, pro primis & ſecundis ſubſtantiis, quæ nulla alia de cauſa à Pſeudophiloſophis fuerunt inventæ, niſi quia neq; rerum à verbis, neque verborum à rebus diſtinctionem facere ſciebant. *Quartum poſitio & introductio multitudinis rerum ſingularium*, *ſive totius diſcreti*, in quartam partem diviſionis generalis rerum, vice univerſalis falſi & portentoſi, excogitati ac reperti à Pſeudophiloſophis eo quia neſciebant genera rerum & ſpecies dividuas eorum nihil aliud eſſe, niſi res, hoc eſt, ſingularia in univerſum capta, vel multitudines rerum ſingularium univerſe acceptas. *Quintum vera genera*, *veras ſpecies*, *veras ſcientias*, *veras artes*, loco monſtroſorum generum, prodigioſarum ſpecierum, commentitiarum ſcientiarum, falſarum

artium, & multa alia, quæ nemo unquam ex superioribus Philosophis, quod sciam, animadverterat. Hæc inquam nos omnia coacti iis de causis, quas diximus, introduximus in Philosophiam, expulsis & ejectis omnibus eorũ contrariis. Præterea iidem recte philosophari cupientes caveant ne pro certo putent istos libros, qui nunc pro Aristotelicis leguntur, vere esse Aristotelicos, atque ita ut nunc habentur, ab Aristotele vere compositos fuisse, ob eas, quas ante protulimus rationes: & postremo ne ullo pacto credant ad recte philosophandum utilem aut necessariam esse istam Dialecticam sive Logicam, quæ hodie est in usu, & quam nos in toto hoc opere ostendimus esse totã vel falsam vel utilem, vel supervacuam, vel impertinentem. Eandemq; opinionem habeant, si non de tota, at certe de magna parte Metaphysicæ, quam una cum Dialectica supra monstravimus ex omni artium & scientiarum numero esse removendã. His enim omnibus, quæ dixi, vel sequendis vel fugiendis studiosi Philosophiæ, vel non omnino vel certe non multũ in philosophando poterunt errare: si præterea tamen etiam cognoverint, & tanquam scopulos quosdam diligenter vitaverint ea, quæ supra monuimus esse falsa & perversa philosophandi principia: ut ea, quæ traduntur a Porphyrio in Isagoge, de genere, specie, differentia, proprio, & accidente & omnino de universalibus, sive prædicabilibus, sive quinq; vocibus, ut Græci vocant, item ea, quæ scribuntur ab Aristotele partim in Anteprædicamentis, ut de æquivocis, de univocis, de iis quæ dicuntur & quæ sunt: partim in Prædicamentis, de subsantiis primis & secundis, de loco & tempore & sono, de qualitate tantum speciali, nulla generalis facta mentione, & de aliis: partim in libro περὶ ἑρμηνείας, de nomine, verbo, oratione, de divisione propositionũ in particulares & universales: partim denique, in aliis omnibus totius Aristotelici Organi libris, quæ à nobis supra fuerunt refutata. Hæc enim vere falsa sunt & perversa philosophandi principia, quibus recipiendis, probandis, & sequendis non solum interpretes Græci, Latini, & Arabes, sed etiam Porphyrius, Galenus, & Aristoteles ipse in profundissimas errorum, mendaciorum, & falsitatum tenebras præcipitaverunt. Neq; solum ipsi erraverunt, sed etiam errare fecerunt lexcenta, ut opinor, millia hominũ, quicunq; per annos amplius decies centenos illorũ scripta tanquam oracula quædam vel Evangelia legerunt: & omnibus iis, quæ dicunt, sine ulla consideratione aut judicio plenissimã adhibuerant fidem: atq; ita velut cæci, ut dicitur, à cæcis ducti omnes simul in tenebrosissimam erroris & ignorantiæ foveam corruerunt. Cur autem ista Dialectica, de qua loquimur, non solum non sit necessaria nec utilis, sed contra potius etiam damnosa & noxia recte philosophari cupientibus, tametsi ex iis, quæ supra disputavimus

pene

pene in totis quatuor hujus libri voluminibus satis aperte intelligi potest, rursus tamen breviter hic demonstro. In summa in omni Dialectica & in universo Aristotelis Organo, ut ipsimet Dialectici ajunt, tria tantum traduntur, quorum unum & primum est, simplicium vocum apprehensio, in Isagoge Porphyrii & in Prædicamentis Aristotelis: alterum earundem simplicium vocum apprehensarum compositio ad propositiones faciendas, in libro περὶ ἑρμηνείας: tertium compositorum discursus ad argumentandum & probandum, in reliquis omnibus Dialecticæ Aristotelis libris. Quæ quidem tria Dialectici pene omnia male & perverse tradunt, & propterea si quis recte philosophaturus eorum aliquod unum vel plura discat à Dialecticis, non modo non adjuvari eũ sed contra potius etiam non leviter lædi necesse est. Simpliciũ autem vocum significationem à Dialecticis non recte apprehendi, & propterea nõ recte posse tradi, ex eo maxime probatur & convincitur, quod in duobus prope millibus annorum nemo eorũ unquam recte potuit intelligere, quid vere significetur voce generis, voce specici, voce differentiæ, voce proprii, voce accidentis, voce ejus quod est τὸ καθόλου græce, sive universalis latine, voce synonymi, voce homonymi, voce οὐσίας, voce ποιότητος, & vocibus aliorum multorum, quæ omnia à nobis supra jure optimo fuerunt reprehensa, tanquam recte philosophari cupientibus non solum non utilia sed etiam damnosa & noxia Quare quomodo potest esse utilis aut necessaria recte philosophaturis pars ista Dialecticæ? in qua si demas ea, quæ sunt vel falsa, vel inutilia, vel ridicula, ne quota quidem ejus portio sana remanebit? Quid referam hic ingentem multitudinem verborum inauditorum & plusquam barbarorum, quæ à recentioribus Dialecticis latinis per imperitiam non solum rerum sed etiam linguarum, in Philosophiam fuerunt invecta? Quis est enim in scholis istorum Philosophastrorum tam parum versatus, qui non centies audiverit, potentialitates, quiditates, entitates, hæceitates, universalitates, formalitates, materialitates, & alia sexcenta hujusmodi verborum monstra? Quæ qui paulo frequentius usurpant, usq; adeo læduntur & pervertuntur, ut necesse sit eos non solum valde falli & errare in philosophando, sed etiam in loquendo & scribendo vehementer fœdari & conspurcari. Et quisquam posthac reperietur, qui horum omnium admonitus, simplicium vocum apprehensionem à Dialecticis petendam arbitretur? profecto si id faciet, magnas stultitiæ suæ dabit pœnas. Sed de Latinis Philosophastris hactenus, Græci vero minus quidem illi barbari sunt, sed tamen eorum sermo non omnino caret vitiis & monstris, habent enim & illi quoque suos εἰδικὰς καὶ κοινὰς ἀνθρώπους, & τετραπόδων γένη & εἴδη, & τὰς δευτέρας οὐσίας, à nemine unquam intellectas.

& Tris

& τὰς ἀποδείξεις, quarum nullum extat exemplum, ne apud illos quidem, qui eas facere docent, & τὰς ἐπιστήμας ϗ τὰς τέχνας, quas Medicus ille nec apud Medicos, ne apud Philosophos, sed apud solos Deos reperiri putat, si tamen usquam reperiuntur. Omitto sapientiam illam, cujus auxilio Anaxagoras ille, ut opinor, cognovit nivem esse nigram, atque ideo non immerito pro vere sapientis hominis exemplo ab Aristotele in Ethicis commemoratur. Hæc & ejusmodi alia plurima non tam vocabulorum quàm rerum portenta passim reperiuntur in libris Pseudophilosophorum græcorum, ut ab eis quoq; verborum simplicium delectus nullo pacto sit petendus. Quoddixi de simplicium verborũ apprehensione, idem quoq; dico de eorũ compositione, hoc est, in componendis simplicibus verbis & propositionibus faciendis, tam affirmativis quam negativis, tam universalibus quam particularibus: & in omnibus earum oppositionibus tam contrariis quam subcontrariis, tam contradictoriis quã subalternis, nullo pacto ab iis, qui recte sunt philosophaturi, imitandum esse modum loquendi Dialecticorum tam Græcorũ quam Latinorum & Arabum, Nam licet Græci minus sint imperiti, & pauciores solœcismos in suis scriptis faciant, tamen in eodem opinionum & sententiarum falsitate & perversitate versantur, qua Latini & Arabes. Quare nemo illorum prorsus bene componendi verba simplicia & faciendi rectas propositiones satis idoneus est author. Nec magis utilis aut necessaria recte philosophari volentibus est tertia illa pars Dialecticæ, quæ est, ut illi vocant, de compositorum discursu, quam duæ illæ superiores: si quidem ad syllogismos cæteraſq; argumentationes faciendas, & ad inveniendũ argumenta, & omnino ad probandum aliquid veritatemq; investigandam quam sint apposita & accomodata Dialecticorum præcepta, satis, ut opinor, abunde supra cognosci potuit ex iis, quæ diximus de libris quatuor Analyticorum, & octo Topicorum. Nam Parva illa, quæ vocantur, Logicalia, quam sint inepta, inutilia, & ridicula, ne Dialectici quidem ipsi, si qui sunt paulo minus inepti, dissimulare quidem aut negare audent. Atq; ita neq; simplicium apprehensio, ut eorum nominibus utar, neq; simplicium compositio, neq, compositorum discursus à Dialecticis petenda sunt, eo quod in simplicibus eorum vocibus multi barbarismi, in compositis non pauciores solœcismi, in compositorum vero discursu non solum creberrimæ falsitates sententiarum, sed etiam omnia orationis vitia reperiuntur. Sed dicet aliquis, si nulla istarum trium partium à Dialecticis discẽda est, à quo agitur recte philosophari cupientes hæc discere poterunt? Breviter respondeo, à probatis Scriptoribus tam Græcis quam Latinis, præsertimque ab illis, qui in disputando & argumentando frequenter versantur, ut

ex Græcis

ex Græcis à Platone, à Demosthene: ab Isocrate, atque etiam ab Aristotele, sed in iis libris, in quibus loquitur, ut vir doctus, & in media Græcia natus, non in iis, in quibus ut Dialecticus & Metaphysicus nugatur. Similiterque ab aliis omnibus, qui vere græcam, non Pseudophilosophicam & sophisticam faciunt orationem. Ex Latinis vero à M. Cicerone, & ab aliis vere Scriptoribus Romanis, quicunq; vel disputationes philosophicas, vel orationes aliquas forenses monumentis literarum proditas reliquerunt. Ab his ego inquā non à Pseudophilosophis hortor omnes recte philosophari cupiētes, ut discāt verba simplicia usurpare, ad significandos animorum suorum sensus, & eadem componere ad faciendas propositiones affirmativas, negativas, universales, particulares, & compositas in syllogismos, & quascunque alias argumentationes formare, & argumenta ad probandum invenire, sive de humanis rebus sive de divinis, sive de terrestribus sive de cælestibus sit differendum ac disputandum. Atq; his de causis arbitror Dialecticam istam nostratem non solum non prodesse ad recte philosophandum, sed contra potius etiam vehementer obesse. Quod autem attinet ad studia Philosophiæ, quæ nunc maxima ex parte perversa sunt atq; corrupta, ea mihi percommode sic videntur corrigi atq; instaurari posse, si primum ex scholis philosophicis expellantur & ejiciantur omnes Dialectici sive Logici, omnes Metaphysici, præsertim barbari, omnes deniq; Pseudophilosophi & Philosophastri, qui profitentur & docent Philosophiam istam balbutientem & barbaram, & omnino omnes, quicunq; sapientiā ab eloquentia, hoc est, ut vere inquit Cicero, tanquam os à pectore & linguam à corde separant. Quandiu enim ista publica & perniciosa studiorum philosophicorum, & omnium bonorum ingeniorum pestis in scholis Philosophiæ & sapiētiæ dominabitur, tandiu in eis & barbaries oris, & falsitas cordis expulsa vera Philosophia & vera sapientia dominabitur. Deinde his omnibus expulsis & ejectis si loco eorum accersantur, & conducantur ad prælegendum & docendum homines utriusq; linguæ peritissimi & quod ejus fieri potest, nullius bonæ artis aut scientiæ ignari, sed ante omnia diserti & eloquentes, & qui sapientiam cum eloquentia vel conjunxerint vel certe totis viribus conjungere adnitantur. Sic enim fiet, ut qui ab eis discent, uno eodemq; tempore & sapientes & eloquentes evadant. Atq; ita mihi studiorum Philosophiæ, quæ nunc maxima ex parte perversa atq; corrupta sunt, correctio atq; instauratio percommode fieri posse videtur. Ex multis vero Philosophiæ disciplinis, & ex multis in unaquaq; earum Scriptoribus quam potissimum & quem sequi debeant ii, qui recte sunt philosophaturi, non facile est dictu. Nam cum habeamus prope omnia alia literarum studia ferme perfecta, & in eis Scriptores

excellentissimos ac tales, quibus fere nihil ad perfectionem deesse videtur, ut in Poesi ac versibus faciendis Homerum & Virgilium, in Eloquentia & orationibus componendis Demosthenem & Cicer. in Historia & rerum gestarũ monumentis scribendis Dionysium Halicarnasseũ & Titum Livium multosq; alios tam Græcos quam Latinos, in Medicina & morbis curandis Hippocratem & Galenum, in Arithmetica & Geometria reliquisq; Mathematicis Euclidem & Ptolemæum, & in aliis similiter: Cum inquam habeamus reliqua omnia literarum studia talia, & in eis authores tales, quales diximus: tamen nescio quo fato aut qua studiosorum infelicitate factum est, ut ex multis Philosophiæ sectis, quæ jam inde ab antiquis temporibus fuerunt institutæ, nullam usq; in hunc diem habeamus non dico perfectam, sed ne ad perfectionẽ quidẽ longo intervallo accedentem, quam recte philosophaturis tuto atq; utiliter sequendam proponere posse videamur, nisi Peripateticam & Aristotelicam, & eam quidem non quia perfecta atq; optima sit, sed quia minus imperfecta minusq; mala quam cæteræ. Namq; Stoica nimis est severa & rigida ut pote, quæ fateri non vult dolorem esse malum, & dicere audet peccata omnia esse paria. Epicurea nimis mollis & voluptuaria, quippe quæ summum bonum in sola voluptate atq; adeo in cibo & potu rebusq; venereis collocat. Academica vetus, hoc est, Platonica sive Socratica, nimium à communi omnium victu ac cultu abhorret, partim quia tradit adhominandam illam cõmunionem non solum omniũ bonorũ, sed etiam uxorum ac filiorum, partim etiam quia docet fabulosam illam animarum nostrarum transmigrationẽ, partim denique quia ponit Ideas illas nunquam à quoquam satis intellectas, & ab Aristotele toties refutatas. Sceptica sive Ephectica & Academica nova, ex qua etiam fuit Cicero, nimis omnia confundit & incerta reddit, cum nihil omnino certo sciri putet, & pro omnibus contraq; omnia disputare se profiteatur in utranq; partem. Ex his inquam omnibus Philosophorum disciplinis & aliis quibusdam ignobilioribus, nulla omnino propter eas, quas dixi, causas, recte philosophaturis ad sequendum atq; imitandum satis tuto proponi potest, præter unã Peripateticã & Aristotelicam & eam quoq; talem, ut dixi. Quare ut ante non semel monui, sic etiam hoc loco omnes recte philosophandi studiosos etiam atq; etiam moneo, Aristotelis scripta omnia, diligenter quidẽ versanda & legenda esse, præsertim, quæ non sunt nec Dialectica nec Metaphysica, sed cum diligenti consideratione ac judicio, ut recipiantur & probentur ea tantum, quæ sunt vera & utilia, quæ autem nec vera nec utilia sunt, statim improbentur ac rejiciantur. De scriptis vero & libris Interpretum Aristotelis præsertim Græcorum deq; ipsis Interpretibus rursus ita censeo, eos non negligendos quidem esse omnino,

omnino, sed legendos & sequendos eodẽ plane modo quo Aristotelem h. e. non nisi in scriptis à dialectica & metaphysica vanitate alienis, ac ne in his quidem nisi adhibendo maximam considerationem ac judicium, ne simul cum veris non pauca etiam falsa adhæreant ac perdiscantur. In summa de his omnibus, hoc est, tam Græcis quam Latinis & Arabibus, breviter ita judicari volo ut de hominibus parum doctis & judicio carentibus, ut pote qui ex tot ac tantis tamq; manifestis erroribus & falsitatibus Aristotelis, quot & quantas nos supra refutavimus, ne unam quidem unquam videre aut animadvertere potuerunt. Quanquam erroris eorum ac deceptionis non tam ipsi in causa fuerunt, qui eam Philosophiæ doctrinam sequebantur, quam ab Aristotele invenerant traditam & ab omnibus pene usurpatam, quam Aristoteles ipse Hæresiarcha, qui eam doctrinam primus invenerat ac tradiderat, & errandi eis author fuerat. Quid enim facerent miseri, qui nullum alium habebant meliorem, quem sequerentur, & à quo discerent ? & quomodo non putarent id sine ulla dubitatione verum atque utile esse, quod à tot millibus hominum, per tot secula, quamvis falsissime confirmatum approbatumque videbant ? Quamobrem *Nicolaus Leonicus Patavinus ætate nostra vir* licet *doctißimus in Dialogo quodam suo, quem inscripsit Peripateticum*, non recte invehitur in Philosophos sui temporis, quos appellat quæstuarios, affirmans eos sine honoris præfatione honeste nominari non posse : tum hæc ad verbum addit. *Tantum enim abest ut ab istiusmodi hominibus exculti aliquid eruditiq; discas, ut è contrario si quid eruditi prius excultiq; dediceris, cum ad illos acceſseris, eorum contagio proculdubio dedocearis oportet. An non ego decem integros annos, horum auditoria, ne dicam, lustra, assidua contrivi opera ? omnesq; illorum ineptias & futiles captionum trichas, siccis, ut ajunt, auribus ebibi ? anxie semper quæritans, si quid inde excerpere possem, ne vacuis, quod dicunt, manibus & oscitans domum redirem. Verum Dii immortales, quam rerum inanitatem apud illos, quantam bonarum literarum solitudinem reperi, in quo tamen ut in malis nihil mihi magis sapere visus sum, quam quod cum illis desipere aliquando desiti : neq; per omne vitæ spatium, ut plerique solent, in cœnosa illa ignorantiæ voragine demersus contabui.* His inquam verbis Leonicus, ut dixi, invehitur in Philosophastros sui temporis, & vere quidem ille, sed non omnino juste. Nam sunt illi quidem tales, ut ab eo describuntur, sed causa cur ita sint, non tam in ipsis est quam in Aristotele eorum Hæresiarcha : ille enim reliquit eis præclarum illud Dialecticæ Organum, & egregios illos Metaphysicæ libros, quibus in operibus ferme nihil aliud nisi nugari & garrire discunt. Quare debebat Leonicus non eos solos accusare, sed una cum eis etiam

Aristotelem reprehendere, qui nos tam inepte docuit, ut ita dicam, dialecticari & metaphysicari: nam cum ita dico, nihil mihi ineptius aut insulsius dicere posse videor. Similiter Jo. Picus Mirandula, in quadam Epistola ad Hermolaum Barbarum, non recte prætermisso Aristotele conqueritur de solis Interpretibus Aristotelicis, quod apud illos meliorem ætatis partem & tantas vigilias perdiderit: ita enim scribit. Sed mirum dictu quam persuadeas & legentis animũ, quocunq; velis impellas. Quod ego sum expertus cum semper alias, tum hac proxima tua epistola, in qua dum barbaros hos Philosophos insectaris, quos dicis haberi vulgo sordidos, rudes, incultos, quos ne vixisse quidem juvenes, ne dum extincti vivant, & si nunc vivant, vivere in pœnam & contumeliam: ita porro sum commotus, ita me puduit piguitq; studiorum meorum (jam enim apud illos sexennium versor) ut nihil minus me fecisse velim, quam in tam nihili faciẽda re tam laborioſe contendisse: Perdiderim ego inquam apud Thomam, apud Jo. Scotum, apud Albertum, apud Abenrhoem meliores annos, tantas vigilias, quibus potuerim in bonis literis fortasse non nihil esse? Hæc quoq; Jo. Picus Mirandula contra barbaros Aristotelis Interpretes conqueritur, & vere ille quidem, sed quemadmodum Leonicus, non omnino juste, quia prætermittit eum, qui tantorum illis errorum causa fuerat, hoc est, Aristotelem. Sed ô Pice non recte facis, cum de solis Interpretibus Aristotelis quereris, ipsum autem Aristotelem, qui omnium malorum causa & origo fuit, omittis, dicens te perdidisse meliores annos, tantasq; vigilias apud Interpretes Aristotelis, & nolens illud dicere, quod erat verius, eadem illa omnia te multo ante perdidisse apud Aristotelem. De Aristotele loquor Dialectico & Metaphysico, atq; etiam magna ex parte Physico tantum, non de aliis illius scriptis, si tamen vere illius sunt, quanquam in eis quoq; ut ante dixi, non pauca sunt, quæ non careant vitio. Quare mihi multo rectius & verius sensisse ac fecisse videtur Laurentius Valla, qui prætermissis Interpretibus, omnem tantorum errorum & falsitatum culpam in Aristotelem, tanquam in verum authorem ac primum fontem rejicit, & ipsum reprehendit apertissime ubicunq; videtur errare. In Dialectica enim sua libro primo capite nono, ita scribit. Cum omnium opiniones confutat Aristoteles, ut ineptas, ipse omnium pene sensit ineptissime, vel ob hoc, quod animam dat arboribus & herbis: & eodem libro cap. XVI. cum de entelechia locutus esset, ita inquit, Valeant igitur hæc superstitiosa & calumniosa Aristotelis vocabula, in quibus cum vult videri argutus, mihi videtur potius arguendus: & aliis multis in locis eodem modo. Sic igitur & omnes recte philosophandi studiosi recte philosophari, & studia Philosophiæ maxima ex parte perversa atq; corrupta, corrigũ

rigi atque inſtaurari poſſe nobis videntur. Quibus ita monſtratis ut tandem aliquando & caput hoc poſtremum, & totum hunc librum abſolvamus, ita concludimus, ut relinquamus duo memoriæ mandanda, & aſſidue diligenter cogitanda omnibus, qui recte philoſophari cupiunt, quorum unum eſt, Ubicunque & quotcunque Dialectici Metaphyſicique ſunt, ibidem & totidem eſſe capitales veritatis hoſtes, alterum vero, Quandiu in ſcholis Philoſophorum regnabit Ariſtoteles iſte Dialecticus & Metaphyſicus, tandiu in eis & falſitatem & barbariem, ſi non linguæ & oris, at certe pectoris & cordis regnaturam.

QUARTI ET ULTIMI LIBRI FINIS.

QUoniam hic aliquot paginæ quaternionis hujus supererant vacuæ, idcirco putavimus eas esse implendas quibusdam monitis, diligenter memoriæ mandandis & freqenter in ore habendis ab omnibus recte philosophari cupientibus. Quæ sunt hæc.

Scientia.

κοινῶς	κυρίως	ἰδίως
Communiter, qua res qualiscunq;, & quomodocunq; cognoscitur.	proprie, ut scientia Medicinæ & Architecturæ.	Privatim, ut scientia illa Pseudophilosophorum, quam ex demonstratione potissima fieri dicunt.

Generalis & vera Scientiæ definitio.

Scientia est cognitio rei vel rerum scitu dignarum, cognitu difficilium, & vulgo ignotarum.

Generalis & vera Artis definitio.

Ars est scientia bene faciendi aliquid.

Rhetoricæ definitio vera.

Rhetorica est ars bene dicendi de omnibus rebus.

Medicinæ definitio vera.

Medicina est ars bene curandi morbos, & vulnera.

Jurisçivilis definitio vera.

Jusçivile est ars bene respondendi de jure.

Generis definitio vera.

Genus est multitudo sive totum discretum, ex omnibus suis speciebus non solum dividuis sed etiam individuis, neq; solum præsentibus sed etiam præteritis & futuris constans.

Speciei definitio vera.

Species est pars generis, quæ una cum aliis multis ipsius generis substantiam perficit.

Differentiæ definitio vera.

Differentia est qualitas, qua res inter se differunt.

Proprii definitio vera.

Proprium est qualitas quæ adest vel omni & soli, vel si non soli at certe omni.

Conclu-

Conclusiones, quæ in hoc opere diversis in locis probatæ sunt.

Est unum tantum genus generalissimum verum, hoc est, genus rerum, sive res figurate, non decem genera generalissima, ut falso putavit Aristoteles.

Ens, unum, aliquid, verum, bonum, in genere rerum continentur, tanquam species sive partes in toto suo discreto.

Genus rerum prima sectione dividitur in duas species, hoc est, in substantias & qualitates.

Accidentia omnia sunt qualitates, non contra.

Homo non est species specialissima, ut falso ajunt Dialectici, sed vere genus Trojani & Thebani, & Trojanus & Thebanus vere sunt species hominis, ut rectissime dicit Cicero.

Individua ut Socrates & Plato vere sunt species hominis, seu species individuæ, sive species specialissimæ.

Differentia nihil aliud est, nisi genus differens.

Proprium nihil aliud est, nisi genus proprium.

Accidens nihil aliud est, nisi genus accidens.

Animal non minus est differentia & proprium quam genus.

Rationale non minus est genus quam animal, & species quam homo, & proprium quam risibile.

Risibile non minus est genus quam animal, differentia quam rationale, species quam homo.

Arbor genericа substantiæ tota constat ex singularibus & multitudinibus singularium, eodemq; modo arbores reliquorum generum, in quibus præter singularia & multitudines singularium omnino nihil aliud vere reperitur.

In divisione generis nihil aliud dividitur, nisi multitudo singularium major in alias multitudines minores, vel in singularia.

Propter ignorationem locutionum propriarum & figuratarum, Pseudophilosophi introduxerunt primas & secundas intentiones.

Propter ignorationem distinguendi res à verbis & verba à rebus, Pseudophilosophi introduxerunt primo, primas & secundas substantias & omnia ea, quæ ab ipsis appellantur universalia: deinde etiam univoca & æquivoca & analoga, de quibus ita loquuntur ut nesciant utrum de vocibus loquantur, an de rebus: & postremo definiverunt res perinde ac si essent voces, ut genus rerum pro voce generis, hoc est, pro nomine appellativo, nam omnia nomina appellativa sunt voces generum.

Gene-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [427] - 359

Generalium omnium Nominum divisio.

Nomen omne,

- Aut Substantivum
  - Proprium
  - Appellativum,
    - Collectivum.
    - Simplex.
- Aut Adjectivum.
  - Proprium
  - Appellativum.
    - Collectivum.
    - Simplex.

Nomen substantivum est illud quod semper significat rem tanquam per se stantem, & ad interrogationem factam per quid est, semper priore loco respondetur.

Nomen adjectivum est illud quod semper significat rem tanquam in alio existentem, & ad interrogationem factam per quale est, semper recte responderi potest.

Nomen Appellativum, ut Grammatici dicunt, est illud quod est commune multorum in multis pronuntiationibus, sive quod dicitur de multis in multis enuntiationibus, sive ut Dialectici ajunt, quod dicitur de pluribus differentibus specie in eo quod quid est: Nam ipsi propter ignorationem definiendi, cum genus definire vellent, non genus sed vocem generis, hoc est, nomen appellativum definiverunt.

Generalis divisio Rerum.

Res omnes sunt.

- Aut Substantiæ
  - Singulares Substantiæ
  - Multitudines singularium substantiarum.
- Aut Qualitates.
  - Singulares Qualitates
  - Multitudines singularium qualitatum.

FINIS.

INDEX.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [428] · 360

INDEX.

A.

ABstractio universalium à singularibus tanquam falsa refutatur, & ejus loco ponitur cõprehensio universorum singularium vera 155.256.257
Abstractionem à singularibus fieri non posse 263
Abstractio universalium à singularibus per intellectum quomodo à Dialecticis fieri dicatur 45
Abstractio Dialectica falsa 258
Abstractio Naturalis falsa 258
Abstractio Mathematica falsa 259
Abstractio Methaphysica falsa 262
Abstrahentium non solum esse mendaciũ, sed etiã maximũ mendaciũ 257
Abstrahere universalia à singularibus apud Pseudophilosophos falsò dici, pro eo quod est cõprehendere singularia universe sive in universum apud Oratores 256
Abstrahendi apud Pseudophilosophos tres sunt modi 257
Accidentia omnia qualitatis nomine significari 182
Accidentia omnia esse qualitates 182
Accidentia esse substantias 178
Accidens & genus accidens idem 76
Accidens inter universalia non recte fuisse numeratum 141
Adjectivum nomen quid 38
Adjectiva substantivata 37
Ad interrogationẽ factam per quid est, respondendum esse non per genus nec per speciem, sed per nomen substantivum & per res per se stantes 36
Ad interrogationem factam per quale est, respondendum esse non per differentiam nec per proprium nec per accidens, sed per nomen adjectivum & per res in alio existentes 36
Æquivoca barbara & falsa sũt, ambigua, vel amphibola latina & vera 157
Æquivoca æquivocantia barbare, ambigua vel amphibola latine 157
Æquivocatio barbare & falsò dicitur ambiguitas sive amphibologia recte & vere 154
Æquivoca æquivocata barbare, homonyma vel cognominia latine 157
Agricolæ & Vivis defensio Universalium refutatur 71
Aliquid, id est, aliqua res 165
Ambigua latine, æquivoca barbare 154
Amphibolon ambiguum 154
Amphibolia & ambiguitas latine, æquivocatio barbare 154
Ampliationes Dialecticor. inutiles 330
Analoga falsa & inutilia 159
Analytica priora & posteriora ab Aristotele non ita fuisse inscripta 337
Anaxagoras ter stultus 13
Animal universale quot modis appellatur apud Dialecticos 44
Animal simul & rationale & irrationale est non solum potentia sed etiam actu, & quomodo 86
Animal universale & hominem universalem non magis vere reperiri quam populum universalem & exercitum universalem 25

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [429] - -
PUBLIC DOMAIN

Animalis nomen non semper esse substantivum generis, sed etiam quandoq; adjectivum differentiæ 37
Anteprædicamenta tanquam mera deliramenta 154
Appellationes Dialecticorum barbaræ & ridiculæ 330
Appellativum nomen quid 33
Appellativa nomina collectiva 22
Appellativa nomina simplicia, hoc est, non collectiva 26
Arbor generis substantiæ nostra vera à Porphyriana falsa longe diversa 170
Arbor generis qualitatis nostra vera 171.
Arbor prædicamentalis Dialecticorum tota falsa 188
Argumentatio quid 307.283
Argumentationes apud Dialecticos quatuor 308
Argumentationes decem tam Philosophorum quã Oratorũ communes 309
Argumentandi forma nulla ullius Scriptoris propria 228
Argumentationes omnes omnium Scriptorum sine ulla differentia sunt communes 229
Argumentationum partitio ab Aristotele facta falsa 312
Argumentationum formæ à Rhetoribus melius tradũtur quam à Dialect. 312
Argumentationum omnium formis, quæ in Prioribus Analyticis traduntur, recte non utitur Aristoteles in scribẽdo, quas sectatores ejus male postea usurparunt non solum in disputando sed etiam in scribendo 315
Argumentum quid 283.307
Argumentũ à differentia & proprio 137
Argumentorum usus & tractatio à Pseudophilosophis inique occupata Oratori restituitur 282
Argumentandi Dialecticorum usus pravus 316
Aristoteles obscure nimium loquens reprehendendus 12
Aristoteles longini comparatus 12
Aristoteles magis reprehẽdẽdus propter positionem universalium quam Plato propter introductionem Idearum 13
Aristoteles quam ob causam universalia posuerit 49
Aristotelis malignitas contra Rhetores 227.
Aristoteles & ejus sectatores in quibus probandi & in quibus non 236
Artis nomen 195
Ars pro scientia 195
Artis nomen proprie quid significat 195
Ars proprie quid sit 357
Artis præcepta 196
Artibus in omnib. inclusa est scientia 196
Artis & scientiæ materia quæ 197
Artis & scientiæ officium quod 197
Artis & scientiæ finis quis 197
Ars & scientia quomodo differunt 200
Astrologiam divinatricẽ esse falsam 219
Author ad Herennium contra Dialecticos 245
Authoritates veterum contra Dialecticam 244

B.

Boethii defensio & explicatio universalium refutatur 70
Boethius de fine Dialecticæ refutatur 233.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26:ZEN Leibn. Marg. 26, [430] - -

C.

Cæsar Scaliger in reprehendendis Grammaticis ipse maxime est reprehendendus 279
Cæsius & simus sicut niger & curvus 267.
Categoriæ vide Prædicamenta
Causæ tres ponendi universalia 48
Cognitio omnis aut sensibilis aut intelligibilis, & rursus utraq; aut communis aut singularis 257
Collectiva nomina quæ 22
Colorem & sonum non minus esse res mathematicas, quàm lineam & superficiem 265
Compositionum genera duo 87
Comprehensio oratoria singularium universorū vera ponitur loco falsæ abstractionis universaliū à singular. 236
Comprehendere singularia universe sive in universum pro eo quod Pseudophilosophi barbare & falso dicunt abstrahere universalia à singularibus 256
Comprehendere singularia universe sive in universum est omnia singularia quasi in unum locum congregata animo concipere 256
Concreta dialectica vana 37
Consequentiæ Dialecticorum barbaræ & ridiculæ 330
Considerandi modi veri & falsi qui 260
Contra principia Pseudophilosophorum disputari posse, quia sunt falsa 17

D.

Definienda præcepta 145
Definitio vocis, puta hominis 95
Definitio rei 96
Definitio cogitationis & vocis mentalis 96
Definitio generis veri 97
Definitio generis Dialectici falsa 101
Definitio hominis ex genere communi & proprio 146
Definitio hominis ex tribus generibus communibus vicem unius generis proprii supplentibus 146
Definitionem differentiis solvi, propriis autem constitui 147.148
Definitio non omnia quæ ad substantiam pertinent explicare debet 148
Definitionum formæ duæ 147
Definitio ἐννοημαλικὴ, sive ὀνοματώδης 148.
Definitio οὐσιώδης, hoc est, essentialis 149
Definitio perfecta rei quibus fit 149
Definitiones artium & scientiarum veræ 150
Definitiones particularium scientiarum ex quibus fiunt 199
Definitiones particularium artium ex quibus fiunt 199
Definitio Rhetoricæ Aristotelis falsa 200.234.
Definitio Dialecticæ falsa 234
Definitio & Divisio Oratori restituuntur 274
Definiendi & dividendi præcepta proprie ad Oratorem pertinent 275
Definiendi præcepta Dialecticorum falsa 275.301
Definitio generis & speciei à Cicerone in Topicis tradita falsa 109
Definitionis vitium cum vox generis pro ea re, quæ est genus, definitur 96.
Definitionis vitium, cum cogitatio &

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [431] - -
PUBLIC DOMAIN

conceptio rei in mente pro se ipsa vera definitur 96
Definitiones populi & exercitus, ut res, sunt diversæ à definitionibus populi & exercitus, ut voces sunt 103
Demonstrationẽ quam potissimam vocant, & ex qua scientiam illam maxime propriam gigni dicunt, esse falsam in cap. de falsa demonstratione 318
Demonstrationis potissimæ cujus mediũ est definitio subjecti exemplum falsum 320
Demonstrationis potissimæ cujus mediũ est definitio prædicati sive passionis exemplum falsum 320
Demonstrationem per notiora nobis non naturæ facienda esse 121
Descriptio explicatio enumeratio 149
Deus species generis rationalium 175
Dialectica & Rhetoricæ differentia ex octo locis 225
Dialectica Rhetoricæ pars 234.240
Dialecticam esse de vocibus significantibus res per medios conceptus, est falsum 236
Dialectica supervacua quia nullus hodie ejus usus 241
Dialectica propositio quæ 241
Dialecticum problema quod 241
Dialectica non est utilis ad tria illa quæ dicit Aristoteles 242
Dialecticam potius quam Rhetoricam tollendam si altera tollenda sit 243
Dialectica definitiones quædã falsæ 244
Dialectica non solum inutilis, sed etiam damnosa 244
Dialectica non recte facta fuit Logicæ Philosophiæ pars tertia 221
Dialecticæ materia quæ 223
Dialecticam esse de vocibus vel vocalibus vel mentalibus 107
Dialectice, sive logice, & metaphysice dicere quid 10.127
Dialectici reales & nominales 46
Dialecticorum ruditas 103
Dialecticorum præcepta nec ad dividendum nec ad definiendũ esse utilia 141
Dici de omni & dici de nullo non esse illa, quæ afferant vim probandi & necessitatem concludendi syllogismis, ut falso putavit Aristoteles 58.316
Dici de pluribus non rerum sed vocum esse proprium 102
Differentia quid 129.148
Differentia nihil aliud est, nisi genus differens 76
Differentia tam in genere quam in specie non solum potentia sed etiam actu reperitur, ut rationale in animali & in homine 85
Differentiam prædicari non minus de genere ut rationale de animali, dicẽdo animal est rationale, quam de specie, dicendo homo est rationalis, nec periculum est, si ita prædicetur, ne duo contraria in eodem subjecto sint, ut stulte timent Dialectici, nec ad intelligendum quomodo differentiæ, quæ antea actu in genere non erant, postea per divisionem actu in specie reperiũtur, opus est ullo actus & potentiæ auxilio, ut imperite nimis & ridicule cogitavit Boethius 85
Differentiis ad definiendum quomodo non utendum 131.132
Differentias Porphyrii vel nullum vel falsum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [432] - -

falsum habere usum 133
Differentia pseudophilosophica quid 135
Differentia definitiones variæ 135
Differentia omnis potest esse proprium, & contra 137
Differentia non est propria rei nota, contra Rodulphum 138
Differentiæ & propria nô sunt immobilia, ut stulte putant Pseudophilosophi 138
Differentiæ & propris definitio pseudophilosophica falsa 135
Differentiis definitio non construitur sed destruitur 147
Differentiã non significare quid est, sed tantum quale est, falsum 297
Differentiæ differentes, & differentiæ differre facientes, quæ 130
Differentia differens, & differentia differre faciens quid 132
Differentia & proprium intelligere quid sit, difficile 129
Differentiarum & propriorum usus 131
Differentiarum modi ex Porphyrio 132
Differentia dialecticæ & rhetoricæ ex octo locis 225
Differre, genere, specie, & numero quid 139.
Differre numero & esse idem numero, quomodo à Pseudophilosophis falso & ab Oratoribus vere dicitur 124.139
Differunt omnia tribus modis, quia sunt vel diversa tantum, vel diversa & varia, vel diversa, varia & separata 137
Disputandi modus dialecticus 241
Disserendi verbum magis oratorum quam dialecticorum est 234
Distinctio ejus, quod est tradi de singularibus 49
Distinctio ejus, quod est singularia esse corruptibilia 49
Distinctio artium ex quibus fit 200
Distinctio Rhetoricæ à Dialectica, ex materia 225
ex quæstionibus 226
ex instrumentis 227
ex usu 229
ex officio 232
ex fine 232
ex definitione 233
ex modo considerandi 235
Dividendi præcepta dialect. fals. 275
Dividendi & definiendi præcepta ad Oratorem pertinent 275
Dividendi præcepta 143
Dividendi modi decem & septem 144
Divisio generalis omnium rerum 39. 40.80.
Divisio generalis omnium rerum falsa & pseudophilosophica 40
Divisionum genera duo 83
Divisio continuorum quæ proprie vocatur partitio 83
Divisio generis in species nihil aliud est nisi multitudinis singularium sectio in partes 83.143
Divisio totorum discretorum à genere rerum incipit 90
Divisionem vocis in res & rei in voces & recensionem plurium nominum non vere esse divisionem sed potius enumerationem 144
Divisio generalis omnium artium & scientiarum 204
Divisio Philosophiæ totius tripertita 205,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [433] - -
PUBLIC DOMAIN

Divisionis philosophiæ veterum correctio 207
Divisio philosophiæ Aristotelis 207
Divisio Encyclopædiæ 212
Divisio & definitio restituuntur Oratori 274

E.

Elenchos sophisticos ab Aristotele non perfectè traditos 325
Eloquentia & sapientia quondam erant conjunctæ 209
Eloquentiæ à sapientia separationis querela 211
Encyclopædiæ divisio 212
Encyclopædiæ divisio tripartita 219
Ens ad rem tanquam minus commune ad magis commune referri 164
Ens inquantum ens, vel ὄν ᾗ ὄν Metaphysicæ subjectum falsum 262
Enthymema & exemplum nô esse argumentationes oratorias sed argumenta tam ad Philosophos quam ad Oratores pertinentia 309.228
Enthymemata variis argumentationibus explicantur 309
Enthymema dialecticũ esse falsum 310
Enthymematum modi tres 310
Enthymema à syllogismo non differre forma argumentandi 311
Esse in mẽte sive esse cognitum verũ 61
Esse existentiæ sive esse fundamentale verum 61
Esse essentiæ sive esse quiditativum, sive esse in se, sive esse in natura sua, eo modo, quo pseudophilosophi intelligunt falsum 61
Essendi duo modi 262
Ethica Nicomachia esse Nicomachi non Aristotelis 334
Ethica politicæ pars 205
Ethicam, politicam, & œconomicam, esse non solum practicas, sed etiam theoricas 219
Ethica, theorica, & practica 220
Exempla quæ dantur debent esse vera contra pseudophilosophos 304
Exempla multis argumentationibus explicantur 310
Exemplum & enthymema sunt non argumentationes oratoriæ, sed argumenta tam ad philosophum quam ad oratorem pertinentia 310
Exemplum non tam argumentationis forma quam materia ab enthymemate differre 311

F.

Figuræ syllogismorum tres ab Aristotele inutiliter factæ 314
Figura quarta syllogismorum à Galeno inutiliter addita 314
Finis scientiæ & artis quis 197
Finis in definitionem artium non ingreditur 199

G.

Galenus non minus Orator quàm Medicus in scriptis suis 239
Galeno in quibus credendum 323.346
Gẽeris voce quid proprie significetur 94
Generis nomen vere esse collectivum 22.23.94.
Genus esse multitudinem 95
Genus cum dicitur, quid proprie sit intelligendum 95
Generis vox pro se ipsa quid sit 97
Generis vox pro alia voce generis quid sit 97

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [434] - -
PUBLIC DOMAIN

Generis vox pro eare quæ est genus 97
Generis in definitione quæ vox & quæres sumenda sit loco generis 95
Genus ut res est, quid proprie sit & ejus definitio vera 97. 357
Generis divisio nihil aliud est nisi multitudinis vel totius discreti in species sectio 84
Genus animalium & species hominum proprie quid sint 24
Genus de suis inferioribus non magis prædicatur in recto quam populus & exercitus de suis singularibus popularibus & militibus 25
Genus de specie in recto casu non vere prædicari 64
Generum duo genera, unum naturale alterum accidentale & extraneum 90
Genus rerum omnibus aliis generibus esse majus & capacius 90
Generis modi a porphyrio traditi 101
Generis modi ab Arist. positi 101
Genus generalissimum, hoc est, genus rerum 164
Genera subalterna 100
Genus commune 100
Genus proprium 100
Genus differens. Genus simile 100
Genus contrarium 100
Genus accidentale sive extraneum 100 289.
Genus essentiale sive substantiale 100 175.
Genera non omnia esse essentialia suis speciebus 289
Generum propriorum duo modi 140
Generis dialectici definitio falsa 101
Generis definitio à Ciceronе tradita in Topicis falsa 108
Generis notio ad omnia tempora refertur 110.
Generis Porphyrii modus primus verus 111.
Generis Porph. modus ij falsus 111
Generis Porph. modus iij falsus 111
Generis Arist. modus i falsus 111
Generis Arist. modus ij falsus 112
Generis Arist. modus iij falsus 114
Genus ab aliquo ducere quid 112
Genus alicujus esse quid 112
Genus Thebanum quid 113
Genera & species oratorum quales 127
Genera & species Pseud. quales 127
Genus rerum proprie, res figuratæ 166 172.
Generis vox ab Aristotele non recte exponitur 230
Genera universa per comprehensionem non per abstractionem fieri 256
Geometriam & Arithmeticam non solum esse theoricas sed etiam practicas 218.
Grammatica Oratoria nascens 270
Grammatica non est logicæ philosophiæ prima pars, sed oratoriæ elocutionis pars prima 221. 270
Grammaticæ proprium est omnes voces contemplari 248
Grammatice & rhetorice dicere quid 10 127.

H.

Hoc aliquid & tale quid 176
Hoc aliquid est omne quale quid 69
Homo & animal quomodo prædicentur de suis subjectis sed non in recto casu 97

Homo

Homo universalis quot modis appellatur à pseudophilosophis 44
Homo in mente & homo in scripto 62
Homonyma sive cognominia latine, æquivoca æquivocata barbare 154
Homonyma & polyonyma esse res non voces 154
Homonymia latine, æquivocatio barbare 154

I.

Ignis proprium lucere & calere 126
Immortalitas singularium quomodo intelligenda sit 109
Individua inter se differre specie 105
Inductio à partibus continui ad totum continuum 57
Inductio à partibus discreti ad totum discretum 57
Inductiones ex singulis ad universa non ex singularibus ad univer. fieri 57
In eo quod quid est, dici 103, 125
In eo quod quale est, dici 103
Intelligibilia sunt omnia quæ sentiuntur 258.
Intellectus cognoscit omnia quæ & sensus 258
Intellectus noster cognoscit & intelligit tam singula quam universa 258
Intentiones primæ & secundæ in philosophiam introductæ fuerunt propter ignorationem sermonum propriorum & figuratorum 66
Interroganti quid est, vel quale est, quomodo respondendum 105
Inventionem Oratoris esse propriam contra Rodulphum Agricolam 273
Inventio Oratori restituitur 274
Inventio dialectica, non recta inscriptio libri Agricolæ 273
Ius civile vere quid 357

L.

Liber περὶ ἑρμηνείας grammatici potius officii quam dialectici 276
Libros qui nunc pro Aristotelicis leguntur non vere esse Aristot. 332
Libri octo physicorum non Arist. sed Nicomachi esse 336
Loci inveniendorum argumentorum ab Arist. in Topicis non sunt utiles 242
Locorum plurimorum ab Arist. in Topicis traditorum refutatio 288
Logica de enterationis 206
Logica vera & dialect. falsa quæ 269
Logica vetus & logica nova Philosophastrorum 281
Logica vetus ante Aristotelem & ejus amplissima possessio 269
Logica unde 288
Logica theorica docens, & logica practica utens 228
Logicæ philosophiæ divisio, in grammaticam, rhetoricam, & dialecticam 208
Logice sive dialectice & metaphysice loqui quid 10. 127
Loquentes recte & loquentes non recte qui 98
Loquendum unicuique non ut vult, sed veteres & probati Scriptores faciunt, non contempta communi omnium loquendi consuetudine 126
Loquentium recte communis usus 182

M.

M. Antonius Majoragius falso & impudenter putat Ethica Nicomachia non esse Nicomachi, cũ Cicero id dicat 335
Materia scientiæ vel artis, quæ 197

Mate-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [436] - -

Materia rhetorices ab Aristotele non recte assignata 202.224
Materia omnis sensibilis est etiam intelligibilis 258
Mathematicis in definitionibus tam apponi materiã quã in naturalib. 264
Mathematicæ & physicæ res eodem modo probantur 265
Mathematicæ divisio in arithmeticam, musicã, geometriam, & astrolog. 208
Mathematicas non solum esse theoricas sed etiam practicas 218
Mathematicus materiam intelligibilem universalem considerat 258
Mathematicus considerandi modus falsus 260
Mathem. cõsiderandi modus verus 261
Medicina vere quid 357
Medicinam esse theoricam 219
Medicina theorica & practica 220
Medicinæ officium & finis, contra Aristotelem 224
Mercurii Majoris erratum in definitione nominis 277
Metaphysica non recte facta fuit philosophiæ theoricæ pars prima 221
Metaphysicam esse supervacuam 245
Metaphys. τὰ μετὰ τὰ Φυσικά 246
Metaphys. non habet propriam materiam nec generalem nec particularẽ 246
Metaphysicæ subjectum τὸ ὂν ᾗ ὂν *falsum* 246
Metaphysicam inopia subjecti veri nec inter artes nec inter scientias locum ullum habere posse 246
Metaphysicus considerat entia abstracta ab omni materia tam intelligibili quam sensibili 258
Metaphysicam non esse necessariam propter ullam earum causarum, quas dicunt Metaphysici 247
Metaphys. non esse scientiam omnium entium sicut Medicinam omnium sanorum 252
Metaphys. non distingui ab aliis scientiis per modos generales probandi 253
Modi essendi rerum
Modi significandi nominum
Modi generis 100
Modus considerandi dialecticæ & metaphysicæ 235
Modi considerandi veri & falsi 260
Modi singulis syllogismorum figuris tam multi non solum inutiliter sed etiam damnose additi 314
Multitudo sive totum discretum 98
Multitudines singularium quæ, & quis earum essendi modus 20
Multitudinum sive totorum discretorũ divisio 98
Multitudines generum 99

N.

Naturæ vox ab Aristotele non recte exponitur 248
Nicomachus Aristotelis filius in Epitomas & compendia redegit libros patris sui, qui nunc pro Aristotelicis leguntur 334
Nomen substantivum & nomen adjectivum quid 38
Nomen & verbũ quomodo nõ ad Grammaticũ sed ad Philosophũ pertinẽt 279
Nomen à grammaticis melius definitur quam à dialecticis 278
Nominis definitio Arist. falsa 277
Nomina per res fuerunt inventa 19

Nominum generalis divisio vera 20
Nominum genera quatuor 20
Nominū significandi modi quatuor 20
Nomina propria quæ, & quis eorum significandi modus 21
Nomina appellativa simplicia 22
Nomina appellativa collectiva & eorum significandi modus 22
Nomen generis & nomen speciei proprie & nomen animalis cæteraq; nomina appellativa simplicia figurate accepta esse vera collectiva 22
Nomina fingere & novare quibus in casibus licet 126
Nomina appellativa simplicia figurate esse collectiva 23
Nominum appellativorum simplicium significationem, quod ad significandū unum vel plura pertinet tribus modis variari, per numerum pluralem & singularem, per positionem propriam & figuratam, per unam pronuntiationem vel per plures 26
Nomina substantiva quæ, & quis eorum significandi modus 36
Nomina adjectiva quæ, & quis eorum significandi modus 36
Nominales sive Terministæ dialectici 47
Non nimis obscure loquendum 12
Non recedendum à communi & usitata omniū loquendi cōsuetudine 12.126
Non magis verum est dicere, homo est animal, si animal sit genus, quam miles est exercitus & civis est populus 25
Notio generis ad omnia tempora refertur 110
Numerorum singularis vel pluralis diversitas nominum appellativorum simplicium significationem variat 26

O.

Observanda in genere artium & scientiarum statuendo 200
Observanda in officio artium & scientiarum statuendo 201
Observanda in materia artium & scientiarum statuenda 201
Observanda in fine artium & scientiarum statuendo 203
Officium scientiæ vel artis, quod 197
Orationis ex rebus & verbis constat 61
Oratio à Grammaticis melius definitur quam à dialecticis 278
Oratione & perpetua & interciſa tam Oratoris quam Philosophi communiter utuntur 230
Oratoria & philosophia præstantissima eminentissimaq; appellationes 209
Oratoriam & philosophiam esse unam artem ex duabus conjunctam 211
Oratoria & philosophia in quibus conveniunt 213
Oratoria & philosophia in quibus differunt 214
Oratoria & philosophia facultates generales 213
& quam ob causam 214
Oratoria & eloquentia 215
Oratoriam esse de omnibus rebus quo pacto intelligendum 237
Oratoria non est Logicæ pars sed tota Logica 218
Oratoriam esse artem & scientiam generalem 268
Oratoria unde 268
Oratoria perfecta quæ 268
Oratoria sub se continent Gram. 270

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [438] - -
PUBLIC DOMAIN

Oratoria Grammatica jam adulta 270
Orat. partes à genere materiæ 272
Orat. partes à qualitate materiæ 272
Oratoriæ partes ab officio 272
Orator quis intelligatur 237
Orator quomodo omnia considerat 237
Oratorum & Philosophorum duo nomina maxima & præclarissima 209
Orat. quomodo omnia sunt subjecta 239
Oratorum & Philos. comparatio 212
Orator perfectus qui 268
Oratoris facultas amplissima 271

P.

Patriam non esse genus alicujus 113
Paradoxa non introducenda nisi coacte 13.
Pars continua quid 82
Pars quasi continua quid 82
Pars discreta quid 82
Pars quasi discreta quid 82
Partitio à divisione quomodo differat 83
Parva logicalia barbara & vana 329
Perionius frustra laborat dialecticam à Rhetorica distinguere cupiens, cum distingui nullo pacto recte possit 231
Perionius de officio & fine dialecticæ refutatur 232
Perionius non recte Aristotelem defendit à reprehensione Agricolæ 287
Philosophiæ divisio Aristotelis 207
Philosophiæ divisio veterum 205
Philosophiæ theoricæ divisio in theoricam & practicam reprehenditur 218
Philosophiæ practicæ divisio 208
Philosophiæ logicæ divisio 208
Philosophiæ & Oratoriæ duæ præstantissimæ & eminentissimæ appellationes 209.
Philosophiam & Oratoriam esse unam artem ex duabus compositam 211
Phil. & Orat in quibus conveniunt 213
Phil. & Orat. in quibus differunt 214
Philosophia & Oratoria facultates generales 213
& quam ob causam 214
Philosophia & sapientia 215
Philosophiæ secta quæ sequenda 353
Philosophicum genus causæ ab Aristotele non recte omissum 273
Philosophorum & Orat. comparatio 212
Philosophorum & Oratorum duo maxima & præclarissima nomina 209
Philosophorum & Oratorum comparatio 212
Physicæ & Mathematicæ res eodem modo probantur 265
Physicæ res tam sine materia definiri possunt quam res mathematicæ 266
Physicas materiam universalem sensibilem considerat 258
Physicus considerandi modus falsus 260
Physicus considerandi modus verus 260
Plantas non esse animatas, ut falso dicunt Pseudophilosophi 172
Plato reprehendendus propter positionem Idearum, sed tamen minus quã Aristoteles propter introductionem universalium realium 13
Politica duobus modis capitur 205
Polithica Ethicam sub se continet 20
Polyonyma, multinomia 156
Porphyrius non recte à Valla reprehenditur 135
Positionis nominum appellativorum simplicium proprie vel figurate diversitas significationem variat 28.29

Practica philosophiæ divisio in ethicam politicam & œconomicam 208
Prædicabilia quatenus dicuntur Universalia quatenus sunt 44
Prædicamenta sive categorias decem quã leviratione motus posuerit Arist. 169
Prædic. tria à Valla non recte 169
Prædicamẽtorũ libri subjectũ sive scopus nondum cognitus deridetur 160
Prædicamentum causæ ab Aristotele non recte prætermissum 188
Prædicatio omnis signata vera, vere etiam potest exerceri 66
Principaliter esse de aliqua re vel secundario 237
Principium primum generale recte philosophandi 6
Principium ij generale recte phil. 7
Principium iij generale recte phil. 10
Principium iiij generale recte phil. 11
Principium v generale recte philos. ex multis principiis constans 12
Principia perverse philosophandi non scripta 15
Principia perverse philosoph. scripta 16
Probandi modus in universum 52
Probatio per nõtiora nobis non naturæ facienda est 321
Probationis oratoriæ exemplum 54
Probationis philosophicæ exemplum 54
Probationis mathematicæ per comprehensionem exemplum 261
Probationis naturalis per comprehensionem exemplum 261
Probationis mathematicæ exemplũ 54
Probation[illegible] terminorum dialecticæ vanæ 331
Problema dialecti[illegible]m, quod 241
Problemata omnia de accidente, de proprio, de definitione sunt etiam problemata de genere, & ad problema de genere reducuntur 285
Problematum partitio illa quadripartita ab Aristot. in Topicis facta falsa 285
Pronuntiationis diversitas in nominibus appellativis simplicibus 34
Propositio dialectica quæ 241
Proprium quid sit vere 129.148
Propria convenientia quæ 131
Propria convenire facientia quæ 130
Proprium nihil aliud est nisi genus proprium 76
Propriorum & differentiarum usus 131
Propriorum modi ex Porphyrio 132
Propria Porph. in quibus vitiosa 133
Propriorum modi veri tantum duo 134
Proprium inseparabile & privatum 134.136.
Proprium inseparabile quidem sed non privatum 134
Proprium pseudophiloseph. quid 135
Proprii definitiones veræ 136
Proprium ignis lucere & calere 136
Proprium omne potest esse differentia & contra 136
Proprii & differentiæ definitio pseudophilosophica falsa 138
Propriũ est animalis animã habere 299
Pseudophilosophi qui 333

Q.

Quæstionum rhetoricarum divisio 272
Quæstiones tam infinitas quam finitas ad Oratorem pertinere 226
Quæstiones inconsistentes non tractandæ 13
Quæstiones de universalibus vanæ 142.

Qua-

Qualitas quid 180
Qualitas generalis 180.185
Qualitatis generalis prima divisio 185
Qualitatis generalis tam absoluta quam comparata species 185
Qualitas specialis absoluta 186
Qualitas specialis comparata 186
Qualitatis nomine quid proprie intelligatur 180
Qualitas idē quæ accidēs & amplius 180
Qualitatis nomen omnia complectitur accidentia 182
Qualitates quæ & earum essendi modus 19.
Qualitatum genus proprie & qualitas figurate 179
Quale quid omne est hoc aliquid 176
Qualis quantusque 184

R.

Rationale non solum esse differentiam sed etiam proprium 138
Rationale non semper esse nomen adjectivum differentiæ sed etiam quandoque nomen substantivum generis 37
Reales Dialectici 46
Reductiones artium & scientiarum quomodo fiunt 216
Rerum generalis divisio vera 19.40
Rerum generalis divisio pseudoph. 40
Rerum genus generalissimum 165
Res figurate, genus rerum proprie 166
Res quid 164
Rhetores melius tradiderunt argumentationū formas quam dialectici 313
Rhetorica quid 357
Rhethorica unde 268
Rhetoricæ definitio Arist. falsa 200
Rhetorica non est dialecticæ pars, sed potius contra 222
Rhetoricæ & dialecticæ differentia ex octo locis 225
Rhetorica pugno clauso similis potius quam manui apertæ 230
Rhetorice & grammatice dicere quid 10
Risibile non solum esse proprium sed etiam differentiam 138
Rodulphi Agricolæ liber de universalibus 45
Rodulphi sententia de constitutione substantiæ generis ac totius multipliciter refutatur 88
Rodulphus reprehenditur, quod male dixerit differentiam esse propriam rei notam 138
Rodulphus de officio & fine dialecticæ refutatur 232
Rodulphus recte Aristotelem reprehendit 285.287
Rosarum genus est etiam si nulla rosa singularis existat 110

S.

Sapientia ab eloquentia quondam non erat separata 209
Sapientiæ ab eloquentia separationis querela 211
Sapientiam illam quam ex scientia & intellectu componi nugantur Pseudophilosophi esse falsam, in capite de falsa demonstratione
Sciendi verbum 19
Sciendi definitio falsa 323
Scientiæ nomen apud latinos tribus modis accipitur 189
Scientiæ primus modus 189.192
Scientiæ secundus modus 190.192
Scientiæ pura & scientiæ mixtæ 190

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [441] - -
PUBLIC DOMAIN

Scientia proprie quid 191.357
Scientia tertii modi nō proprie nec κυριως, sed privatim & ἰδιως est scientia 194
Scientiam quam per demonstrationem fieri dicunt, & maxime propriam appellant, esse falsam 322
Scientia & sciendi definitio dialectica falsa 328
Scientia vel artis materia qua 197
Scientia vel artis officium quod 197
Scientia vel artis finis quis 197
Scientia in puris quot requiruntur 198
Scientiis in mixtis quot necessaria sunt 198:
Scientia & ars quid differant 200
Scientias & artes sibi invicem subjectas esse 217
Scopus sive subjectum prædicamentorum nondum cognitus ridetur 160
Scire apud Pseudoph. quid sit 322
Scriptores recte loquentes qui 256.257
Scriptores omnes probati duo habent nomina unū commune, alterū priv. 281
Sensibilia omnia sunt etiam intelligibilia 258
Simus & curvus, sicut cæsius & niger 267
Simi in definitione cur apponitur materia, non in definitione curvi 266
Singularia qua & eorum essendi modus 19.20.
Singularia singillatim accepta 49
Singularia universe sive in universum accepta 49
Singularia simul comprehensa quid 52
Singularium immortalitas quomodo 109
Singularia esse species 118
Singularia tam ab intellectu, quam à sensu percipi 258
Singulis opponuntur universa 42
Sophisticos elenchos ab Aristotele non perfecte traditos 325
Species vere quid 357
Species & pars quid differunt 116
Species & differentia idem 116
Species divisibilis qua 99.105.176
Species individua qua 99.176
Species quomodo genus efficitur 116
Speciei divisibilis nomen vere esse collectivum 23
Species ut species est, non potest dici de inferioribus 117
Speciem universalem esse non posse 96
Specie differentia quomodo intelligendum 104
Species essentialis & intrinseca & species accidentalis & extrinseca 117.175
Species veras hominis esse Thebanū & Trojanū, ut dicit Cicero, contra Lud. Vivem & Io. Rivium 119.175
Speciei oratoriæ definitio vera 121
Speciei dialecticæ definitio falsa 122
Stirpes non esse animatas 172
Status Rhetorici qui 272
Studiorum Philosophiæ correctio & instauratio quomodo facienda 353
Subjectū libri prædicamentorū quod dicitur esse de vocibus significant. res per medios conceptus, ridetur 160.217
Substantia non minus quā accidens inter universalia numerari debuit 141
Substātiæ quæ & eorū essendi modus 19
Substantia mutatur in qualitatem 182
Substantia, natura, essentia, οὐσία 177
Substantia quid & unde 178
Substantivum nomen quid 38
Substantiva nomina quæ & quis eorum signi-

significandi modus 35
Sufficientiam, quam vocant, universalium esse falsam 78
Suppositiones, pro prima & secunda intentione falsæ 65
Suppositionum tractatus apud Dialecticos tanquam inutilis & barbarus ridendus 329
Syllogismus & inductio tam ad Oratorem pertinent quã ad Dialecticum 227
Syllogismorum figuræ tres ab Aristotele inutiliter factæ 314
Syllogismos ex universis non ex universalibus fieri 57
Syllogismus à toto continuo ad unam partem suam 57
Syllogismus à toto discreto ad unam partem suam 57
Syllogismos habere vim suam probandi & necessitatẽ concludendi non ab eo quod est, dici de omni & dici de nullo, sed ab eo, quod una vel plures partes alicujus totius discreti vel continui sunt vel nõ sunt, continentur vel non continentur in suo toto cõtinuo vel discreto 58
Synonyma sive cognominata latine, univoca univocantia barbare 154
Synonyma sive cognominata esse voces non res 154
Synonymia latine univoc. barbare 154

T.

Theologiam à Physica non esse separatam 222.
Theoricæ Philosophiæ divisio 208
Thesis quid 53
Theses non minus quam hypotheses ad Oratorem pertinere 226
Topica Ciceronis ab istis Topicis Aristotelis valde diversa esse
Topicorum doctrina ad quatuor capita ab Aristotele non bene redacta 283
Topicorum libri octo non recte approbati 284.
Topicorum Arist. doctrina incerta ex discordia Interpretum 287
Topicorum locos plurimos ab Arist. traditos non esse veros nec utiles 288
Topicorum doctrinam Arist. ad tria illa, quæ ille dicit, non esse utilem 305
Totum omne quid 80
Totum omne quantitas quædam 80
Totum quasi continuum quid 81
Totum discretum quid 81. 91
Totum essentiale quid 81
Totum potentiale quid 81
Totum integrale quid 81
Totum universale quid 81
Totum quasi continuum quid 81
Totum quasi discretum quid 81
Totum integrale improbatur 81
Totum ἐκ μερῶν, hoc est, ex partib. quid 91
Totum πρὸ μερῶν, hoc est, ante partes, quid sit ejus refutatio 91
Totum ἐν μέρεσι, hoc est, in partibus, quid & ejus refutatio 91. 92
Totius vox ab Aristotele non recte exposita 251.
Transcendentia sex 163

V.

Verbum à Grammaticis melius definitur quam à Dialecticis 278
Victorius male Quintilianum reprehendit & non recte Arist. excusat 202
Vincentius Madius Poeticæ Aristotelis Interpres 277
Vniversalis vocabulum quid vere significat 43

Vniver-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [443] - -
PUBLIC DOMAIN

Vniverſale de rebus quæ ſunt in alio 43
Vniver. de verbis quæ dicuntur de alio 43
Vniverſalis nomine quid ſignificetur apud Pſeudophiloſophos 43
Vniverſale quintuplex monſtrum 44
Vniverſale Pſeudophil. quid 44
Vniverſale animal & univerſalem hominem non magis vere in rerum natura reperiri, quam univerſalem populum & univerſalem exercitum 25
Vniverſalia quatenus ſunt, prædicabilia quatenus dicuntur 44
Vuniverſalia à Latinis, quinq; voces à Græcis 44
Vniverſalia quomodo per abſtractionem à ſingular. fiunt apud Pſeudphil. 45.57
Vniverſalia qualia eſſe dicuntur apud Pſeudophiloſophos 45
Vniverſalia ante partes, ex partibus, & in partibus 45
Vniverſalia ab univerſis differunt 50
Vniverſaliter & univerſe differunt 51
Vniverſalium ponendorum prima origo refellitur 60
Vniverſalium ponendi prima cauſa 40
ſecunda cauſa 56. *tertia cauſa* 59
Vniverſalia non poſſe eſſe vera, eo quia eorum abſtractio eſt falſa 68
Vniverſalia non poſſe eſſe vera, eo quia eorum ſufficientia eſt falſa 68
Vniverſalia non poſſe eſſe vera, eo quia ſunt impoſſibilia 68
Vniverſalia eſſe immaterialia non materialia falſum eſt 69
Vniverſalia eſſe quale quid non hoc aliquid, falſum eſt 69
Vniverſale eſſe non unum perfectum, ſed minus unitate numerali falſum eſt 69
Vniverſaliũ falſæ & inanes quæſtion. 72
Vniverſalia non eſſe conformitates neque ſimilitudines in natura, ut ſomniant Agricola & Vives 74
Vniverſalia vel unum tantum vel plura quam quinque fuiſſe facienda 76.77
Vniverſalia quatenus voces ſũt vere prædicãtur, quatenus vero res, nequaquã 78
Vniverſale & prædicabile quid differunt apud Pſeudophiloſophos 102
Vniverſales alias, particulares alias eſſe res falſo ab Ariſtotele ſumitur in libro περὶ ἑρμηνείας 279
Vniverſalium quæſtiones vanæ 141
Vniverſale genus, univerſalem naturam, univerſalem rem non recte dici 53
Vniverſalitatem & communicabilitatem univerſalium eſſe meras voces barbaras & res inanes 74
Vniverſi nomen quid ſignificat 41
Vniverſa & ſingula opponuntur 57
Vniverſa ab univerſalibus differunt 50
Vniverſe & univerſaliter differunt 51
Vniverſe ſive in univerſum dicere latine, καθόλε εἰπεῖν *græce* 236
Vniverſum genus, univerſa natura, univerſa res, non univerſale genus, nec univerſalis natura, nec univerſalis res recte dicitur 53
Vniverſa genera non per abſtractionem ſed per comprehenſionem fieri 256
Vnum quod dicitur cum ente converti & non eſſe principiũ numeri falſum 127
Vnum minus unitate numerali falſum 127
Vnum, hoc eſt, una res 165


Z.

Zenonis fabula de pugno clauſo & manu aperta 230

INDICIS FINIS.


BIBLIOTHECA REGIA HANNOVERANA

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [444] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [445] - -


GWLB Hannover 35
036 854 360


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [446] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [447] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [448] - -

PUBLIC DOMAIN



Signatur: Leibn. Marg. 26;ZEN Leibn. Marg. 26, [449] - -
PUBLIC DOMAIN